




Ferch
Perip
XII
FERCH
1
6
385









XII
FERCH
Ae Penij

RECOGNITIO PERIPATETICA

Aristotelis vt Magistri, LICETI vt Discipuli, an omnium Aristotelicorum celeberrimi?

INSTITVTA

Per MATTHÆVM VEGLENSEM Min. Con. Theologum Publicum Patauij.





PATAVII, M DC LVI.

Apud Io. Baptistam Pasquati *Superiorum Permissu*.

Excellentissimis, ac Sapientissimis Primarijs Philosophiæ Lectoribus In Vniuersitate Patauina.

IOANNI COTTVNIO EQVITI,
CLAVDIO BERRIGARDO GALLO
Dominis Colendissimis.

Matthæus Veglensis Min. Con. Theologus Publicus in eadem Vniuersitate S.

RECognitiones hasce meas, Excellentissimi Prælectores, vestro nomine insignitas emitto. Vos fulgentissimo virtutum vestrarum splendore, earum non modo obscuritatem depellere: verùm & vestra authoritate, eruditione, eloquentia cumulatiùs illustrare potestis. Erit fortè non iniucunda doctioribus Peripateticis multorum Aristotelis textuum hęc mea consideratio: non inutilis studiosis eorundem explanatio: atque omnibus excitatio ad Summi Philosophi dicta tùm acutè, tùm accuratè exploranda. Hoc sanè omnes Aristotelicę Scholę alumnos decet, maximè verò vos, nouellis Peripateticis gignendis, augendis, perficiendis delectos in hac Sublimi Vniuersitate Patauina.

Del

Delphinus felle caret, laborat dormiens, erga gnatos mirifica vtitur charitate, ita vt Aristotele in 9. de Histor. Animal. cap. 48. teste *Paruos Delphinos magnus aliquis semper comitetur, custodiæ causa*. Tales vos meas Recognitiones iudicabitis sine felle, vigilantissimè considerabitis, atque progenitos à vobis in Lyceo discipulos custodietis, ne anfractibus offendantur, speciosis vinculis capiantur, sed attentè Philosophorum attentissimum inspiciant, quid asserat, quid reijciat, quid ambigat; distinguat, proponat, probet, respondeat, et parcissimus verbis, opulentissimus arcanis edoceat. Ne plura. Nam Sapienti pauca. Vobis meum librum, et me obsequentem dico. Patauij die 2. Februarij 1656.

Fr. FELIX GABRIELLIVS de Asculo Art. & S. T. D. Vniuersi Ord. Min. S. Franc. Conu. Min. Gen. & in Sac. Rituum Cong. Sanctiss. D. N. Papæ Consultor.

OPus, quod inscribitur, Recognitio Peripatetica, à P. Mag.ro Matthęo Ferchio Veglensi in Patauina Vniuersitate Theologiam publicè profitenti elaboratum à P. Mag.ro Bonauentura de Iano Patauini nostri Collegij Regente ex nostra commissione reuisum, cũ nihil contineat, quod illi ad pręlum viam pręcludat, vt typis detur, his nostris, seruatis seruandis, facultatem impertimur. Dat. Romę 2. Ian. 1656.

F. Felix Gabriellius de Asculo Min. Gen.

F. Bernard. Sacchius a Fabriano Sec. Ord. & Assistens Gen. ac Prou. Dania.

Noi Refformatori dello Studio di Padoua.

HAuendo veduto per fede del P. Inquisitor Generale del Sant'Officio di Padoua, come nel Libro manuscritto in quarto, intitolato Recognitio Peripatetica Arist. vt Magistri, Liceti vt Discipuli etc. Instituta per Mattheum Veglensem Min. Con. Theologum Publicum Patauij, non v'è cosa alcuna contro la Santa Fede Cattolica; et similmente per attestato del Segretario nostro, niente contro Prencipi, et buoni costumi, concedemo, licenza che sij stampato, douendosi osseruar le Leggi in questo proposito. In quorum fidem etc.

Dat. dal Magistrato Nostro li x. Sett. 1655.

(*Zuane Donado Refformator.*
(*Andrea Pisani Proc. Refformator.*
(

Pietro Pianoli Segretario.

Errata potiora sic corrigenda erunt. Primus numerus paginam, secundus lineam significat.

Pag.	lin.			pag.	lin.		
4	10	radicę	radice	59	22	felium	filium
	11	Potentia	Potentiæ	60	16	al	at
5	29	voſtra	noſtra	62	31	ſimui	ſimul
14	27	vumero	numero	63	15	ęterniuate	æternitate
15	22	Patar	Pater	65	12	prefitetur	profitetur
16	24	vt	Et		24	27	27. vel 32.
16	29	Regnnm	Regnum	67	16	inceniet	inu enie
16	33	iia	ità,	ibid.		alrum	alterum
17	27	præpatium	preputium	69	15	latudo	latitudo
19	23	voccm	vocem	74	30	ſepareuerit	ſeparauerit
22	4	qua	quæ	75	7	Alas	Ales
22	19	122	222	76	18	alienam	alienum
24	15	imperet	imperat		32	bnt	ſint
24	26	Iercmias	Ieremias	77	4	148.	147.
25	4	ratio	natio		5	prædicata	prædicta
	6	obſecrtionib.	*ob*ſecrationib.	78	38	contratū	conſtratum
26	23	inter ſe.	inter ſe,	79	25	natam	natum
28	5	protulis	protulit	80	33	aut	autem
	14	uon	non	83	31	ſignificari	ſignificare
32	20	eſſc	eſſe	86	8	conutuere	conuiuere
33	2	porrs	porrò	ibid.		egent	egeat
35	19	peierentem	peierantem		17	qui	quis
	29	ez	ex		23	folis	folij
41	11	accipicndum	accipiendum	87	14	alteram	alterum
44	28	æternus	æternus		30	ſalſam	falſam
45	13	finæ	fine	88	33	ſc	ſe
46	13	vnam	vnum	89	2	quia	quid
47	7	ſubſtantia	ſubſtantiæ		23	2.Topic.	3.Topic.
52	15	Regib.Dei	Regib. ſic Dei	94	2	ternio	tertio
52	29	cuiuſqua	cuiuſque	97	11	viram	vitam
ibidem.		Diuiuum	Diuinum		18	1.Top.	2.Topic.
53	23	depeudet	dependet	100	9	Ded	Deo
54	10	iu	in		2	propouit	proponit
55	8	implernm	implexum		14	poſt 30.	poſt.70.
56	27	integrè	integrè:	110	18	iudicaſe	iudicare

114

pag.	lin.		
114	26	propterca	propterea
116	22	imparo	imparè
	32	adorationer	adorationes
118	3	lege absurdũ. Ex Hębreo Elo imDeos uertit Licet᷒. Atqui	
	15	auertit	vertit
123	3	vna	vnam
	34	quot	quod
131	20	posila	posita
133	3	intellibile	intelligibile
	5	suut	sunt
35	1	vnì	anima
36	13	dici	dicit
	15	ostensu	ostensum
137	31	nomine	nomina
140	31	intelleexio	intellectio
144	24	processionis	processiones
155	23	essiciens	efficiens
166	6	immobites	immobiles
177	2	uihil	nihil
187	3	hit	hic
188	6	tamque	tamquam
	32	isti	dele isti
189	30	his	hi
185	vlt.	exhibetur	exhibentur
133	ima.	lepidius	lapidius.

RECOGNITIO PERIPATETICA

Aristotelis vt Magistri, LICETI vt Discipuli, an omnium Aristotelicorum celeberrimi?

INSTITVTA

Per MATTHÆVM VEGLENSEM Min. Con. Theologum publicum Patauij.

PRÆFATIO.



Posteaquam edidi obseruationes in epistolam primam ex lib. de Septimo Quæsitis contentam, quæ est de creatione Filij Dei ad intra: atque in obseruationibus lib. 5. probaui à FORTVNIO LICETO commissos esse in Theologia errores triginta supra centum. Nonnulli viri docti dixere, non esse mirandum, si Licetus plures in Theologia errores, & quosdam quidem grauissimos incurrisset: id enim facilè euenit ijs, qui extendunt falcem in messem alienam.

In re philosophica tamen esse virum planè eminentem, ac celeberrimum. Quibus respondi, nec in Philosophia Aristote-

ſtotelis Licetum tantæ philoſophiæ profeſsorem mihi plenè ſatisfacere: quòd ipſi quoque poſſent experiri conferendo textus citatos à Liceto cum obſeruationibus meis circa eaſdem citationes; quandoque enim falsò citat, quandoque falsò applicat, quandoque falsò explicat Ariſtotelem, & Ariſtotelis dicta, addendo, mutilando, peruertendo textum. His interea excitatus duo mihi propoſui facienda. Primum eſt breue ſummarium locorum Ariſtotelis in Obſeruationibus poſitorum. Secundum eſt, in libro de Pietate Ariſtotelis percurrere aliquot textus, & recognoſcere quàm accuratè Cl. Licetus adducat, applicet, explicet textus in hoc opere de Pietate Ariſtotelis; opere tàm celebrato ab authore, vt propter illud in me ſuum furorem effuderit, quaſi detraxerim, ac maledixerim de illo Liceti fetu: cum tamen prorſus innocens eſſem in hac parte. Sed tamen ex incendio per Licetum, vt ei ſolemne eſt contra omnes ſcribere, excitato, volui librum de Pietate legere, ad hoc vt oſtentatam à Liceto erga Ariſtotelem, tanquam Magiſtrum, diſciplinam, experirer: ſimulque & alijs oſtenderem, quàm ab officio diſcipuli erga tantum Magiſtrum Liceti doctrina deficeret.

SVMMARIVM EX OBSERVATIONIBVS.

Recognitio I.

IN obſeruatione à pag. 27. Ariſtot. in 2. Elenc. cap. 2. præceperat, cum vox, aut oratio multiplex offertur, diuidendum eſſe à principio: tùm ne ſuſpicio ignorantiæ oriatur de reſpondente, ſi non diſtinguat æquiuocum à principio, ſed in fine: tùm ne reſpondens redargutus videatur. Quare & peccatum eſſe non diuidere à principio. Et in 1. Top. cap. 14. iuſſerat diſtinguere multiplex, quoniam id vtile eſſet ad claritatem rei, de qua agitur: ad ſyllogiſmos faciendos de re, non de nomine: ad cautelam ne fallamus, vel falla-

fallamur. Id ipſum in 1. de Cælo 110. & ſequentibus., & monuit,& præſtitit Ariſtoteles : ita Magiſter.Licetus autem non obtemperans diſcipulus,in lib. de Septimo Quæſitis totam diſputationem contra me vſque ad pag.35.ſui libri conſumpſit, non diuidens ſignificata vocis æquiuocæ, quæ eſt *creare*, ſeu *creatio*. Quia verò vox *creare* apud Licetum ſex habet ſignificata, ſingulum ſingulo capitulo explicatum profuſiſſimè, in cap.5.6.7.8.9.10. Illud ſignificatum, de quo eſt titulus diſputationis, videlicet *creationem ad intra* non expoſuit: nec dixit, quid ſignificet creatio ad intra,neque quo diſcernantur creatio ad intra, & ad extra. Eſt ne diligens diſcipulus, qui ſui Magiſtri documenta non ſeruat? Amplius hæc eadem diligentia obſeruatur ad pag.103. mei libri Obſer. 36.

Recognitio II.

OBſeruat.14.pag.62. Conſideratur hoc dictum Liceti. *Vniuerſa natura Angelica, quæ propter ſuum intellectum in actu, vel ab Ariſtotele comparatur aptiſſimè lumini ex 3. de Anima 18.*

1 Falſa eſt citatio. Ariſtoteles in 3.de Anima 18. loquitur de intellectu animaſtico,non de Angelico.

2 Ariſtoteles intellectum agentem comparat lumini in 3.de Anima 18. Sed intellectus in actu differt ab agente. De intellectu in actu agitur in text.19. & 27. & hic eſt intellectus poſſibilis reductus ad actum per ſpeciem intelligibilem, actualem intellectionem, & habitum ex actibus acquiſitum. Falsò, quæ dicuntur de intellectu agente, aſſeruntur dicta de intellectu in actu.

Recognitio III.

OBser. 17.pag. 66. Licetus dixerat ex Aristotele, quòd *animæ corporibus infunduntur à Deo penitus ignaræ, & cunctis cognitionum luminibus priuatæ*, ceu *rasæ tabellæ*. Citat 3.de Anima 13.

1 Falsa citatio. Intellectus tabellæ assimilatur in textu 14. non 13.

2 *Vox rasa* spuria est, nec legitur in textu græco, nec latino.

3 Aristoteles loquitur, de intellectu, qui est potentia. Licetus de Anima, quæ est essentia, ex qua vt radicæ multæ exurgunt potentia. Falsus in omnibus apparet Licetus.

Recognitio IV.

OBser. 18.pag. 66. Licetus ait de Anima, in sua infusione. *Nihil actu visibile mentis oculo depictum* habere. Citat 1.Ethicor.cap.4.

Aristoteles ait in 1.Ethic.cap.4. *Quemadmodum in corpore est visus, sic in anima est mens*.

Similiter in 1.Top. cap. 14. *Quemadmodum visus in oculo, mens in anima*. Quid Licetus? Aristoteles comparat mentem visui, Licetus oculo, valdè differunt visus, & oculus, per 2.de Anima 9. *Visus est forma, oculus materia*. Aristoteles formam formæ comparat, & rationem intelligendi cum ratione videndi. Discipulus discipulorum formam cum materia confundit, principium actiuum cum passiuo: nam & oculus, & corpus, vt materia proxima, vel remota se habent respectu visus.

Falsa item applicatio. Aristoteles existimauit hunc statum pęnalem, esse nobis naturalem, vt Doctores Seraphicus 2.d.30.q.1.& Subtilis Quol.14.P. sicut enim in Adami intellectu concreatæ sunt species, & habitus quiditatum ordinis

natu-

naturalis: sic futurum erat in filijs Adæ. Vnde pænale est, non naturale intellectum infundi sine speciebus. Aristoteles autem naturaliter non cognouit status naturæ institutæ, & destitutæ. Quare perperam Licetus applicat ad illos status textum 3. de Anima 14. & 1. Ethicor. 4.

Recognitio V.

OBseruat. 23. pag. 36. citat Licetus ex 2. Metaph. 1. *Quemadmodum vespertilionum oculi ad lumen diei se habeant, ita & intellectus animæ nostræ ad ea, quæ manifestissima omnium sunt*, eadem authoritas excutitur obseruat. 47. pag. 127.

Falsò applicatur hæc authoritas vtrobique. Magister loquitur de intellectu nostro pro statu isto penali post peccatum. Licetus de statu naturæ institutæ in Adamo ante peccatum, quem statum Aristoteles non agnouit. Sic in obser. 23. In obser. 47. agitur de generatione Filij Dei ad intra: quam naturaliter nec angeli, nec homines possunt agnoscere. De aliquo alio obiecto potuit Aristoteles intelligere, de generatione Filij minimè: & præter propositum Aristotelis omnino, hic textus applicatur.

Recognitio V.

OBseruat. 25. pag. 38. Sic Licetus. *Quin & Aristoteles ignorantiam ait magis propriam esse hominibus, quia illi connaturalis est: cognitio verò aduentitia; & plus temporis in ignorantia permanet anima.* Verba Philosophi sunt. *Omnes enim intelligere corporeum, sicut, & sentire existimant: & sentire, & sapere simile simili, vt in primis rationibus determinauimus.*

Et tamen oportuit simul ipsos, & de deceptione dicere: magis propria enim est animalibus, & plus temporis in hac per-

permanet anima. Hæc in tex. 151.2. de Anima.

1 Falsò ex parte subiecti. Aristoteles de *animalibus* loquitur, Licetus de *hominibus*: loquitur enim contra illos, qui & sentire, & intelligere corporeum dicebant; atque ideò iudicatorium de veritate, hoc est intellectum verè non agnoscebant.

2 Falsò de deceptione. Aristoteles ponit deceptionem propriam animalibus, non hominibus: & proprium non accipit pro naturali contra aduentitium: quia & cognitio vera, & deceptio, aduentitia est, vel in actu secundo consistens, vel consequens ad actum secundum. Nisi enim intercedat actus sentiendi, aut intelligendi, non est deceptio.

3 Falsò de ignorantia. Magister loquitur præcisè de deceptione, quæ est praua ignorantia; Licetus exponit de ignorantia pura, quæ opponitur ignorantiæ prauæ.

4 Falsò in ratione finis, nam ignorantia siue pura, siue praua non est finis, & bonum, ad quod natura honimis inclinatur: omnes nanque homines naturaliter scire desiderant, & maximam scientiam maximè desiderant. 1. Metaph. cap. 1. Fitque, vt felicitas tàm actiua, quàm speculatiua sint violentæ, si contra naturalem proprietatem hominis sint; quod est præter naturam est violentum per 3. de Cęlo 18.

Recognitio VII.

OBser. 6. pag. 39. Textus 1. de Anima 64. non permittit, vt dicamus formam agere, sed compositum. *Dicere enim animam irasci est, ac si quis dicat eam texere, vel ædificare; melius enim est fortassis non dicere animam misereri, aut addiscere, aut cogitare, sed hominem anima.* Ergo ratio agendi non agit, iuxta Magistri regulam. Discipulus autem ait, Deum creare sub ratione Trinitatis: quare aut Trinitas non creat, si Licetus obseruat regulam Magistri, & per consequens negat fidem de Trinitate: aut

aut si concedit, quòd Trinitas creat, recedit à regula Magistri.

Recognitio VIII.

IN pag. 307. ex 1. Phys. 23. expenditur dictum ab Aristotele, Melissi rationem esse onerosam magis, & paralogismus eius, vt patet tùm in text. citato, tùm in 2. Elenc. cap. 5. est cum fallacia consequentis, videlicet à negatione antecedentis; sic, si quod factum est, omne habet principium: ergo quod factum non est, non habet principium. Licetus de syllogismo mihi imposito, sed erecto in secunda figura ex puris affirmatiuis dicit, ipsum syllogismũ esse onerosum, sicut est syllogismus Melissi: planè oppositum est. In argumento Melissi, secunda pars est negatiua, in syllogismo imposito, & propositiones, & conclusio sunt affirmatiuæ. Licetus ergo non intellexit errorem Melissi.

Recognitio IX.

IN pag. 59. Licetus posuerat duas naturas Angelorum, vnam eorum, qui cęlum mouent iuxta 12. Metaph. alteram eorum, qui extra cælum sunt, de quibus in 1. de cælo 100. *Neque quæ illic sunt, nata sunt in loco esse &c.* sic Licetus de Septimo Quæsitis pag. 86. 87.

1 Contradicit sibi Licetus in libr. 1. de Pietate Aristotelis pag. 36. contendit per entia extra cælum intelligendas esse tres personas diuinas: in lib. de Septimo Quæsitis vult intelligere Angelos, qui non sunt personæ diuinæ.

2 Contradicit Aristoteli, qui in 12. Metaph. à tex. 48. probat, nullas esse substantias separatas, nisi mouentes, vt exponunt vterque Alexander, Aquinas, Aragonius, Suesanus & textus ipse reuincit. Debuit præclarissimus discipulorum soluere apparentem contradictionem: sed non soluit, scili-

cet

cet non obseruauit, aliquos esse motores per modum efficientis, & hos tangere orbes: aliquos per modũ finis, eosque non tangere, sed esse extra, ex proportione ad animal, & motores eius in libro de communi motu cap. 6.

Recognitio X.

OBseruat. 37. pag. 104. Aristoteles in 2. Post. 84. vetat metaphoras demonstratori: in 6. Top. loco 7. vetat Dialectico. Licetus definit creationem per metaphoram in libro de 7. Quæsitis pag. 6. contra placitum Aristotelis.

Recognitio XI.

OBseruat. 43. pag. 116.
Obseruat. 10. pag. 60.
Obseruat. 72. pag. 216. 217. ostenduntur grauissimi errores Liceti contra regulas Logicæ de formandis syllogismis, & quod mirandum est in tota epistola de Creatione Filij Dei ad intra disputans vel contra me, vel ex se docens, nullum fecit syllogismum in forma. Consulat Lector Obseruationes indicatas.

Verùm in Obser. 72. apparet tàm destitutus facultate Logica, vt ne vnum quidem enthymema sciuerit resoluere ad formã syllogisticam: nempe Aristotelis regulas in 1. Prior. sect. 3. de resolutione Syllogismorum, & secundi Priorum de enthymemate formando, necnon 2. Post. tex. 41. & 97. de arte definiendi, & demonstrandi, aut non calluit, aut spontè transgressus est.

Reco-

Recognitio XII.

IN lib. de Septimo Quæsitis cap. 6. Quoniam ego dixeram apud Aristotelem, non reperiri, quòd creare sit facere ex nihilo, sed quòd creare est producere ex aliquo principio interno in re producta. Licetus cum alijs multis quæsiuerunt contra me, nec inuenerunt in Aristotele textum pro creatione ex nihilo; qua spe defectus Licetus, quæsiuit authoritates pro me, sed ex quatuor prolatis, vnam tantùm vtilem; nam licet in textu latino sit vox *creare* aut *procreare*: in textu tamen græco non est vox significans *creare*, nisi semel. Græcè verbum *Ctizo*, & verbum *Dimiurgeo* significant *creare*, prout patet ex D. Athanasio græcè doctissimo in Symbolo eius. Aristotelem non inueni vsum verbo *Ctizo*, sed verbo *Dimiurgeo* vtitur, & ab Interprete transfertur in latinam vocem *creare*.

Propter hanc causam inutilis est prima citatio Liceti in 2. de Generat. Animal. cap. 1. Ab eo enim, qui semen fecerit, creatum id proculdubio est. Inutilis est secunda ex libro 1. de Histor. Animal. cap. 19. Inutilis quarta ex libro 1. Magnor. Moral. cap. 10. Sola tertia est vtilis, ex 1. de Generat. Animal. cap. 18. *semen non ex cunctis secedere partibus censendum esset, sed ab agente, creatriceque tantum virtute.* Pro vocabulo *creatrice* in græco est *Dimiurgundos*. In eodem tamen cap. 18. 1. de Generat. Animal. pag. 1224. A. est. *Quod si quid eam postea creat, id causa similitudinis fuerit, non secessio ipsa.* Creat latinè, græcè est *Dimiurgi*, hoc scripsit Aristoteles, hoc Licetus non legit. Tres ergo citationes Liceti vel falsæ, vel fallaces sunt.

Licetus de Septimo Quæsitis cap. 6. pag. 43. lin. 5. ait. *De creatione verò communiter, & æquiuocè dicta, quæ cum generatione physica naturam habet eandem: ita non semel Aristoteles:* citat quatuor textus prædictos 2. de Generat. Animal.

cap. 1. 5. Hist. Animal. cap. 19. 1. de Generat. Animal. cap. 18. Magnor. 1. Moral. cap. 10. ex quibus citationibus tertia sola est vtilis; quia sola in græco habet verbum Dimiurgeo, quod verè significat Creare. Sed in eodem cap. pag. 42. lin. 24. coarctat dictum, nempè Creationem illam Aristotelicam habere eandem naturam cum Generatione physica: coarctat inquam Licetus dicens. *Quæ sane Creatio æquiuocè dicta coincidit cum generatione physica vniuersim sumpta, vel saltem cum illa coniungitur veluti pars eius*: Quamobrem Creatio ab Aristotele posita, vel est ipsa generatio physica, vel pars contenta sub generatione physica.

Ast si legerit Aristotelem in 2. Polit. cap. vlt. car. 425. B. inueniet verbum Dimiurgi de Creatore Legum.

Et in eodem cap. car. 426. E. Pitacus Legum conditor dicitur græcè νόμος δημιουργὸς quare verbum *Creare* apud Aristotelem extenditur etiam ad productionem moralem legum.

Sed & in 3. Polit. cap. 2. pag. 429. C. ait ex Gorgia Leontino; Larisseos esse, qui ab artificibus eorum fiunt: pro artificibus græcè est Dimiurgon. Amplius in 7. Polit. cap. 4. car. 539. artifices Dimiurgos, videlicet Creatores appellat δημιουργὸς. ergo verbum creandi ab Aristotele extenditur etiam ad artefacta.

In his Liceti assertis duo mihi displicent: primum, quòd creationem in Aristotele, vel esse æqualem cum generatione physica, vel minus communem ceu partem asserat. Aristoteles quippe verbum Dimiurgeo extendit ad productionem naturalium, moralium, artificialium: igitur est totum vniuersale, magis commune, quàm generatio physica: non vel æquale, vel minus commune.

Secundum, quoniam in Aristotele non reperitur *creare* nisi producere ex principio *de quo* interno in re producta, siue cor creet sanguinem ex alimento: siue legislator creet legem ex dictionibus, siue artifex mortarium creet ex lapide.

pide.

pide. Hoc ſignificatum ex Liceto in ſchola Ariſtotelis eſt impropriè, communiter, æquiuocè dictum. Ex quo igitur Ariſtotelis textu propriè dictam creationem eruemus? Melius eſt igitur aſſerere Ariſtotelem loqui propriè in Peripato. Arabes verò, vt Auerroem, Auicennam impropriè loqui, ponentes creationem eſſe factionem ex nihilo. Certè Ariſtoteles melius cognoſcebat proprietatem vocum græcarum, quàm Arabes. Qui autem non accipit terminos ab Ariſtotele, in vſu terminorum ab Ariſtotele deficit.



RECOGNITIONES ARISTOTELICÆ.

De Pietate Aristotelis.

A Cl. LICETO pratensa

APPARATVS.

SAnctus Paulus Apostolus prædicator eius, quæ secundum pietatem est, doctrinæ: in epistola ad Hebr. cap. 11. duas propositiones tanquam principia piæ fidei fidelibus credendas proponit. *Credere enim*, inquit, *oportet accedentem ad Deum, quia est: & inquirentibus se remunerator sit*. Primum ergo fundamentum pietatis, & accessus ad Deum, est credere illam propositionem *Deus est*, esse verissimam. Secundum credere istam *Deus est remunerator*.

Heb. 11.

Proinde Cl. Licetus volens ostendere Aristotelem fuisse pium in cap. 1. lib. de pietate Aristotelis probare aggreditur ab Aristot: fuisse creditam propositionem primam hanc *Deus est*. Ego non quid Aristoteles sense rit, nunc decernam, sed solas probationes expendam: vt videam, quàm benè præcellentissimus dicipulorum Aristotelis probet sui Magistri pietatem.

∴

CONCLVSIO PROBANDA.

Aristoteles credidit Deum esse.

Recognitio XIII.

PRobat duplici textu ex scripto. primus est in secundo de Cęlo 22. *Omnes enim homines de Dijs habent existimationem, & omnes eum, qui sursum est, locum Deo tribuunt, tanquam videlicet immortali immortale coaptatum sit: impossibile enim aliter. Si igitur est aliquid diuinum quemadmodum & est, & nunc dicta de prima substantia corporum dicta sunt benè.*

Ex mea Vestigat. 4. n. 14. hic textus Liceto est indicatus.

Secundus textus in primo Magnorum Moralium cap. 6. *Si quempiam eousque feceris intrepidum, vt Deos non metuat; iam non fortis, sed demens fuerit.* Probauit Licetus ab Aristotele creditum fuisse, *Deos esse,* prout in vtroque textu: non probauit *Deum esse.* Quinam autem sint Dij gentium, de quibus loquitur Aristoteles, nos ex pia doctrina discemus in psal. 95. vers. 5. *Quoniam omnes Dij gentium dæmonia: Dominus autem cælos fecit.* Credidit igitur Aristoteles Dæmonia esse cum gentibus: non credidit Deum esse cum fidelibus. Deos multos esse credere, impietas est: ex hoc antecedente falsitatem, & impietatem spirante, non licebat Liceto concludere in consequente pietatem, aut veritatem.

Ex Vestig 4. num. 19

Quia tamen hoc opus à me susceptum est ad explorandam eruditionem peripateticam Liceti vti Stagiritei discipuli, qui solus, quantum memini, Aristotelem pro Magistro citat.

Principio animaduerto tùm primam citationem esse falsam, tum textum falsificatum: quòd minimè decet discipulorum Aristotelis fidelissimum.

Falsò citat 2. de cælo tex. 22. Ego verè citaui primi de

Falsa citatio.

cęlo textum vigesimum secundum in 4. mea Vestigatione, contra quam Licetus scribit. Verùm hanc in Typographum mendam reijciet.

Textus falsificatus mutilatio medio.

Falsificat textum, non iam impressor, sed Licetus author. Sic textus. *Omnes enim homines de Dijs habent existimationem, & omnes eum, qui sursum est, locum Deo tribuunt, & Barbari, & Graci, quicunque putant esse Deos. tanquam videlicet immortali, immortale coaptatum sit; impossibile enim aliter, &c.* Falsificauit textum: ex medio textu euiscerando illã clausulam, *& Barbari, & Graci quicũqs putant esse Deos.* Clausulam istam suppressit non sine artificio, duabus de causis. Prima, quia repetitio in textu *esse Deos*, vim addit meæ opinioni, qua probo, Deos multos fuisse creditos Aristoteli. Secunda, quia clausula ommissa coarctat subiectũ illius propositionis, *Omnes enim*, qui sursum est, locum Deo tribuunt. Videri quippe alicui posset, *ab alijs* positum esse nomen *Dijs* in plurali numero. Cum dicitur *Omnes homines habent de Dijs existimationem*. Sed ab Aristotele ob studium asserendæ vnius Deitatis in secunda clausula mutatum esse numerum multitudinis in numerum vnitatis, dum scribit *Deo tribuunt* videlicet pro *Dijs Deo.* pro *Dijs* ex aliorum sensu, *Deo* ex proprio sensu. Si autem construas, *omnes & Barbari, & Graci, quicunque putant esse Deos, eum, qui sursum est, locum Deo tribuunt.* Apertissimè patet eosdem assertores Deorum multorum Deo illi, quem credunt cęlum tribuere. Deus igitur in singulari numero ponitur ab eisdem, à quibus in numero pluraliter in numero multitudinis, voce in uumero vnitatis. neque enim apud omnes gentes, vel Barbaras, vel Græcas vnus numero duntaxat erat Deus. Hunc verò sensum antiquorum esse. scilicet tribuere Dijs suis cælum, constat in secundo de cęlo textu 2. *Cælum autem, & qui sursum est, locum antiqui quidem Dijs attribuerunt, vtpotè quod solum est immortale.* Quod igitur in primo de cęlo 22. dictum est in singulari Deo tribuunt. in 2. de cęlo 2. dictum

est

est in plurali ab eisdem assertoribus multorum Deorum. Vnde colliges Dei nomen illo in loco habere significationem vnitatis genericæ, quæ singulos quosque comprehendat Deos, vel Græcarum, vel gentium Barbararum. Non enim vni, & eidem numero Deo cęlum tribuebatur ab omnibus. Voluit ergò Licetus ommittendo clausulă dictam extenuare meam sententiam, quam in 4. capite suo confutat, & confirmare suam, vel in primo capitulo, nempè falsificando textum ad falsum comprobandum.

Interim tres alias impietates in primo textu per Licetum producto deregam, præter illam capitalem *Dÿ sunt*. Ex quibus impietatibus liquescet ab Aristotele Deum Hebręorum, ac Hebræos scriptores, aut agnitos non fuisse, aut non receptos.

Tres impietates tribuit Aris. loco pietatis.

Prima impietas est. Immortalitas cęlo data; nempè æternitas à parte ante, & à parte post. Æternitas cęlo à parte ante prorsus reijcitur ab Hebræis, & Christianis; etenim in Sacro libro certissimi scriptoris sacri, idest Moysis legimus. In principio creauit, seu fecit Deus cęlum, & terram. In principio temporis, & mundi sensibilis Deus cęlos fecit. Non fuisse autem aliquid aliud à Deo actu existens ab æterno, sed solùm Deum fuisse ab æterno, tàm certum est, vt Sanctus Thomas 1.p.q.61.art.2.scripserit. *Solus Deus Patar, Filius, & Spiritus Sanctus est ab aterno; hoc enim fides catholica indubitanter tenet; & omne contrarium est sicut hareticum refutandum*. S.Bonau. quoque in 2.d.1.q.6.fund.4. *Aliquid aliud à Deo esse aternum, est hareticum, & reprobatum in Concilio Senonensi de ideis, qua ponebantur media inter Deum, & res*. In hanc hæresim Licetus incidit in libro de Septimo Quæsitis, quando à pag. 32. contendit, quòd non solus Deus fuit ab æterno, sed quod etiam Maria Virgo fuit ab æterno creata, possessa, ordinata, non tamen ad intra. Item dum sæpè repetit perennitatem cęli, & motus in eodem libro de Septimo Quæsitis, quemadmodum annotaui

Aeternitas à parte Ante in causatis est impietas.

in

in libro 5. Obſeruationum circa epiſtolam de creatione Filij Dei, errore 35.

De æternitate à parte poſt auferenda à cælo non eſt vſquequaque certum; ſed tamen Dauid in Pſal. 101. ſic Deum alloquitur. *Initio tu, Domine, terram fundasti, & opera manuum tuarum ſunt cæli. Ipſi peribunt, tu autem permanes: & omnes ſicut veſtimentum veteraſcent, & ſicut opertorium mutabis eos, & mutabuntur; tu autem idem ipſe es, & anni tui non deficient.* Contra hanc ſententiam de cęlorum initio, & fine ſcribit Ariſtoteles in 2. de cęlo textu 1. *Quod igitur neque factum ſit vniuerſum cælum, neque contingat ipſum corrumpi, quemadmodum quidam dicunt, ſed ſit vnum, & ſempiternum &c. ex dictis licet fidem accipere.*

Deum eſſe non poſſe ſine cauſatis, impietas.

Secunda impietas. Immortalitatem Dei eſse non poſse ſine immortali cęlo. Imò certiſſima Hebræorum doctrina eſt; Deum ab æterno extitiſse ſine vllo corpore vſque ad primum inſtans temporis, in quo Deus fecit cęlum, & terram, & alia corpora ſimplicia, quæ ſex primis mundi diebus diſtinxit, & ornauit. Similiter ex certa Hebræorum doctrina, ſi Deus velit, omnia corpora à parte poſt in nihil ruerent, ſicut à parte ante facta ſunt ex nihilo iuxta atteſtationem in 2. Machab. 7. ſimpliciter ergo immortalitas Dei poteſt eſse ſine cęlo ſibi coaptato.

Deum non eſſe vbiq; per eſſentiam, & præſentiã, impietas.

Tertia impietas eſt; ponere Deum per eſſentiam, vt præſentiam in ſolo cęlo immortali: in corporibus mortalibus non ponere Deum eſse indiſtantem per eſsentiam, & præſentiam. ſed per ſolum motum, & operationem, per quam operationem Deus cuncta ſubcæleſtia mediatè gubernat, ſicum Rex regnnm, eſt Ariſtotelis ſententia. Impoſſibile enim eſt aliter, videlicet immortali Deo, mortale quippiã eſſe coaptatum. Quam tamen Ariſtotelis aſsertionem Licetus in libro de Septimo Quęſitis conatus eſt non modo ex Ariſtotele, qui fortè ita ſenſit: ſed etiam ex Sacris literis aſſerere, atque Deo aſſignare cęlum, ne ſit vbique totus. At

im-

impietas est, immensitatem Deo adimere. Legatur liber Liceti de Septimo Quæsitis ad pag. 5. & pag. 228. cum ponit Deum vbique per modum causæ *conseruantis*, *& non aliter*. quod in Obseruatione 29. aduersus ipsum ostendi, quàm sit absurdum.

Itaque cum Deus verus propter Immensitatem sit secundum Sacras Hebræorum literas in cælo, in inferno, vbique. Propter sufficientiam possit semper esse absque rebus ab eo essentialiter diuersis: imò, & extiterit ab æterno sine cęlo vsque ad principium temporis, in quo principio cælum factum est. Propter Æternitatem, nullam aliam rem coæternam Deus habuerit: Dei æternitas, sufficientia, immensitas offenduntur ex prima, quam Licetus citat, authoritate. Nunquid colligunt de spinis vuas, aut de tribulis ficus? Licetus tamen in Aristotele probare contendit ex falsitate veritatem produci, ex impietate pietatem, ex perfidia fidem. Tribus hisce impietatibus illa principalis accedit in vtraque authoritate, qua *Deos esse* docuit Aristoteles. Qui Deos esse credit, sine Deo est: Deumque esse non credit, qui vnus solus est verus Deus. Doceat nos hanc rem Apostolus Paulus scribens Ephesijs ad Deum verum conuersis cap. 2. vers. 11. *Memores estote, quòd aliquando vos eratis gentes in carne, qui dicebamini præputium ab ea, quæ dicitur circumcisio in carne manufacta: qui eratis illo tempore sine Christo, alienati à conuersatione Israel, & hospites testamentorum, promissionis spem non habentes, & sine Deo in hoc mundo*. Omnes homines de Dijs habent existimationem, scribit Aristoteles; Omnes gentes fuisse sine Deo, contradicit Paulus. Sanctus Hieronymus tom. 6. car. 231. D. in Commentario super epistolam ad Ephesios Apostoli sensum explanat sic. *Sine Deo in mundo; non quo plures Deos, antequam in Christum crederent, Ephesij, non habuerint, atque venerati sint; sed quo qui absque Deo vero sit, nullum Deum habeat*. Hisce igitur textibus, quibus Licetus probat, Aristotelem credidisse

Psal. 138.

Deos esse credens sine Deo est.

S. Paulus.

S. Hieron.

Deos esse: probat ab Aristotele nullum Deum creditum fuisse. Probat credidisse multos Deos, hoc est Dæmonia Dei nomine honorata, & adorata falso cultu: atque adeò fuisse sine Deo in hoc mundo. Qui verum Deum non cognoscit, nullum Deum re vera cognoscit, quia nullus est Deus, nisi ille verus.

Poterat vtique Licetus afferre textus alios, qui vel apparenter Deum verum Aristoteli creditum fuisse, suaderent: & pluralitate Deorum, piorum oculos, & aures non offenderent. Exempli causa produco textum ex libro 7. ad Eudemum ad finem: sic Aristoteles. *Quæ igitur electio, possessioque natura bonorum, vel corporis, vel amicorum, vel reliquorum considerare maximè Deum facit, præstantissima est, atque hic terminus est pulcherrimus. Quæ verò vel ob defectum, vel ob excessum considerare, colereque Deum permittit minimè, ea est pessima; atque sic quidem res habet animæ, & hic terminus eius præstantissimus est.* Non deerant alij textus similes, nisi Licetus Magistro suo pro pietate impietatem impingere voluisset.

Arist. 7. ad Eudem.
Piè dixit, si piè intellexit.

APPARATVS.

ALios textus à Liceto non transcriptos, sed indicatos referre, & dijudicare iustum est.

Ad probandum quòd Aristot. crediderit hanc *Deus est*, Licetus non ascripsit: sed tamen in primo capite sui libri citat in margine textus sequentes.

1 In primo Metaph. cap. 2. Deum esse causam, & principium rerum omnium.

2 In 7. Eudem cap. 18. Deum esse in vniuerso, & vicissim cuncta in illo, mouerique omnia ab inexistente in nobis numine.

3 In 7. Eudem. cap. 19. Deum imperare non iubendo.

4 In 12. Metaph. 39. Deum esse sempiternũ, optimũq; viuens.

5 In

5 In 1.cęli 32. Deus nihil frustra facit.

Has authoritates citatas per ordinem scrutemur, & quàm rectè Aristoteles Magister à Liceto, per antonomasiam discipulo afferatur, recognoscamus.

Recognitio XIV.

PRima citatio ex lib. 1. Metaph. cap. 2. est. Ita in textu legimus. *Deus etenim tùm causa omnibus esse videtur, tum quoddam principium.* Licetus verò citat sic, *Deum esse causam, & principium rerum omnium.* In textu est *omnibus*, Licetus substituit *omnium rerum*: *Omnibus* est datiui casus tàm in græco, quàm in latino, & construitur cum verbo *videtur*; non cum substantiuo *principium*. Nam verbum videtur duo postulat, id quod videtur, & est *Deum esse causam, & principium*; *& cui videtur* nempè omnibus, vel hominibus, vel sapientibus. Mos Aristotelis est præclaras quasdam propositiones ex communi hominum, vel sapientum consensu probare vt 1. Post. 7. comprobatur definitio ipsius scire; in 4. Phys. 30. sic ostenduntur conditiones loci. In 1. de Anima 1. notitia esse bona, & honorabilis. In 1. Metaph. 1. Omnes desiderare scientiam. Consimiliter & hoc loco, Deum esse causam, & principium ita probat; quia ita hoc *omnibus* videtur. Non licuit Liceto vertere vocem *omnibus* in vocem *omnium*. Neque pro hominibus, vel Sapientibus *omnibus* scribere *omnium rerum*. Neque licuit construere cum relatiuo *causam, & principium* datiuum *omnibus*.

Ex Vestig. 4. mea nu. 29. falsò applicat,

Omnibus hominibus vertit omniũ rerum.

Rursum ex capite de his, quæ ad aliquid in Prædicamentis notatum est, relatiuum cum suo correlatiuo construi in casu determinato: quandoque in genetiuo, vt pater filij pater, causa causati causa: quandoque in datiuo vt vicinus vicino, ęqualis ęquali ęqualis, quandoque in ablatiuo, vt minus maiore, maius minore. ideò scitè Licetus veri-

tate ductus, correlatiuum causæ, & principij construxit in generiuo *causam, & principium rerum omnium*; sed non scitè *omnibus* vertit in *omnium*.

Aphrodiseus verior Liceto.

Non accuratè item dixit Licetus, Deum esse causam, & principium omnium rerum: accuratius vtique Aphrodiseus declarat dicens. *Causam cæterorum.* Deus quippe non causat omnes res, nam in hoc vniuersali *res omnes*, etiam Deus est; quare ex vi loquutionis Liceticæ, Deus esset causa sui ipsius, quod est impossibile: quamobrem Deus est vna res, quæ est causa cæterarum rerum, non omnium rerum, vt Licetus perperam scripsit. Igitur genetiuus vniuersalis *omnium rerum* contrahatur hoc pacto, Deus est causa, & principium omnium rerum aliarum à Deo.

Falsificauit textum per additionem

Amplius Aristoteles dixit profectò, *Deum esse causam*, sed quorum causatorum Deus sit causa, non dixit; nam si motus cęli non est factus aliquando: si cęli, & cęlorum motores non sint facti, certè neque sunt essentialiter ordinati à priori ad primum finem, vti volunt non pauci ex Peripateticis. Aristoteles cautè noluit exponere, an Deus esset causa omnium causatorum, an quorundam, vt puta generabilium, sicut exposuit in 2. de Generatione tex. 59. *Reliquo modo compleuit totum Deus, continuam faciens generationem*. Sanè desideramus dici ab Aristotele, Deum esse *causam omnium aliorum*, ita expresè, sicut expresè dicitur, factor generabilium, & generationis. Sed Licetus falsò citauit in textu, quòd in textu non est.

2. de generat. 59.

Falsa citatio.

Affero ad examen istius citationis textum integrum, in quo Philosophus probat sapientiam esse scientiam diuinissimam: ait autem. *Talis verò bifariam dumtaxat vtique fuerit; nam & illa, quam maximè Deus habet, diuina scientiarum est; & si qua est, quæ diuinorum sit; hæc autem sola vtrumque consequuta est; Deus enim tùm causa omnibus esse videtur, tùm principium quoddam; & talem, aut solus, aut præcipuè Deus habet.* Hæc Aristoteles.

Ad cuius textus illustrationem afferam quantum satis est ex Doctore Angelico illustrem commentarium.

Aliqua, inquit, *scientia dicitur esse diuina dupliciter, & hac sola scientia vtroque modo diuina dicitur. Vno modo scientia dicitur diuina, quam Deus habet. Alio modo, quia est de rebus diuinis. Quod autem hæc sola habeat, vtrumque est manifestum: quia cum hæc scientia sit de primis causis, & principijs: oportet, quòd sit de Deo, quia Deus hoc modo intelligitur ab omnibus, vt de numero causarum existens, & vt quoddam principium rerum. Item talem scientiam, quæ est de Deo, & de primis causis, aut solus Deus habet, aut si non solus, ipse tamen maximè habet.* Qui plura volet legat citatum commentarium. *Doc. Angelicus.*

Ex ista declaratione constat, primò, signum vniuersale *omnibus* referri ad homines intelligentes, non ad causata, vt Licetus citauit. *primus error Liceti circa textū*

Secundò, Deum esse principium, vel rerum indefinitè, vel cæterarum rerum, non autem *omnium* vt Licetus falsò citauit: nam si diceretur omnium rerum Deus esse causa, vel Deus non esset aliqua res, vel esset causa sui. *Secundus.*

Tertiò superius citando textum 22. 1. de cęlo falsificauit textum per detractionem vnius clausulæ: nunc falsificat per additionem signi vniuersalis. *Tertius.*

Quartò. Vnam partem minoris probandam esse istam; Hæc scientia est de rebus diuinis. Probat Aristoteles, quia de Deo est. Tunc interrogo? An hoc nomen *Deus* accipiatur, vt vnum singulare, an vt vnum vniuersale? Si secundum detur, ergo Aristoteles agnouit multos Deos in ista scientia considerari. Si primum, iam ex singulari vniuersale, ex vno multa concludere, est sophisma consequentis. Quod cum Aristoteli non videatur esse tribuendum; iuxta regulam Liceti in libro 2. de Pietate Aristotelis cap. 6. quando Aristoteles nominat *Deum* nominat omnes substantias separatas, quin & alia plura. Quocirca ex isto textu pluribus *Quartus.* *Deus qui significat Aristot. ex Liceto.*

ribus modis violato non conficitur prætensa pietas Aristotelis.

Recognitio XV.

SEcunda citatio est à libro 7. ad Eudemum cap. 18. qua tamen authoritas est in meo codice cap. 14. Talis verò est. *Deum esse in vniuerso, & vicissim cuncta in illo, mouerique omnia ab inexistente in nobis numine.*

Multa dicuntur ab Aduersarijs fidei catholicę eisdem verbis catholicorũ, sed si dicentes examinentur, deprehenduntur valdè diuersa sentire. Verba hæc à Liceto citata videntur esse consentanea cũ fide catholica: sed tamen magnopere discrepant. Nec enim ponit Licetus ad mentem Aristotelis, Deum esse in omnibus, & omnia in ipso, nisi mediante motu, siue operatione. Etenim Licetus in Epistola de creatione Filij Dei ad intra, hoc est in libro de Sep. Quæsitis imitatur Manichæos. Manichæi relegarunt in regione lucis Deum, Licetus in regione pacis, hoc est in cælo. Sub celo Dei substantiam in regione hac turbida non adesse asserit: sicut in eodem libro ad pag. 122. euoluit. Et in pag. 228. scribit. *Non enim aliter in Deo cuncta sunt, quàm in causa res omnes in esse conseruante, quomodo alibi dicit Magister, aliquid esse in aliquo, vt in Rege Græcorum res, omnino in primo mouente.* Secundum veritatem Deus est in omnibus rebus per essentiam indistans, per præsentiam cognoscens, per potentiam efficiens, & conseruans, atque mouens. Hoc tertio modo, *& non aliter* asserit Licetus cuncta esse in Deo. Quamobrem cuncta non erunt in Deo, vt cognita in cognoscente per præsentiam: cuncta non erunt in Deo per essentiam Dei immensam omninò indistantem ab essentia, potentia, operatione aliarum rerum. Talem Deum essentia limitatum ad certum locum, ignorantia obtenebratum, ne cognoscat alia à se, iuxta Licetum Aristoteles agnouit; & quantum

Essentia Dei ad cælũ arctata.

Manichæi.

Liceti verba.

ad vnam partem, nempe quòd ſubſtantia Dei ſit in orbe, non in terra, videtur eſſe doctrina Ariſtotelis in 8. Phyſ. 84. & in 1. de cælo 22. atque 2. de cęlo 2. Talis Deus non eſt verus Deus, non eſt Deus creditus à fidelibus Hebræis, vel Chriſtianis: igitur Deus verus ab Ariſtotele non eſt creditus, quantum colligi poteſt ex iſto textu: Deus enim verus eſt immenſus. Conradus Vorſtius Caluiniſta, & Licetus Medicus noſtro æuo, Deo tollunt immenſitatem: ſed Licetus etiam omniſcientiam. Quin & omnipotentiam limitat, dum ponit omnia eſſe in Deo tamquam in mouente res præexiſtentes; non tamquam in faciente res non exiſtentes. Talem Deum credere eſt impietas, non pietas. Videbantur Ariſtotelis verba patenter ſonare pietatem, ſed iuxta expoſitionem Liceti latens impietas aperitur, ac Deus non Deus aſſeritur: Deus nomine, non Deus re. *Mouens vt mouens nō eſt faciens mota*

Quid ſi etiam hoc loco Ariſtoteles per nomen Dei iuxta morem ſuum ſignificet vniuerſum genus mentium ſeparatarum (prout Licetus lib. 2. de Pietate Ariſtotelis cap. 6. paulò ante relato) cum Piccolomineo ſuſtinet? Nonne & hinc eruemus Ariſtotelem credidiſſe, *Deos eſſe*, non *Deum eſſe*? Non eſt ſatis authoritates proferre, ſed neceſſe eſt, quod in authoritatibus eſt virtualiter, & potentia, educere in actum per euidentem, & neceſſariam conſequentiam, hoc eſt per ſyllogiſmum in forma. Sed Licetus non ſolet ſyllogiſmos in forma erigere, prout in obſeruationibus contra ipſum ſæpè dixi. Et in hoc libro de pietate Ariſtotelis quantum video, non video multos ſyllogiſmos in forma. Sed ſi aliquem reperero, non grauatè laudabo.

Recognitio XVI.

TErtia citatio ex libro 7. ad Eudemum cap. 19. mihi vltimo, adducitur in hæc verba. *Deum imperare non iubendo.* Afferamus textum integrum, vt agnoſcamus, an in *Ex Veſtig. 2. num. 62 accepta.*

eo

eo sit pietas apparens, an existens. *Oportuit igitur iuxta quod imperat, iuxtaque habitudinem, & actionem imperantis vitam instituere, velut seruus iuxta Domini, singulaque iuxta conuenientem suum principatum: quandoquidem, & homo ex imperante, subditoque constituitur; ac vnumquodque necessum habet ad principis sui mores accomodare. Is autem duplex est, aliter enim medicina, alter sanitas imperat, & huic illa destinatur. Sic & in contemplatiuis Principatus habet. Neque enim iubendo Deus imperat, sed cuius gratia prudentia est.* Vnusquisque igitur debet accommodare proprias actiones, & mores ad imperium Principis imperantis. Princeps imperans est duplex, vnus est medicina, quæ iubet effectiuè, quid sit agendum, vel non agendum gratia sanitatis. Hic Princeps imperat iubendo, & effectiuè. Alter Princeps imperet, vt sanitas, non effectiuè iubendo, sed finaliter, & non iubendo. Istam vltimam partem citauit Licetus, Deum imperare non iubendo, hoc est imperat in genere finis, non in genere efficientis: imperat vt sanitas, non vt medicina iubendo. Igitur Deo attribuit causalitatem finalem, negat effectricem. Impium dogma, & contra primum articulum Symboli Niceni. Credimus in vnum Deum Patrem Omnipotentem Factorem visibilium omnium, & inuisibilium. Secundum veritatem, Deus est α & ω principium, & finis. Secundum hanc Liceti doctrinam Deus imperat vt sanitas, vt finis, vt Omega: non vt medicina, vt efficiens, vt Alpha. De hisce Dijs, qui nihil faciunt, Ieremias Propheta zelo diuini amoris accensus in cap. 10. ver. 11. scripsit. *Dij, qui cælum, & terram non fecerunt, pereant de terra, & de his, quæ sub cælo sunt.* Non dixit, pereant de cęlo, quia in cęlo nec re, nec nomine sunt: sub cęlo sunt nuncupatione nominis ad placitum malæ voluntatis humanæ, vel diabolicæ, aut ob ignorantiam deficientis intellectus.

Cæterum & hæreticum, & apostaticum est asserere, quòd Deus non imperat iubendo: Sic etenim omnia, quæ Deus

iussit in sacris litteris, & sacris traditionibus, negantur esse iussa Dei.

Olim singulare fuit habere Deum iubentem, prout habuere Hebræi in Deuteronom. 4. vers. 7. & 8. *Nec est alia ratio tàm grandis, quæ habeat Deos appropinquantes sibi, sicut Deus noster adest cunctis obsecrtionibus nostris. Quæ est enim alia gens sic inclita, vt habeat cæremonias, iustaque iudicia, & vniuersam legem?* Sacro historico sacer poeta concinit in ps. 147. *Qui annuntiat verbum suum Iacob, iustitias, & iuditia sua Israel. Non fecit taliter omni nationi; & iuditia sua non manifestauit eis.* *Deut. 4.* *psal. 147. iudicia sua*

Nunc autem Deus legem suam, & iusta omnibus gentibus manifestauit per prædicationem Saluatoris, & Legislatoris Christi, qui legem suam per vniuersum mundum prędicari mandauit Matth. 28. *Euntes, docete omnes gentes: baptizantes eos in nomine Patris, & Filij, & Spiritus Sancti: docentes eos seruare omnia, quæcunque mandaui vobis.* Aristoteles, neque speciales iussiones Dei Hebræis datas agnouit, nec vniuersales à Deo dandas prænouit: propter hoc dixit Deum non iubendo imperare per modum medici. Porrò Deus imperauit solis Hebræis, vt Medicus per Angelos suos. Excipe paucos, & particulares homines, vsquequo magnus de cęlo venit medicus Filius Dei, totum genus hominum ad salutem adducturus. Conficitur ergo, quòd Aristoteles non nouerit Deum Hebræorum, & legem à Deo datam illis: sed solos Deos gentium, nimirum Dæmonia. Certè Deus verus imperat iubendo: Deus Aristotelis non imperat iubendo. Ergo Deus Aristotelis non est verus Deus, nec Aristoteles cognouit Deum verum esse. *Matth. 28.*

Recognitio XVII.

QVartum textum proponit Licetus è 12. Metaph. 39. Deum sempiternum, optimumque viuens esse. Ita qui- *Ex Vestig. 4. num. 20. & 21. item nu. 29*

quidem transtulit Bessarion; in margine tamen annotatum est pro voce *viuens*, scriptum esse in Græco textu ζῶον *Animal*. Debuit diligentissimus discipulorum fideliter aduertere à suo Magistro scriptum esse, Deum esse Animal. Ast vocem animalis odiosam Christianis doctoribus & populis futuram, sciens, & volens ommisit, quàm tamen ego in Vestigat.4. num.20. expendi, & num.21. deduxi ex illa voce plures Deos constitui ab Aristotele.

Similiter in declaratione *optimi*. Ego in Vestigatione 4. eadem num. 18. probaui cum Aristotelis textu transcripto ex libro in Zenonem, probaui inquam, particulam *optimum* pluribus Dijs conuenire. Dicebat Zeno, Deum esse præstantissimum, potentissimum, atque optimum: confutat Aristoteles dicens. *Id autem ex lege minimè videtur, sed in multis præstantiores sese mutuo esse Dij dicuntur*; & infra. *At Deum ita esse præstantissimum, intelligit nemo; sed quia ipse, quàm optimè fieri potest, affectus est; nihilque ei, quo minus benè, & rectè sese habeat, deest: quippe cum ita sese habenti, simul illud etiam eueniat, necesse sit. Ita verò esse affectos, etiamsi ipsi plures sint, nihil vetat: vt omnes, quàm optimè fieri potest affecti, & præstantissimi erga alios, non erga se sint.* Igitur Dij si comparentur ad non Deos, sunt præstantissimi; si verò comparentur inter se alius alio melior, præstantiorq; est. Lector decernat, An sincerius citauerim ego, vt nullum in sententia Aristotelis fallerem: an Licetus, qui speciosis verbis turpem sensum contexit. Deus ergo in genère acceptus, est sempiternum, & optimum viuens: ita vt ista descriptio conueniat cuilibet Deo in specie, vel in singulari accepto. Deus enim est nomen vnum genere: quod Licetus ipse confitetur. in libro de pietate Aristotelis 2.cap.6.id, quod infra referam: Interea hic textus est de multis Dijs, quos Aristoteles credidit esse, non autem credidit vnum solum Deum esse.

Reco-

Recognitio XVIII.

QVinta citatio est ex 1. de cęlo 32. Deus nihil frustra facit. Infidè citat, quia textum mutilat; textus integer est. *Deus, & natura nihil frustra faciunt.* Ne citaret integrè, naturam ommisit: volens hoc tanquam priuilegium Dei esse, Deus nihil frustra facit. Quid per nomen Dei accipere debemus, multos Deos, an vnum? possemus coniectari ex 12. Metaph. 38. loquente de primo mouente immobili. *A tali ergo principio tùm cælum, tùm natura dependet.* Vbi natura est inferior cęlo, sed & natura, & cęlum sunt inferiora principio mouente immobili. Inde videtur consequi nomine Dei comprehendi, & cęlum, & primum principium: vtrumque enim est supra naturam.

APPARATVS AD SEQVENTIA.

Primum fundamentum.

AD hunc textum, quem nunc consideramus & ad alios consequentes duo proponam fundamenta, vnum à Liceto desumptum, alterum ex mea Vestigatione 4.

Primum fundamentum ex Liceto est in libro 2. de pietate Aristotelis cap. 6. car. 113. Liceticis verbis relatum.

1 *Praterea verò Dei nomen Aristoteles non rarò tribuit secundis intelligentijs infra summum Deum.* *Licetus car. 113. lib. de pietate.*

2 *Tum supra cælos omnes, ac (1. cæli 100. & 10. Ethic. cap. 8.) extra mundum sensibilem degentibus vitam beatissimam.*

3 *Tùm cælestia corpora (1. cæli 22. 2. cæli 2. & 14. 12. metaph. 50.) mouentibus.*

4 *Tùm etiam vbique (2. de partibus cap. 5. 1. polit. cap. 1. 7. polit. cap. 14) locorum in mundo degentibus. Quod aperte*

tè testatur (1. cæli comment. 32.) Piccolomineus, inquiens. Censeo Aristotelem dicentem, Deus & natura nihil frustra faciunt, suo more nomine Dei denotare vniuersum genus separatarum mentium, quarum caput est Deus: sic in 8. phys. & in 12. metaph. ea, quæ protulis de primo motore, dixit debere intelligi de vniuerso genere.

Confessione igitur clarissimorum Peripateticorum Piccolominei, & Liceti confirmatur, ab Aristotele multos Deos esse positos sub vno Deo vt capite; atque more Aristotelico *Dei* nomen significare vniuersum genus separatarum mentium, non autem vnum numero Deum.

Confirmatur etiam, quod in 1. de cęlo text. 32. cum Aristoteles dicit, *Deus, & natura nihil faciunt frustra*. Dei nomen significat vniuersum genus separatarum mentium, non autem vnum numero Deum, quod paulò ante dicebamus. quare Aristoteles credidit Deos esse multos, non esse vnum solum, atque adeò non credidit, *Deum esse*.

Similiter in 12. metaph. ex Liceti, & Piccolominei consensu, quando dicitur, Deum esse sempiternum, & optimum viuens: hoc dicitur de vniuerso genere separatarum mentium.

Quod autem Piccolomineus inter Deos vnum posuerit tanquam caput, consentit cum Aristotele laudante Homerum in libro de communi motionis causa cap. 4. car. 1480. *de co. motu* Carmina Homeri, quibus Iupiter Deorum summus asserit se ab omnibus Dijs, Deabusque non posse de cęlo in terram deduci, sunt hæc

Sed vobis nunquam cęlo deducere ab alto.
Ad terram dabitur summumque, sciumque tonantem:
Non si peruigili studio, multoque labore.
Dijque, Deæue omnes pariter trahere inde velitis.

Itidem & in 1. de cęlo 100. Primum, ac maximè summum diuinorum omninò immobile esse probatur. *1. cæli 100* *Neque enim aliud melius est, quod moueat, illud enim esset vtique diuinius.*

Nam

Nam inferiores Dij, & Deæ videntur moueri à primo vt summo, quia habent aliquid se diuinius.

Sic nos cogit doctrinæ consequentia exponere illud 2. metaph. 4. de omnibus motoribus separatis. Textus est. *Propter quod principia semper existentium necesse est verissima esse: nec enim aliquando vera: nec illis vt sint aliquid aliud causa est, sed illa cæteris.* Genetiuus *semper existentium* potest bifariam construi iuxtà notationem in 2. Elenc. cap. 4. vbi & Aphrodiseus legatur: potest construi primò in recto, vt sensus sit, principia *semper existentium*, idest principia semper existentia: quemadmodum in 1. Post. tex. 1. *Mathematica scienciarum*, est idem quod *Mathematica scientiæ*. Secundò potest construi, vt iacet in genetiuo ità, vt aliud sint principia, aliud sint principiata semper existentia, quæ construuntur in genetiuo, ex vi correlationis; sensusque erit principia principiatorum semper existentium, sunt verissima. Vtroque modo construendo ponuntur plura principia verissima, & incausata, quæ quidem principia sunt causa veritatis cæteris, neque ipsis principijs *aliud est causa, vt sint vera*. Quamohrem plura principia incausata in entitate, & veritate asseruntur ab Aristotele esse verissima, atque ista principia incausata sunt Aristotelici Dij. Nobis autem, & fidelibus omnibus vnum solum est principium incausatum, non multa: illudque solum est Deus, nihil aliud est Deus, nisi æquiuocè: scilicet cum Deus dici possit *natura, participatione, nuncupatione.* Vnus solus est naturâ Deus, & vniuocè acceptus. Aristoteles in hac doctrina vniuocè multa principia incausata ponit, multa verissima, multos Deos: iuxta gentilium errorem. Atque hoc sit primum fundamentum: Aristotelem more suo per nomen *Dei* significare vnum genere, sub quo multæ species, & multa singularia: non autem significare vnum numero Deum, nisi adijciatur aliquid restringens, vt primum diuinorum, vel vltimum. *2. metaph.*

Denique illud aduerto, Licetum sub Dei nomine compre-

prehendisse quatuor supra narrata, ommisisse cælum, quod etiam appellatur Deus 2. de cælo 17. sicut in Vestigat.4.nu. 14.& indicatur etiam 8.Phys.64. cum ponitur aliquis Deus, qui mouetur. Cęlum autem est Deus habens sempiternum motum, & immortalem operationem, ac vitam sempiternam: vnde, & cęlum continetur sub illa definitione, Deus est sempiternum, & optimum viuens. Viuens optimum iuxtà declarationem in libro contra Zenonem: quia cęlum est affectum, quàm optimè fieri potest. Ex isto fundamento primo manifestum est Aristotelem credidisse, *Deos esse*, non credidisse *Deum esse*, quod probare volebat Licetus. Qui autem credunt Deos esse, sine Deo sunt. Etenim si quis concipiat rectè ipsum Dei nomen, Deus est ens sine omni imperfectione, & cum summa perfectione essentiali. Si quis autem tentet Deum, vel Deitatem diuidere in duas essentias, vt sint alius, & alius Deus essentialiter, ille non diuidit à parte rei Deitatem, quæ est prorsus indiuisibilis, sed diuidit figmenta mentis suæ inuoluentia contradictionem, qualia sunt centaurus, chymera, & alia huiusmodi. Etenim Deus nullam prorsus habet imperfectionem; diuisio essentialis est magna imperfectio, ergo simul ponitur Deus sine imperfectione omni, & cum imperfectione diuisionis essentialis.

2. cæl. 8. phys.

Qualis sit Deus. Indiuisibilis essentia Dei.

Diuisio ponit potentiam, & actum 7.Metaph.49. Igitur Deitas diuisibilis est in potentia passiua ad actum diuidentem actiuè, & in potentia subiectiua ad actum diuidentem formaliter, ita Deus non erit actus purus.

Ex actu, & potentia fit compositio: Deitas ergo erit componibilis cum actu diuidente; ita tollitur summa simplicitas Dei.

Ex partibus vt potentia, & actu consurgit totum; pars est ens diminutum, videlicet pars est minor toto: igitur Deitas, quæ cum actu componitur, est minus perfecta, quàm actus & minus perfecta, quàm totum.

Par-

Partes internæ sunt, vna potentia, & est ipsius actus gratia: atque ambæ tùm potentia, tùm actus sunt gratia totius habentis completam entitatem; quare partes sunt causatæ in genere finis, atque depen dentes à fine: ita Deitas, si est essentialiter diuisibilis, erit dependens, causata, composita, diminuta, potentialis, imperfecta; qui ergo indiuisibilem Deitatem diuidit in multas, multa figmenta componit, & intelligit, sed Deum non intelligit.

Acutissimè in lib. Sap. 14. scribitur. *Hæc fuit vitæ humanæ deceptio, quoniam aut affectibus, aut Regibus deseruientes homines*, Incommunicabile *nomen, lapidibus, & lignis imposuerunt*. Dei nomen est communicabile in eadem numero essentia: vt à Patre, Filio: ab ambobus Spiritui Sancto communicatur eadem Deitas, idem Deus formaliter, & in quid. Sic ad intra. Ad extra verò, idest alijs essentialiter distinctis Dei nomen, est formaliter, & in quid incommunicabile, prout in illum Sapientiæ locum S. Bonauentura exponit. Siue igitur Dei nomen communices lapidibus, & lignis, vt idolo Iouis, & Mineruæ: in idolis nihil Deitatis est, sed ficta Deitas illis tribuitur. Siue communices hominibus repræsentatis, vt Ioui Cretensi, & mulieri, quæ Minerua vocabatur: in eis nihil Deitatis est. Siue communices Dæmonibus præsidentibus in idolis: in Dæmonibus nihil Deitatis est. Siue communices motoribus separatis, vt Aristoteles fecit: in illis nihil Deitatis est. Si denique etiam Angelis sanctis communices Dei nomen *ex natura*. In Angelis nihil Deitatis est in quid, & formaliter. Atque iam olim in concilio Laodiceno idololatria, & cultus diuinus Angelis exhibitus proscriptus est, & ab Apostolo damnatus. Proinde, qui duos Deos alium, & alium essentialiter diuersos intelligit: nullum Deum intelligit, sed duo figmenta mentis suæ, duo implicantia contradictionem intelligit.

Quid ad intra, ad extra, docet S. Bo. 1. d. 19. q. 2.

secundum fundamentum proponitur .

IN Vestigatione quarta peripatetica num.2. & 43. docui eos, qui probare volunt secundum Aristotelem, Deum esse vnum; non rectè probare, quando probant primum motorem esse vnum, primam causam, primum finem, principem entium esse vnum. Propterea quod alia est ratio motoris, alia Dei, atque ita de alijs. Quando autem in vna re plures rationes concurrunt, si quid affirmatur, vel negatur de vna ratione, illud non necessariò affirmatur, vel negatur de alia, sed incurritur fallacia accidentis: veluti si in eodem singulari homine sit esse album, & esse musicum: si inferas esse album est habere qualitatem visibilem. ergo esse musicum est habere qualitatem visibilem. Et è contra esse musicum est habere formam spiritualem: igitur & esse album est habere formam spiritualem. Ideò & Logicorum Dux in 2. Elenc. cap. 4. post allata sophismata accidentis regulam tradit. *Manifestum enim est in omnibus his, quoniam non necesse est, quòd de accidente dicitur, & de re verum esse; solis enim ijs, quæ secundum substantiam sunt indifferentia, & quæ vnum sunt, omnia videntur eadem in esse.*

1. est fallacia accidentis.

Quando igitur ex partiali identitate arguitur identitas totalis, vel ex partiali *diuersitate, diuersitas* totalis, est deceptio accidentis.

Quo autem pacto discernatur, plures & diuersas esse rationes, quæ in eodem coincidunt, posset ex lib.7. Topic. probari. Ego loco relato vnam attuli regulam. Si in eadem re proponantur aliqua duo, & vnum communicetur alicui, alterum non, aut vnum communicetur pluribus, alterum paucioribus: illa duo sunt plures, & diuersæ rationes. Quare si aliquod prædicatum attribuitur vni rationi, aut subiecto sub

illa

illa ratione,& aliquis velit illud prædicatum attribuere alteri rationi, incidit ratio extranei, & fallacia accidentis. PorrS ratio Dei ab Aristotele communicata est rebus sempiternis, & viuentibus optimis, vt *motoribus separatis* in 12. Metaph. 50. vt *Cælis* 2. de cęlo 17. Ratio motoris, vel causæ, vel Principis communicatæ sunt rebus corruptibilibus multis, atque mortalibus, vt ignis est causa caloris, nauta mouet nauim, Rex Gallorum est Princeps. Ergo ratio Dei, & ratio motoris, causæ, Principis sunt diuersæ: quocirca si quid attribuitur alicui subiecto secundum vnam rationem, non necessariò conuenit alteri rationi, sed fiet paralogismus accidentis, vt Aristoteles est vnus numero, homo est Aristoteles, & è conuerso, Aristoteles est homo. Ergo homo est vnum numero, quod falsum est, cum sit vnum specie. Simili ratione argumentabere, *substantiam* esse vnum numero, & *ens* esse vnum numero. Sic soluebam rationem talem. Primum mouens est vnum, primum mouens est Deus: ergo Deus est vnum. Eadem ratione dicebam, primum mouens est vnum, primum mouens est ens: ergo ens est vnum, quoniam alia est ratio mouentis, alia entis, vel Dei.

Primum fundamentum in pagina 27. propositum commune nobis erit ad multa dicta Liceti. Hoc secundum fundamentum peculiare erit pro secundo capitulo Liceti; in quo Licetus vult ostendere Aristotelis pietatem, quoniam docuit cultum vnius Dei, & detestationem multorum Deorum. Ego quidem in mea Vestigatione quarta ferè quinquaginta textus Aristotelis posui, in quibus plures Deos proponit. Nunc autem præter dictos textus, alios decem profero: in quibus expresse *Deos* loquitur Philosophus. Posthac inquiremus textus à Liceto prolatos, in quibus nunquam habetur expresse, quòd Deus vnus sit colendus, vel quòd Aristoteles neget expresse, ac detestetur multitudinem Deorum. Aliud enim est expressas Aristotelis afferre sententias; aliud per extortas, & vt plurimum fallaces con-

ſequentias probare, aliquid eſſe dictum ab Ariſtotele.

Deos multos Ariſtoteles aſſerit.

PRimus locus eſt in 2. Rhetoricorum cap.23. pag.690. D. vbi Ariſtoteles locum rhetoricum probat ex authoritate Xenophontis. Locus eſt. Si conſequens eſt idem, & antecedens eſt idem, vt Xenophons dicebat. *Similiter eſſe impios, qui naſci affirmant Deos, & qui mori dicunt: vtroque enim modo contingit, vt non ſint aliquando Dÿ*. Sæpiuſque ex illo capite *Dÿ* plurali numero proferuntur.

2 In 5.Nicom.12.car,85.conſpicitur. *At hoc non ita eſt, ſed quodammodo, quanquam apud Deos fortaſſe nullo modo eſt.*

3 In 7.Nicom.cap.6.car.112. *Sed in his tamen exceſſus etiam quidam eſt, ſi quis quemadmodum Niobe aduerſus Deos pugnaret.*

4 In 8. Polit.cap.5.car.568. *Conſiderare hoc licet ex opinione, quam habemus de Dÿs: non enim Iupiter cantat, aut citharam pulſat ſecundum poetas &c. imò illos, qui talia faciunt, appellamus viles.*

5 In 7. Polit.cap.14. car.554. *Si ergo tantum differrent alteri ab alÿs, quantum Dÿ, & Heroes ab hominibus differre putantur.*

6 In 3.de Hiſt.Animal.cap.28. car.893. *Nam & Lemnio illi pecoris domino conſulenti, Deus, amplius incrementum peculÿ futurum, reſpondit.* At quis Deus? Planè idolum reſponſum dedit.

In 2.Rhetor. cap.23. car.689. C. *Aut contra quos non eſt honeſtum iudicare, vt Deos, aut patrem, aut præceptorem.* Vt in Mixidemidem dixit Authocles: *ſi ſeueris Deabus honeſtum fuit in Areopago dicere cauſam, Mixidemidi cur non erit?*

Aut quemadmodum Sapho, Mori malum eſſe. Dei enim ſic

iudi-

iudicarunt, alioqui mortui essent.

Et Egesippus Delphis interrogabat Deum, cum accepisset prius oraculum Olympiæ: num eadem ipsi viderentur, quæ Patri? quasi turpe esset contraria dicere

Et Alexandrum, quem Deæ anteposuerunt.

8 In 3.Rhetor.cap.11.car.716.E. *Licet enim per imaginem dicere, scutum poculum esse Martis.* Sic in 2 Rhetor. cap.24. car. 693.F. *Et propensum ad communicandum dicere Mercurium esse, maximè inter Deos; solus enim vocatur communis Mercurius.*

9 In 8.Nicomac.cap.9.car.133. *Hoc autem in Dijs planissimè patet, qui plurimum omnibus bonis præstant.*

10 In 8.Nicom.cap.12.car.139. *Estque amicitia filijs erga parentes, & hominibus erga Deos, tanquam erga bonum quoddam.*

Sed & Licetus in lib.1. de Pietate Aristot. cap.5. car. 44. scribit. "*Porrò Deum nihil posse latere, ac omnia cognoscere,* nos expresè docuit Aristoteles, (tùm in Rethorica ad Alex. cap.17.) dicens. *Peierentem latere homines posse, Deos autem non posse*; tùm in Poetica cap.12. scribens: *Deos cuncta inspicere, satis quidem apud nos constat.*" Hæc ille in quibus fidelis discipulus contradicit Magistro. Magister plures Deos proponit: Discipulus vnum scribit. Quin & in eadem Rhetorica ad Alex.cap.3.amplissimè agit author illius libri de sacrificijs Deorum: semper tamen Dijs offert sacrificia siue maiori, siuè minori, siue consueto sumptu: nunquam docet vni soli Deo sacrificium esse offerendum. *Licetus.*

Insuper in 1.Nicom.cap.12.car.18. probans Aristoteles, Deos non esse laudabiles, sed honorabiles ait. *Atque hoc ex Deorum laudibus perspicuum est, nam cum ad nos referuntur ridiculi videntur.*

Et infra. *Deos enim beatos, & felices dicimus; beatos item dicimus viros eos, qui maximè diuini sunt.* Denique 8. Polit. cap.6.car.573.A. *Cur Minerua tibiæ repertrix tibias abiecit, quæ-*

ritur. Primò fabulam alienam respondet: postea rationem ex proprio capite dicit. *Sed tamen multò magis ob id, quia nihil confert tibiarum vsus ad intelligentiam, & mentem, cum scientia, & ars Mineruæ sit attributa.*

Recognitio XIX.

Textus allati à Liceto pro multitudine Deorum neganda, et vnitate Dei asserenda singillatim afferuntur recognoscendi.

IN libro de pietate Aristotelis 1. cap. 2. pag. 4. Licetus primò conclusionem suam proponit, mox textus probantes adducit. Conclusio est.

Liceti conclusio. *Alter autem veræ pietatis gradus est, vnius Dei cultus, & multitudinis Deorum detestatio, quem sanè gradum Aristotelem tenuisse, satis apertum est, ex ijs, quæ perspicuis verbis profitetur De vniuersi bono Gubernatore, cui tribuit vnitatem, & apertè negat multitudinem.*

Probationes subnectit, quas seorsim considero.

1 In 12. Metaph. 52. *Perscrutandum etiam hoc, quonam modo natura vniuersi habeat ipsum bonum, & ipsum optimum; vtrum separatum quiddam, & ipsum, an per se, an in ipso ordine: an vtroque modo? quemadmodum exercitus: etenim bene esse eius in ordine, & dux ipse est; ac magis ipse, non enim ipse propter ordinem, verùm ordo propter ipsum est. Cuncta autem coordinata quodammodo sunt, verùm non similiter, & natantia, & volatilia, & plantæ: nec ita se habent, vt sit vl-*

lum alteri ad alterum, sed sunt ad quippiam; ad vnum namque coordinata sunt omnia. Verùm quemadmodum in domo liberis quidem minimè licet quodcumque facere sed ea omnia, aut plurima quæ ordinata sunt. Mancipijs verò, & bestijs parum, quod adcōmune conferat, sed vt plurimum quodcumque contingit (tale nanque principium cuiusque eorum natura est.)

Primò obseruo, quòd in prolixa hac authoritate neque cultus Dei vnius, neque deteſtatio multorum Deorum eſt; neque Deum eſſe vnum affirmat Ariſtoteles, neque Deos eſſe multos negat; imò nec nomen Dei, vel Deorum adeſt in textu. Quæ eſt hæc negligentia, tàm amplè proponere in concluſione, & nihil ad propoſitum in probatione? Tractatio eſt instituta, non de vno, vel multis bonis, ſed de Deo vno, vel multis Dijs. De colendo vno Deo, qui cultus eſt operatio noſtra humana: de multorum Deorum deteſtatione, deteſtatio eſt actio humana, de quibus nec verbum quidem in textu. *falsa citatio.*

Igitur citatio falſa eſt, neque mirandum quoniam Ariſtoteles ex profeſſo de cultu Deorum agit in 7 Politic. & in cap.9.car.546.E ſcribit. *Genus Sacerdotum esse, quorum institutio manifesta est: neque enim agricola, neque artifex, neque vilium exercitiorum quisquam Sacerdos est deputandus: honos enim Dijs est à ciuibus impendendus; sed cum distincti sint ciues in partes duas, hoc est in eos, qui arma tenent, & in eos qui consultant: & decens sit Dijs cultum exhibere, & requiem suscipere eos, qui pro tempore in his laborauerunt, ac defessi sunt: his vtique esset sacrorum cura demandanda.* *Arist. contra Licetū de cultu Deorum.*

In eodem 7.Polit.cap.10.pag.548.D. *Præterea in* ſacrificijs, *cultuque* Deorum *sumptu communes esse debent totius ciuitatis. Est igitur necessarium in duas partes regionem diuidere, & aliam esse publicam, aliam priuatorum: vtraque illarum partium rursus diuidenda est; illius nanque partis, quam publicam esse debere diximus, vna pars* Deorum *cultui deputanda est.*

Item

Item in 7.Polit.cap.12.pag.551.A. *Aedes verò Deorum, ac principalissima Magistratuum comessationes idoneum locum habere debent, & eundem sacra quotcunque lex non separat, aut responsum oraculi.*

Et infra sub F. *Templa quoque per regionem distributa esse debent partim Dijs, partim heroibus.* Aristoteles Dijs expressè cultum exhiberi docet, sacra, sacrificia, templa, possessiones. Licetus fingit cultum vnius Dei; fingit detestationem multorum Deorum. Si in tantam lucem textuum à me allatorum offundit tenebras; quid sperabimus in isto textu 12.Metaph.52. veritatis? in quo nec de cultu, nec de vno Deo, nec de multis Dijs, vel vocula est.

Secundò obseruo Licetum dicentem. *Cui tribuit vnitatem, & apertè negat multitudinem.* Profectò Aristoteles bono vniuersi tribuit vnitatem, sed non negat multitudinem, Licetus negat.

Falsa applicatio, pro fine proponit efficiens. 4.phys.23.

Tertiò obseruo. In textu sermo est de bono vniuersi; Licetus dicit de gubernatore: valdè hæc differunt. Gubernare spectat ad genus causæ efficientis, bonum ad genus causæ finalis, quod planè discimus à 4.Phys.de Rege gubernante res Græcorum. *Amplius, vt in Rege Græcorum res, & omnino in primo mouente. Amplius vt in ipso bono, & omnino in ipso fine, hoc autem est id, cuius causa.* Igitur in textu proposito agitur de bono, & fine vniuersi, sed Licetus confundit omnia: Vt prætermittam quòd in textu citando, falsò intrudit particulam *In. An per se, an in ipso ordine* transcripsit Licetus, *An per se, an ipsò ordine* scripsit Aristoteles.

Quartò obseruo, ad intelligendum textum esse considerandum, quæ sint ordinata, & ad quid ordinata sint. Alexander Aphrodiseus (assertore Liceto pag.28.) fidus Aristotelis interpres, intelligit mundum sensibilem ordinari, quod potest confirmari bifariam. Primò, quoniam in textu, quæ coordinata sunt, afferuntur, & ea sunt sensibilia, vt natantia,

vo-

volantia, plantæ. Secundò quia proponitur quæstio *de natura vniuersi*: Sed superius textu 38. 12. metaph. distinguitur natura, & à cęlo, & à primo principio. Ergo sermo est de natura sensibili subcælesti, vel ad summum de omni natura corporea, quæ ordinata est ad vnum. Quidnam est illud vnum? legatur textus. *Vtrum separatum quiddam, & ipsum an per se, an ipso ordine.* Noluit Licetus considerare particulam *bonum separatum*, consideremus nos: vtrum ens separatum, siue bonum separatum apud Aristotelem sit vnicum numero, an multa numero. Planè in 12. met. tex. 43. proponit quærere, quot sint motores immobiles, quot sint substantię separatæ. In textu 47. & 48. concludit tot esse substantias separatas, quot sunt orbes cælorum: sunt planetarum quidem quadraginta septem, appone substantiam separatam stellati motricem, erunt vt minimum substantiæ separatæ, siue entia, & bona separata octo, & quadraginta. Ergo omnia sensibilia coordinata sunt ad vnum bonum separatum. Vnum quidem non numero, nec specie, sed genere, vt loquuntur in primo fundamento superius pag. 27. Licetus, ac Piccolomineus. Quia tamen bona separata sunt ordinata secundum posterius ad prius, habent vnitatem analogam, vel ad vnum: omnes enim Dei minores ordinantur ad summum Deum.

Quintò obseruo iuxta 5. Metaph. 12. Vnum quadrifariam dici, numero, specie, genere, analogia. Aristoteles dixit, omnia esse coordinata ad vnum; sed diligens discipulus noluit æquiuocationem distinguere, vt argueret cum fallacia æquiuocationis. Quæro igitur, an intelligatur vnitas numerica, aut alia vnitas conueniens rei communi. Si vnitas numerica accipiatur, iam in argumento Liceti, est fallacia consequentis ex medio singulari. Præcepit nanque Arist. in 1. Priorum sect. 3. cap. 1. medium syllogismi vniuersale esse oportere, quod graphicè Albertus illic expouit. Si medium est vniuersale, iam æquiuocè argumentatur, Bonum

vni-

vniuersi est vnum. Deus est bonum vniuersi, ergo Deus est vnus, nam medius terminus *bonum vniuersi* est vnum vnitate vniuersalitatis, in conclusione Licetus colligit vnitatem singularitatis prętensã, & syllogismus est in quatuor terminis.

Si tamen velit facere syllogismum expositorium, in quo medium sit singulare singulariter tentum. Sic arguet.

Bonum vniuersi est vnum numero,

Bonum vniuersi est Deus.

Ergo Deus est vnus numero.

Minor non est in textu, quare neque conclusio; sed tamen est fallacia accidentis. quia ratio *Dei*, & ratio *boni vniuersi* sunt diuersæ rationes; atque Deus, & bonum vniuersi sunt partim idem, partim diuersa. Siquidem Deus competit cęlo, competit separatis extra cęlum, competit separatis cęlorum motoribus iuxta primum fundamentum Liceti, & Piccolominei relatum superius ad pag. 27. Bonum autem vniuersi ponitur vnum numero in isto syllogismo. igitur bonum vniuersi, & Deus sunt partim idem, partim diuersa, sicut vniuersale, & singulare.

En simile argumentum.

Aristoteles Stagirita est vnicus numero.

Aristoteles Stagirita est homo, est substantia, est ens.

Ergo homo est vnicus numero, substantia est vnica numero, ens est vnicum numero. Cum tamen homo sit vnicus specie, substantia vnica genere, ens vnicum Analogum: aut igitur fallacia est accidentis, aut fallacia æquiuocationis, aut vtraque: propterea noluit Licetus syllogismum erigere in forma, ne formæ vitium deprehenderetur. Si non benè formatur à me, ignoscat. Ego non sum discipulus Aristotelis per antonomasiam.

Bifariam ergo soluitur hoc argumentum prætensum: primò quidem ex primo fundamento Liceti, & Piccolominei tali; Dicta de Deo in 12. Metaph. asseruntur de vniuerso genere separatarum mentium. Inde Piccolomineus in libr. de

cęlorum motoribus cap,4. ait Aristotelem in 8.Physſ.actu loqui de illo primo motore, qui Deus eſt: virtute de vniuerſo genere motorum cæli. *Cum enim motor cæli, ſit ab vno Philoſophus ſuas regulas ſeruans, propriè loquitur de Deo, vt de principali ſubiecto earum affectionum, quas oſtendit ei competere: vt autem de adæquato, vult ea, quæ dixit, extendi ad vniuerſum genus eorum motorum.* Confirmat iſtud Piccolomineus ex 12.metaph.43.vbi dicta de primo motore, ad omnes motores applicantur. Nunc autem de primo motore, vel primo gubernatore dicitur, quod eſt bonum vniuerſi. Ergo hoc de omnibus motoribus eſt accipiendum, non autem reſtringendum ad vnum ſolum, vt volebat Licetus, nec ad vnum Deum, ſed ad omnes Deos.

Reſpondetur ſecundò per ſecundum fundamentum initio ad pag.27.poſitum, nempè aliam eſſe rationem boni, aliam rationem Dei. Bonum ex 1.Magnorum Moralium cap.1.eſt æquè commune, ac ens: bonum enim in omnibus cathegorijs reperitur; id ipſum in libro 1.ad Eudemum cap. 8. & in 1.ad Nicomachum capite, mihi 4.traditur. Ratio Dei extenditur ad viuentia ſempiterna, & optima prout poſſibile eſt; quamobrem ratio boni communicatur non viuentibus corruptibilibus, & malè ſe habentibus viuis. Si ergo aliquid prædicatur de ratione boni, non neceſſariò prædicatur de ratione Dei, ſed eſt fallacia accidentis. nam bonum eſt proprietas entis, Deus non eſt proprietas. Bonum conuertitur cum ente, Deus minimè; ſed ſi bonum contrahitur ad vnum ſingulare, vt ſcilicet bonum vniuerſi dicatur eſſe ſingulare per additum: non ſequitur vt Deus contrahatur, niſi etiam addatur aliquid contrahens, vt Deus ſummus, Deus primus: quem eſſe vnum numero, facilè concedet Ariſtoteles, neque propterea negabit alios Deos eſſe, & eſſe colendos, quod tàm multis locis dixit. Voluit quidem Licetus oſtendere in Ariſtotele iſtam, *deteſtabilis eſt multitudo Deorum*, ſed non potuit.

F Re-

Recognitio XX.

SEcundò citat ex 12.Metaph.text.55. *Qui verò dicunt Mathematicum numerum primum, & ita semper aliam attiguam substantiam faciunt (nihil enim altera alteri confert, siue sit, siue non sit) & principia multa. At entia nolunt malè gubernari. non est bona pluralitas principatuum. Vnus ergo princeps.*

Obseruatio prima. Quorsum Licetus falsificat in textu duo, nescio. Mutilat in medio ista. *At alia cuiusque principia in conspirantem vniuersi substantiam.* Item inuertit, particulam *Bonum* in textu est: *Non est bonum pluralitas principatuum.* Licetus transcribit. *Non est bona pluralitas &c.*

falsificatus textus.

Concludit Licetus ex illo textu. *Ex his iam euidentissimè constat, Aristotelem decernere, rationeque ducta ex rei natura planè colligere, Deum mundi gubernatorem vnicum esse, nec dari posse plures vniuersitatis huius rectores, vt cæca gentilitas opinabatur, præficiens terræ Deum Plutonem, mari Neptunum, cælo Iouem eorum fratrem, Ventis Eolum, frugibus Cererem, vitibus Bacchum, & alijs rebus alium Deum, &c.*

Licetus.

Obseruatio 2. Responsio data est ad hoc argumentum Vestigatione 4.num.43. Vnum esse Principem entium, vnum Principem Deorum cum Aristotele. Sicut autem ex vnitate Principis entium non sequitur, tantùm vnum numero esse ens; ita ex vnitate Principis Deorum, non infertur, tantùm vnum numero esse Deum.

fallax consequentia.

Obseruatio 3. Vox *Deus* à Liceto includitur in textu, sed in textu non est; nec potest esse Aristotelis conclusio, nisi ambæ præmissæ sint Aristotelis. Ideò ex primo fundamento Licetico, ratio Dei extensa est ad multos Deos extra cęlum, in cęlo, sub cęlo; ratio Principis entium in vno singulari est. Ergo est fallacia accidentis in argumento ex partiali identitate inter vniuersale, & singulare.

falsificat textum

Rur-

Rursus est fallacia æquiuocationis, quia in antecedente ponitur vnitas numerica, in consequente vnitas Dei, quæ secundum Aristotelem est, vnitas generis, vel analoga.

Iam distinguo, vel ponuntur plures gubernatores, & Principes subordinati ad vnum, vel plures disparati. Secundo modo absurdum est ponere multos Principes entium, summos, & absurdum est ponere multos Deos summos; primo modo non est absurdum. Hinc Aphrodiseus, Liceto fidus interpres in 12. Metaph. ait. *Aphrodise.*

Neque enim multorum principatus bonum est, sed princeps vnus, vnumque principium. qui quidem Deus est; nam vagantium sphærarum causæ sunt illæ Dij, sed participatione, & voluntate à primo, eodemque beatissimo intellectu pendent. Ergo inferior es Dij ab vno supremo dependent, eique subordinati sunt. Qua in re exaggeratio illa Licetica contra gentilitatem falsa est. Gentilitas quidem iure accusatur, quòd Dei nomeu incommunicabile communicauerit Ioui, Neptuno, Baccho, &c. qui formaliter non sunt Dij. Sed non iure accusatur, quasi posuerit multos principes non subordinatos vni. Scribit quippe Aristoteles in 1. Politicorum cap. 12. car. 394. C. de regio imperio disserens. *Ideò benè Homerus de Ioue inquit. Hominum Pater, atque Deorum. Sic appellans horum omnium regem. Natura enim excellere regem oportere, genere autem esse eundem.* Ergo ex attestatione præclari Poetæ, & præclari Philosophi gentilitas ponebat multos Principes, vel Deos vni Regi subordinatos.

Quia verò neque in hoc textu Aristoteles cultum vnius Dei, vel detestationem multorum Deorum posuit, imò nec nomen Dei: sed Licetus textum sibi fingit: posset fortasse sic arguere.

Vnus ergo Princeps, est in textu.

Ergo Deus est vnus.

Hoc enthymema maiorem extremitatem habet in antecedente scilicet *Vnus*, medium terminum habet in prædicato,

nempè *Princeps*: eſt in ſecunda figura ex puris affirmatiuis; ideſt fallacia conſequentis. Fiat ſyllogiſmus.

Vnus eſt princeps.

Deus eſt princeps.

Ergo Deus eſt vnus.

Regula verò eſt. In ſecunda figura, ex puris affirmatiuis, nihil ſequitur.

Regula item eſt, Maiore exiſtente particulari in ſecunda figura, nihil ſequitur. Sed in iſto ſyllogiſmo maior eſt ſingularis: Vnus enim numero eſt princeps entium; quę ſi conuertatur item erit particularis, aut indefinita. Sed illud eſt cauſa erroris, quòd Licetus putat ſecundum Ariſtotelem idem re, & ratione eſſe principium entium, & Deum. Ita iudicat iſto loco Licetus, quia ſic vtile eſt ad fallendum Lectorem. Sed in libro 2. de pietate Ariſtotelis cap. 6. ex more Ariſtotelis *Dei nomen* extendit ad ſeparata extra cęlum, ad ſeparatos cęli motores, ad Deos infra cęlum: quibus & ego adijcio, ſingulum quemque orbem cęli eſſe Deum per 2. de cęlo 17. Dicere autem hæc omnia eſſe principes entium, eſt per quàm falſum: nam princeps entium vnum numero eſt, Dei verò ſunt numero determinati apud Ariſtotelem in 12. Metaph, 50. & præcedentibus 47. & 48. at ſecundum Licetum Dij extra cęlum, & Dij infra cęlum ſine vlla ratione determinata numeri ponuntur innumeri.

Recognitio XXI.

Licetus. TErtiò citat Licetus ad car. 5. dicens. *Vnitatem Dei profeſſus eſt Ariſtoteles dicens iuxta translatiouem Arabicam in 12. met. 39. Deus igitur eſt vnus, æternus, in fine nobilitatis. Ergo eſt vita, & eſt continuum æternum, hoc quidem eſt Deus*, Et in vulgata translatione "dicimus, itaque Deum ſempiternum, optimumque, viuens eſſe: quare vita, & æuum continuum, & æternum Deo ineſt, quibus

non

non ſolum Deus vnus eſſe dicitur &c.„

Obſeruatio ſit. Ad falſam concluſionem probandam,quia Cl. Licetus non habet textum verum, corrogat translationem Arabicam, vel falſam, vel ab ipſo Liceto falſificatam. Particula illa *Deus igitur eſt vnus*, falſa eſt, nam neque in textu Græco, neque in Latino adeſt vox ſignificans vnitatem. Profectò Ægidius in Peripato illuſtris utebatur antiqua verſione, quam ab Arabis in Hiſpania regnantibus philoſophi, Galli, & Itali acceperant. Ægidius autem in 2.d.3.par.2.q.2. ar.1.hoc eſt pag.225.col.1.C. citat ſic dicens. *Secundum quem modum loquitur Philoſophus in 12.metaph. quòd actio intellectus eſt vita. Et ſecundum quod ibi dicitur; quòd Deus eſt Viuus, Aeternus, Nobilis in finæ nobilitatis.* Verè ſic debet dici in textu, non *Vnus*, ſed *Viuus*, ſeu *Viuens*, vt in textu noſtro, vel *animal* vt in Græco. Si conferas antecedens Arabicum; & conſequens ſtatim apparet mendum. *Deus igitur eſt Vnus, Aeternus in finæ nobilitatis*, hoc eſt antecedens, conſequens eſt, ergo *eſt vita, & eſt continuum æternum*: ſi ponatur *Viuus* in antecedente, aptè colligitur *vita* in conſequente; ſi autem ponatur in antecedente *vnus*, conſequentia nihil valet. Planè Licetus erga Magiſtrum, & Magiſtri textum debuit eſſe vigilantior, & mendam translationis falſæ, aut emendare, aut non falſificare. An verò falſam legerit, vel veram falſificauerit, Lector iudicabit.

falſus textus.

Aegidius.

Recognitio XXII.

Licetus pag.5.ait. *Ariſtoteles non accipiens antiquorum opinionem, qui plures primos motores aſſerebant. Vnicum ipſe Deum principium rerum omnium ponit hæc aſſerens.* Proponit Licetus, Vnicum Deum poni ab Ariſtotele principium rerum omnium, atque id probare vult per textus 42. & 43. 12.Metaph. In quibus tamen textibus, nec nominatur *Deus*, neque affirmatur eſſe *principium rerum omnium*: itaque com-

componit sibi textus, non ponit, quod est in textu. Faciamus periculum.

12. metaph. Text. 42. *Vtrum autem vna sit ponenda talis substantia, an plures, & quot, non oportet nos latere. Sed meminisse quoque aliorum sententias.*

Aliorum sententias nunc non quærimus: Aristotelicam idest suam sic explicat.

Text. 43. *Nobis verò ex præsuppositis, atque determinatis dicendum est: principium enim, ac primum entium, tùm per se, tùm per accidens immobile est, mouens autem primo, sempiterno, & vno motu. Cum verò quod mouetur, necesse sit ab aliquo moueri, primumque mouens immobile per se esse, ac motu æterno ab æterno moueri, & vnam ab vno,* hucusque citat Licetus.

Aris. 12. met. 43. "Videmusq; præter simplicem lationem totius, quàm dicimus primam substantiam, & immobilem mouere, cæteras etiam lationes, quæ errantium sunt, sempiternas esse (sempiternum nanq; & irrequiescibile circulare corpus est, monstratum autem est de his in Physicis.) Necesse est harum quoque lationum vnamquanque à per se immobili, & æterna substantia moueri, nam & stellarum natura perpetua substantia quædam existens: & quod mouet, perpetuum, & prius est moto: & quod prius substantia est, substantia sit necesse est. Constat itaque necesse esse tot substantias esse natura perpetuas, & per se immobiles ac absque magnitudine ob causam prius dictam,,, Totum integrum textum citaui, vt appareret sermonem non esse de Deo expressum; sed cum Aristoteles posuerit substantiam quandam æternam, immobilem, à sensibilibus separatam, sine magnitudine, impassibilem, & inalterabilem; quærit vtrum vna sit ponenda talis substantia, an plures? & concludit, quod plures. Si per *talem substantiam* intelligat Deum, iam asserit plures esse Deos contra id, quod prætendit Licetus.

Subiectum, quod proponit deinde in probatione, est principium

cipium & primum entium: *omium rerum* eſt Liceti additio. Semper vel addit aliquid ad textum, vel detrahit, vel imponit textui, quod in textu non eſt; imponit, quòd *Deus ſit vnus*, hoc in textu non eſt: addit *principium omnium*: hoc in textu non eſt: mutilat ſecundam partem textus à verbis illis. *Cæteras etiam lationes*, &c. in quibus conſiſtit reſolutio quæſtionis propoſitæ, quòd ſint plures ſubſtantia tales, non vna: tot ſcilicet ſunt tales ſubſtantiæ, quot ſunt corpora circularia, & lationes eorum.

Conſideremus itaque illa prædicata, quæ attribuuntur motori primi orbis, vtrum eadem conueniant motoribus cæterorum orbium; nam Piccolomineus in libro de celorum motoribus per iſtum textum probat, dicta de Deo dici debere de vniuerſo genere mentium ſeparatarum. Qua in re Licetus conſentit cum Piccolomineo in lib. 2. de pietate Ariſtotelis cap. 6. Ego verò in vno diſſentio, quòd illud primum ens, de quo hic agitur, eſt primus motor primi orbis, & poteſt dici Deus eodem nomine, quo cæteri motores immobiles: ſed tamen non poſſe dici primum Deum, vel ſummum Deum; propterea quòd motores immobiles, de quibus agitur in iſtis duobus textibus, ſunt determinatè applicati ad determinatos orbes; ſed ſummus Deus, & ſummus princeps entium ad nullum orbem eſt determinatus, imò toti vniuerſo præſidet, & motoribus, atque mobilibus æternis: necnon & principijs motiuis, ac ſtatorijs omnibus, ſubcæleſtium. Controuerſia hæc grauis eſt inter Peripateticos, nunc omittenda. Veniamus ad textum, qui eſt de primo motore applicato, & de poſterioribus motoribus applicatis. Experiamurque, an eadem prædicata dicta de primo motore ab Ariſtotele communicata ſint cunctis. De primo motore ait in antecedente. *Cum verò quod mouetur, neceſſe ſit ab aliquo moueri.*

1 *Primumque mouens immobile per ſe eſſe*

2 *Ac motu æterno ab æterno moueri*

3 Et

3 *Et vnum ab vno*
Colligit consequens suppositis lationibus inferioribus;
Necesse est harum quoque lationum
A per se immobili
Et æterna substantia moueri
Vnamquamque lationem, scilicet ab vna substantia, vnde tandem concludit ad quæsitum principale, quod tale erat: *Vtrum vna ponenda sit talis substantia, an plures, & quot.* Respondet in fine textus 43. *constat tot substantias esse natura perpetuas, & per se immobiles, ac absque magnitudine.* Quinimò colligit hoc prædicatum *absque magnitudine* de inferioribus motoribus æternis, quod in tex.42. & 43.non proposuit de primo motore; sed quia probauerat in textu 41.istud prędicatum *absque magnitudine*, illud etiam applicat inferioribus motoribus, vt consimili ratione cætera prædicata communicentur, sicut & nomen Dei communicatum est omnibus substantijs primis tex. 50.Vnde apparet, quoniam substantia est primum ens 12. Metaph.2. quando Aristoteles communicauit nomen primæ substantię omnibus motoribus immobilibus, communicauisse nomen *primi entis.* Sed & nomen principij conuenit omnibus, cum omnes sint principium vnde motus primum. eademque ratione cætera communicabuntur.

Secundò obseruo Licetum, nihil proferre ad punctum difficultatis. Gratis damus Aristotelem posuisse vnum primum priucipium, vnum primum ens, vnum primum motorem, vnum principem, & gubernatorem entium: sed postulamus à Liceto nobis ostendi hanc propositionem in textu, *Deus est vnus, Dÿ non sunt plures, Vnus Deus est colendus, multitudo Deorum est detestabilis.* Hæc si ostenderit in textu, vicit. Si autem voluerit à ratione principij, & primi entis arguere ad rationem Dei: statim iuxta secundum fundamentum incidit in paralogismum accidentis. In primo ente applicato, in primo principio applicato ad orbem mouen-

uendum concurrunt ratio principij, & ratio Dei; hæ rationes sunt idem re, sed sunt rationes differentes: ratio principij, & principis multis mortalium competit: principij quidem, vt igni, & aquæ: principis verò, vt Regi Gallorum, aut Hispanorum; ratio Dei nullis mortalibus ab Aristotele tribuitur: non igitur, quę dicuntur de subiecto secundum vnam rationem, dicentur de alia, nisi fortè per accidens, vt in proposito; primus motor est immobilis, est æternus, est vnus, est substantia prima, separata à magnitudine, & sensibilibus: quæ quidem de singulis separatis motoribus prędicantur: vnde vnum esse enuntiatur de primo entium, ennntiatur etiam de motore orbis Lunæ. Ita quoque si Deus esse vnus dicatur de motore primi orbis, Deus dicetur esse vnus de motore vltimi orbis.

Tertiò obseruo. Si Licetus optabat ab impietatis nota vindicare Aristotelem, non debuisset istos textus pietati catholicæ repugnantes proponere.

1 Motum circularem æternum esse, est hæresis.
2 Mobile circulare esse sempiternum, & irrequiescibile, est hæresis.
3 Substantias separatas secundas esse sua natura perpetuas, est hæresis, saltem intelligendo à parte ante
4 Substantias easdem mouere motibus æternis, hæresis.
5 Necesse est tot esse substantias, quot sunt lationes, hæresis: imò substantiæ motrices possunt esse plures, nullaque necessitas est, vt sint tot, quot motus: potest quippe Deus facere orbes, & immediatè mouere sine concursu causę secūdę.
6 Motum à parte post sempiternum fore in orbibus cæli, est hæresis. Hæc et alia per se illata ex æternitate motus, non spirant pietatem; & ex non pietate pietatem probare non est iustum.

Recognitio XXIIII.

LIcetus ad pag.6.ex libro de mundo ad Alexandrum assumit argumentum factum ab Eugubino. Cui responsum est Vestigatione 4.num.30.36. Fatetur Licetus librum à nonnullis reijci, tanquam alienum ab Aristotele Stagirita. Respuit librum Piccolomineus in libro de Mundo cap.2.Ianninius de natura cęli car.475. Et in Vestigatione 4. Ego reieci ad num.35.36.37. Budæus quoque, qui ex græco latinum fecit eum librum, in alium Aristotelem librum deriuat. Ex libro incerto certam authoritatem non habebimus.

Conatur Licetus fidem libro acquirere Iustini Philosophi, & Martyris attestatione in tom.1.oratione ad Gręcos pag.45. mei libri. Sed meminerit Cl.Licetus in eo libro ad pag.47. Sanctum Iustinum de Aristotele hæc scribere.

Aristoteles secundum Principem Deum, non ideas, sed intelligentia cognobiles Deos quosdam facit.

Licetus, quæ pro se accipit: quæ contra se nõ videt, nõ audit, non legit, non intelligit, sed mutus transibit.

Eadem pag.de Anima. *Contra Aristoteles entelechiam eam nominari, non immortalem, sed mortalem esse vult.*

Pag.76.de Aristotele. *Cum Euripi Chalcidici naturam cognoscere non posset, vnde propter ingens probrum, & pudorem, in marorem coniectus, vitam morte commutauit.* Si ergo in his tribus dictis Licetus Iustino non subscribit, ne ægrè ferat, si nos primo non subscribimus.

Apuleium secundo citat Licetus pro illo libro asserens ab Apuleio librum de Mundo, vt Aristotelis librum latinitate donatum. Attamen Apuleius scribit, vt author, asserens tamen se accepisse in eo libro, & ab Aristotele, & à Teophrasto, multis detractis, paucis additis, non nullis mutatis. Cur ergo librum Aristoteli magis, quàm Teophrasto adscribes? Sanè fragmentum illud, quod è capite 7.refert Licetus, magis refert copiam elegantem Teophrasti, quàm parcam verborum

borum moderationem Aristotelis. Locus ille citatus ostendit vnum Deum summum, sed non negat subordinatos Deos, sicuti & lex vna, non excludit iudices, militares duces, senatores. Sed ne multis, author ille in cap. 2. docet, & Deum esse, & Deos esse, Deum ponit in singulari. *Dicitur mundus, Ordo, & digestio vniuersorum, quæ à Deo, & per Deum asseruatur.* Asserit in plurali Deos. *Cum interim supremam regionem (elementa) fecerint Deorum domicilium: infimam animalium in die victitantium*: Licetus, quod pro se est, citat, quod contra se est, silet: satis astutè.

Recognitio XXIV.

SExtò pag. 11. lin. 11. asserit Aristotelem in 1. de cęlo 100. dixisse. *Diuinum numen viuere vitam sufficientissimã, nullius indigam, esseque vnde pendet rebus omnibus esse, & viuere.* *Licetus.*

Prima obseruatio. Vix crederem textum Aristotelis posse magis inordinatè, aut oscitanter afferri. Certè *Numinis* nomen in textu non est. Posthac titulus, *vitam sufficientissimam viuere* profertur de vno; sed in textu de multis. *Quapropter*, inquit Aristoteles, *neque quæ illic sunt, nata sunt in loco esse, neque tempus facit ipsa senescere, neque vlla trasmutatio vllius eorum est, quæ super extima dispostia sunt latione; sed inalterabilia, & impassibilia, optimam habentia vitam, & per se sufficientissimam perseuerant toto æuo*. Multa habentia vitam per se sufficientissimam textus sonat, Licetus vnum Numen viuere vita sufficientissima ait. Multitudinem in vnitatem, quàm fideliter conuertit?

Sed neque sibi constat, quandoquidem in primo fundamento ex libro secundo de pietate cap. 6. hunc textum intellexit de Dijs extra cęlum positis, qui diuersi sint à Dijs cęlorum motoribus. Nunc autem dicta de pluribus Dijs, & ab Aristotele, & à se ipso, de vno tantùm Deo vult intelligi.

Secunda obseruatio. Titulus *nullius indigam* versus finem textus 100. reperies, non vitæ, sed primo diuino adscriptum. *Primum, ac maximè summum, quod sic se habens attestatur ijs, quæ scripta sunt. Neque enim aliud melius est, quod moueat: illud enim esset vtique diuinius: neque habet prauitatem vllam, neque indigens suorum bonorum vllo est.* Soli primo diuinorum adscribit, vt primo subiecto 1. *nihil habet diuinius*, 2. *nullam habet prauitatem*, 3. *nullo suorum bonorum indigens est.* Primum diuinorum ad mentem Aristotelis, est maximè summum. Sit vnus numero Deus; sed & quilibet ex Dijs subordinatis est vnus numero Deus. Sicut enim Sortes est vnus numero homo, neque propter hoc tollitur, quin Callias sit vnus numero homo. Homo enim est vna communis species Sorti, & Calliç, Atheniensibus regibus. Dei nomen est commune genus, & ad regem Deorum, & inferiores Deos iuxta primi Politic. cap. duodecimo.

Tertia obseruatio. Titulus, *vnde pendet rebus omnibus esse, & viuere* ab Aristotele non est assignatus Numini, sed Æuo. *Etenim hoc nomen* (Æuum) *diuinè enuntiatum est ab antiquis. Finis enim, qui continet vitæ vniuscuiusque tempus, cuius nihil est extra. Secundum naturam, Aeuum vniuscuiusque vocatum est.*

Secundum eamdem autem rationem, & totius cæli finis.

Et finis omne tempus, ac infinitatem continens Aeuum est (ab eo, quod sit semper sumpta denominatione) immortale, & diuinum: vnde & alijs pendet. his quidem exactius, his autem obscurius esse, & viuere. Triplex Æuum ponitur. Æuum cuiusqua viuentis temporarij. Æuum totius cæli. Æuum continens omne tempus, ac infinitatem. Hoc Æuum tertium est immortale, & diuiuum, vnde ali js pendet esse, & viuere. Discrimen est inter Æuum vt finem, & inter vitam Æuo finitam: hoc est, discrimen reperitur inter durationem vitæ, & vitam, quæ durat. In nobis verò tempus vitæ, quod est

Æuum,

Æuum, & vita, re distinguuntur. Æuum diuinum, & vita diuina saltem ratione formali differunt. Sed Licetus licenter ista confundit.

Quæro, an de vno ente diuino, an de omni diuino loquatur Aristoteles? Respondet textus immediatè. *Etenim quemadmodum in vulgaribus sententijs circa diuina sæpè declaratur rationibus, quòd diuinum ipsum intransmutabile esse, necesse est omne*. Vbi asserit, omne diuinum esse intransmutabile ex necessitate, igitur quoniam particula nunc citata reddit rationem de Æuo diuino: & ratio extenditur ad omne diuinum, consentaneum est, vt Æuum tertio modo sumptum extendatur ad omne diuinum; si eousque extendatur causatum, quousque causa extenditur. Sic enitescit, quàm accuratè Licetus Magistrum scrutetur: nam vbi Aristoteles destribuit vniuersaliter *omne diuinum*, Discipulus tantùm vnum numero diuinum, illi tribuit. Aristoteles vitam sufficientissimam multis, Discipulus vni. Aristoteles de Æuo, Discipulus de Numine Diuino exponit. Egregiè, egregiè.

Quartò auctarium est. Magister cordatè ait. vnde *& alijs* pendet: Discipulus an accuratè? vnde pendet *rebus omnibus*. Magister cautè, & rectè ait *Alijs*, quod enim essentialiter dependet, aliud est ab eo, à quo depeudet: atque ideò inter ea, quæ dependent non ponitur ipsum principium: vnde esse, & viuere alijs dependet. Discipulus autem, vnde pendet *rebus omnibus esse*. Consequenter loquendo in recto, omnis res dependet quo ad esse & viuere, sed omne diuinum est res. Ergo omne diuinum dependet: nam & primum æuum, & primum æuiternum sunt res quædam. Ergo etiam primum æuum, & primum æuiternum dependet: etiam primum ipsum, & summum diuinum, quod est absurdissimum. Omne enim dependens tandem reducitur ad aliquod independens.

Quin etiam si omnes res dependent, & præter omnes res nihil

nihil est, consequitur, vt omnes res dependeant à nihilo. O quantum differt accuratissimus Aristotelis intellectus, & intellectus Liceti, qui solus Magistrum vult Aristotelem Ad extremum confer conclusionem Liceti, cum textu probante. Conclusio est. Cultum vnius Dei statuere, cultus Deorum multorum detestari. Sed in textu de cultu, vel detestatione, de vno Deo, nihil est. Item de *vno diuino summo*, & de *omni diuino* comprehensis, & summo, & inferioribus, assertio est in textu. Nihil ergo propositum, sed oppositum propositi iu textu est. Textus tameu iste iterum occurret.

Recognitio XXV.

Licetus.

SEptima citatio est in pag. 21. ex libro de Mundo. vnde citat Orphei carmina sic. "*Quapropter, quæ de ipso in Orphicis carminibus dicta sunt haud quaquam perperam dicta sunt & quamuis in plerisque græcis exemplaribus ea carmina non legantur. Sunt nihilominus in aliquibus, vt in Lemariano, & in vers. ab Apuleio, qui versus illos ita latinos fecit.*

Primus cunctorum est, & Iuppiter vltimus idem.
Iupiter, & caput. & medium est. Sunt ex Ioue cuncta.
Iupiter est terræ basis, & stellantis Olympi.
Iupiter, & mas est, estque idem nympha perennis.
Spiritus est cunctis, validusque est Iupiter ignis.
Iupiter est pelagi radix, est Lunaque, Solque.
Cunctorum Rex est, principium, & originis autor.
Cuncta tulit, sacro versans sub pectore curas.

Nec tamen Orphei carmina esse scribit Aristoteles, ast alibi (secundo de Generat. an. cap. 1.) dicit ad Orpheum authorem referri, satis innuens ea non esse propria Orphei, vt obseruat alio in loco Ioannes Grammaticus." Hæc Licetus. Qui putat Aristotelem loqui de ijsdem carminibus in lib. de Mundo ad Alexandrum, & in 2. de Generat. Animal. cap. 1.

Itemque secundò putat Aristotelem in hoc loco de Generat. Animal. innuere, ea carmina non esse Orphei.

Audiamus nunc Aristotelem Stagiritam in 2. de Generat. Animal. pag. 1245. E. *Sed cætera quonam pacto efficiantur, aut enim simul omnes partes generantur, Verbi gratia, cor, pulmo, iecur, oculus, & reliqua omnia: aut ordine deinceps, vt in his carminibus, quæ ad Orpheum auctorem referuntur. Similiter enim, vt retis implexum constitui animal ibi scribitur. Sed enim non simul omnia effici, vel sensu patet.* In hoc secundo de Generat. Animal. carmina Orphica tractant *de retis implexu*, & de constitutione corporis animalis; vt enim in retis implexu pars post partem efficitur: sic in animalis constitutione pars post partem generatur. Carmina Orphica in libro ad Alexandrum relata hæc non tractant. Ergo Carmina hæc, & illa non sunt eadem.

Rursus Author libri ad Alexandrum carmina, quorum meminit, affert velut Orphica, atque hoc nomine laudat. Quę Aristoteles 2. de Gener. Animal. attingit, indicat non esse Orphica ex placito Liceti. Ergo carmina hæc, & illa non sunt eadem, vel author ea recognoscens vt Orphica, & author non recipiens vt Orphica, non est idem author; vel quod verius opinor, neque eadem carmina sunt, neque idem author vtriusque libri.

Verum enimuerò deffenda est approbatio istorum versuum à Liceto positorum. In illis metris lucidissimè constat, illi suo Aristoteli; *Iouem esse Deum vnum, summum, & primum*: cui non sine blasphemia grandi cenditiones veri Dei, nempè falsò Deo, asseruntur. Iupiter, homo Luciferinæ superbiæ præter alia multa scelera, hoc perpetrauit admodum detestabile; quòd se Deum haberi, prædicari, adorari voluerit: hoc Idololatriæ scelus erga Iouem summopere affecit Græcos, imò, & omnes ferè Gentiles. Siue autem Iouem Deum voces ipsum lapidem, aut lignum: siue nequam illum hominem repræsentatum: siue Diabolum idolo præsiden-

D. Tho. 2. 2. q. 13. ar. t. 1.

ſidentem, nullam in his deprehendes Deitatem, aut per ſe conditiones Deitatis. Quid Ariſtoteles crediderit populariter, non eſt obſcurum. Idolum illud coluit, & ſignificata per ipſum. Philoſophicè exiſtimo Ariſtotelem Stagiritam intellexiſſe illam ſubſtantiam ſeparatam, quæ torquet cœlum Iouis, & ſub ſummo Deo conſtitutam. Hoc alij viderint.

Recognitio XXVI.

Licetus. AD pag. 22. lin. 17. Licetus Ariſtotelem refert; an rectè id fecerit exquiramus. Ita ſcribit. *Quare Deus per tropum, & mas eſt, quia vim habet generandi actiuam à ſe, nec eam ab alio recipit: & fœmina eſt, quia in ſemetipſo generat. His enim duobus, vt ait Ariſtoteles alibi (1. Gen. Animal. cap. 2.) determinatur mas, atque fœmina.*

Prima obſeruatio. Ariſtoteles in 2. de Generat. Animal. cap. 1. car. 1241. E. docet in rebus perfectis ſeparari marem à fœmina. *Cumque ſua natura melior, magiſque diuina cauſa ſit ea, quæ prima mouet, cui ratio ineſt, & forma, quàm materia: cumque melius etiam ſit ſeparari à deteriori, quod melius eſt; ideò in quibuſcumque fieri poteſt, & quoad eius fieri poteſt, mas à fœmina ſeparatur. Melius enim, magiſque diuinum eſt principium motus, quod per generationem mas obtinet, fœmina enim materia eſt.* Ecce Ariſtoteles in perfectis viuentibus ſeparat marem à fœmina, vt efficiens à materia. Licetus nihil reueritus Magiſtrum, Deum viuentium perfectiſſimum marem, & fœminam fingit. Neque hoc tantum in textu à me nunc reſcripto legitur, verùm & in textu per Licetum citato: ſed pro more ſuo non integrè accepit, quod pro ſe eſt; quod contra eſt in libro reliquit.

Sic autem Ariſtoteles ait in 1. libro de Generat. Animal. cap. 2.

§. 1. *Generationis enim principia illa potiſſimum quis ſtatuerit*

rit marem, & fœminam. Marem, vt quod motus, & generationis originem teneat, fœminam, vt quod materiæ.

Nonne omnem absurditatem superat puro actui, qui est Deus, rationem materiæ impingere? Principium effectiuum, materiale, & passiuum esse dicere?

§.2. *Marem nanque id Animal dicimus, quod in alio gignit. Fœminam quod in se ipso. Quamobrem in vniuerso quoque naturam terræ quasi fœminam, matremque statuunt: cœlum autem & Solem, & reliqua generis eiusdem, nomine genitoris, Patrisque appellant.* En cum communi opinione Aristoteles separat marem à fœmina: cęlum vt marem, & principium generationis actiuum, terram vt feminam, & principium generationis passiuum statuit. Mas generat in alio, sic cęlum mixta, & plantas generat in terra: Fœmina generat in se ipsa, sicuti terra generat mixta tàm inanimata, quàm animata. Cum ergo mas, & fœmina tantum distent in vniuerso, quantum cęlum à terra, non debuit Licetus coniungere ista duo in Deo. Aristoteles

§.3. *Mas autem, & fœmina inter se differunt ratione, quod facultas vtriusque diuersa est. Sensu autem partibus quibusdam discrepant: rationis discrimen ita exultat, vt mas sit, quod in altero generare potest, vt est: Fœmina, quod in se ipso, & ex quo fit, quod generatur, contentum in eo, quod generat.* Aristoteles

Quàm consonet Licetus cum Aristotele ex hisce tribus particulis cognoscemus. Primò Aristoteles non docet masculum habere vim actiuam generandi *à se*, atque non recipere *ab alio*. Hoc Liceti est, non Aristotelis. Siquidem omnes plantæ, & omnia animalia, quæ nunc sunt, vim generandi non habent à se, sed ab alia planta, vel animali priori generante: atque ita in infinitum secundum Aristotelem. A quo enim proles accipit animam vegetalem, ab eodem accipit potentiam actiuam generandi, quale ipsum. Siquidem anima prima est generatiuum quale ipsum 2. de Anima 40. Insuper quæ nunc generant, & generarunt ante, vel plantæ,

H vel

vel animalia habent virtutem à cęlo, & insuper à primo mouente cum 12. Metaph. 24. *Et homo hominem generat, præter hæc item cuncta mouens, tanquam omnium primum.*

Secundò discrepat ab Aristotele, nam propria differentia maris à fęmina in eo consistit, quòd mas potest generare in altero, vt legimus in 2. & 3. §. In 2, *Marem id animal dicimus, quod in alio gignit.* In §. 3 rationem formalem masculi assignat. *Mas sit, quod in altero generare potest.* Nauus Discipulus non nauiter scripsit, quando à mare propriam rationem differentiæ omisit. Ideò autem mutilauit, quia voluit Deum facere fęminam, quæ generat in se ipso. Si autem posuisset differentiã maris in Deo, tũc Deus esset principiũ generatiuum, & in se ipso, & in alio, & duo opposita includerentur: placuit ergo potius mutilare textum, quàm opposita inuoluere.

Tertiò, fęmina ita generat in se ipsa, vt ex ipsa tanquam ex materia fiat proles, prout dictum est & in 1. & in 3. §. Asserere autem, quòd res generantur à Deo in se ipso, sicut in fęmina est inconueniens. Duæ sunt habitudines in fęmina, prima est materię componentis, secunda loci continentis, & conseruantis: neutrum ex istis respectibus habet Deus, dico ex istis respectibus positis ab Aristotele. Nolo nunc temerare sacras literas, vt Licetus facit, qui longè alia ratione ponit matrem habere rationem principij generatiui, quàm habeat Deus in ratione fœminæ, vnde per æquiuocationem exponuntur æquè æquiuocè & Scriptura, & Aristoteles.

Longè alia ratione ponit rationem maris esse in animalibus, quàm Licetus recitet. Determinat Aristoteles marem per generare *in alio.* Licetus per generare à se, non ab alio.

Recognitio XXVII.

Licetus tres parcas per fabulam inuentas Deo aptat dicens. *Si liceat hæc ad verum sensum explicare diuinæ naturæ, quam necessitatis nomine nuncupauit etiam Aristoteles, tres filias, id est tres formales rationes, quæ sunt ratio causæ formalis, effectricis, & finalis.* — *Licetus.*

Prodigè. Licetus vnum filium in Deo productum ad intra negat: nunc tres filias Deo concedit. Quæ distinctio est Patris generantis à filiabus genitis? An & hic semen iudaismi nouelli absconditum est. Etenim inter Deum parentem, atque tres causalitates eius efficientem, formalem, finalem vt filias, non est distinctio realis, sed iuxta communiorem sententiam *rationis:* iuxta subtilem *formalis* ex natura rei. Dicent ergo Iudæi: secundum sapientissimum Licetum paternitas, & filiatio non ponit distinctionem realem Patris à Filio: sed distinctionem rationis: quæ doctrina à Censoribus fidei Christianæ est vniuersaliter approbata; & à Summo Christianorum Pontifice est cum applausu recepta, quemadmodum testatur ipse Licetus in libro de Septimo Quæsitis ad pag. 276. Cum igitur nos, dicent Iudęi, concedimus iuxta Salomonem in Prouerbijs 30. In Deo. & Patrem, & Ftlium, *quod est nomen eius, & quod nomen Filij eius, sit nosti?* Non sequitur iuxta antiquum illud, & antiquandum argumentum: quòd Pater & Filius sint duæ res realiter distinctæ, quoniam paternitas & filiatio in diuinis ingerunt distinctionem rationis duntaxat, aut vt multum detur, distinctionem formalem: realem verò minimè secundũ istum Liceti verum sensum: ita Sabellianismus, & Iudaismus nouellus restituitur. — *An credendum Liceto.*

Pergit Licetus. *Aequali inuicem internallo in throno sedere, quod est habere ius æquale gubernandi mundum vniuersum: esse quidem vestibus albis ob simplicissimam Dei naturam: & ca-* — *Licetus.*

pite coronato propter potestatem regiam, quam Deus exercet gubernando mundo sub tribus hisce formalitatibus.

Ac vt ratio causæ efficientis, quæ suo effectu (12. Metaph 16) prior est, aptè Lachesis appellatur, quæ præterita concinit.

Et Cloto dicitur causa formalis quum forma (12. Metaph. 16) simul cum effectu ponatur.

Et Atropos causa finalis vocatur, quæ vltimo effectui conueniens (2. physic 23) adueniens futura psallit.

Quatuor hic sunt citationes, prima ex libro de Mundo, tres posteriores ex libris Stagiritæ confessis.

Circa primam sic scribit Author libri de Mundo tres parcas esse. *Earum vnam statuentes in eo, quod iam profligatum est: quam Atropon ideò nuncuparunt, quoniam ea, quæ iam præteriere, retrorsus agi nequeunt.*

Al Lachesis functio futuris destinata est. Omnium enim, quæ secundum naturam sunt, sors sua quodque manet. Heu incredibilem discordantiam textus, & expositionis. Secundum textum Atropos respicit præterita. Lachesis futura. Secundum expositionem Liceti Lachesis præterita, Atropos futura psallit. potuit ne expositio à Discipulo magis contraria Magistro afferri: & minori cum diligentia considerari? Sed relicto libro incerto ad certos veniamus.

Bona concordantia.

Primò citatur textus 12. Metaph. 16. Ita habet textus. *Causæ itaq; mouentes, tanquam antea ortæ existunt: quæ vero vt ratio simul sunt. Cum enim sanus sit homo, tunc etiam sanitas est & forma ænea sphæra simul, atque ænea sphæra.* Prior pars est de causa mouente, idest de causa efficiente, quæ prior tempore est suo effectu: cuius rei ratio redditur, quoniam causæ mouentes sunt antea ortæ, idest factæ prius, vel præfactæ, sicut legebant Alensis, Thomas, Aphrodiseus, Suesanus: Græcè προγεγενημένα idest prius facta, vel præfacta. Postulo, an prima propositio sit vniuersalis, an indefinita? Si est vniuersalis argumentor. Omnes causæ efficientes tan-

Citatio 10 ex 12 met. 16 recognoscitur.

quam

quæ iam prius factæ, prius tempore existunt, quàm sui effectus. Deus est causa efficiens tanquam prius factus: ergo Deus est prior tempore suis effectibus. Primò quidem absurdum est ponere Deum antea esse ortum, vel factum. Ergo inconsideratè textus iste attribuitur Deo, cum non possit cadere sub subiecto primæ propositionis à textu positæ, *causæ mouentes tanquam antea orta*, Deus enim essentialiter acceptus non est antea factus, vel ortus, imò nunquam est factus, vel factibilis: nam si Deus esset factus, ante Deum esset alia causa efficiens tempore prior ipso Deo, & procederemus in infinitum. Aliud est dicere Deum esse causam mouentem, aliud Deum esse causam mouentẽ antea ortã. Sed solemne est Liceto mutilare propositiones Magistri, ac partem sibi commodam recipere, incommodam dissimulare.

Secundò inconueniens sequitur ad hominem. Si enim omne efficiens est prius tempore suo effectu: Deus autem est efficiens, & primum efficiens. Ergo Deus est prior tempore suo effectu. Deus quidem ab æterno fuit, ergo effectus Dei prius tempore non fuit, quo tempore Deus erat sine effectu, & posterius tempore effectus fuit. Quamobrem solus Deus ab æterno fuit, & nullus effectus fuit ab æterno, quod est contra ipsum Licetum æternitatis motus, mobilis, mouentium defensorem. Textus vtique loquitur de causa effectrice, quòd sit prior tempore effectu, & de causa formali, quòd sit simul tempore cum effectu.

Si autem prima textus propositio est indefinita: & subsumas, Deus est efficiens, ergo Deus est prior effectu. Syllogismus est in prima figura ex maiore indefinita, cum fallacia consequentis, nec benè colligit Licetus inde, Deum esse priorem tempore suo effectu. Adde, quòd in minori sumendum est, Deum esse causam mouentem, antea ortam, seu factam, quod esse falsissimum nemo dubitat. Loquitur ergo Aristoteles de causa mouente, sed antea facta; quæ

quo-

quoniam antea facta est, tempore præcedit effectum: quales sunt multæ causæ efficientes, vt plantæ, vt animalia. Hæc satis de formalitate effectiua Dei, quæ in illo textu non continetur.

Illud quoque falsum est, causam effectricem in Deo respicere præterita; quid enim res præsentes facit, & conseruat? quid futuras faciet, & conseruabit? Nonne causalitas effectiua Dei? Imò causalitas effectiua non videtur esse potentia ad præteritum. Facta nanque, aut faciet, aut non faciet Deus. Facere, vt fact a non sint facta est impossibile. Sic Aristoteles in 6. ad Nicomachum cap. 2. *Quod autem factum est, quin factum sit, fieri nullo modo potest; idcirco rectè Agatho, inquit,*

Re namque sola hac ipse priuatur Deus.
Vt facta minimè infecta possit reddere.

Facere vt facta sint facta, superuacaneum est, iuxta Prouerbium, Actum agere. Sed & Author libri de Mundo negat, quæ præterita sunt, retrorsum agi posse. Stagirites verò in lib. 2. de Generat. cap. vlt. quæ semel corrupta sunt, eadem numero refici non posse, asserit. Ergo in via Aristotelis causalitas effectiua respicit præsentia, & futura, præterita minimè; quàm multis modis à Magistro descisicit Licetus?

Citatio 11 ex 12. met. 16. recognoscitur.

Nunc de causalitate formali, de qua Aristoteles in secunda propositione ait. Formam, & compositum simul esse, & inductione probat in naturalibus, vt sanitas, & sanus homo simul sunt: in artefactis vt forma sphæræ, & ænea sphera simul sunt. Dicamus hoc de Deo: quòd Deus sit forma compositi, & incipiat esse cum composito, simul desinat cum composito. Profectò vel aures exhorrent audire, vel lingua proferre, quòd simui ponatur in esse cum composit o effectu, vt incipiente composito, incipiat causalitas formalis in Deo: & desinente composito, desinat causalitas formalis. Facessant hæ detestabiles assertiones, & Aristoteli ne tribuantur.

Ratio

Ratio erroris eſt. Quoniam duplex eſt ſignificatio formę, alia eſt forma externa, vt exemplar 2. Phyſic. 28. 5. Metaph. 2. ſicuti domus extra fit à domo in mente: domus in materia à domo ſine materia 7. Metaph. 23. quæ forma ſine materia exemplar eſt. Alia ſignificatio formæ eſt de forma interna in cauſato, quæ eſt per ſe pars compoſiti. De hac forma verum eſt Ariſtotelis dictum, Cauſa, vt ratio ſimul eſt cum compoſito. Verum eſt hoc de omni forma interna (excipe animam, quæ eſt intellectus, prout excipit ipſemet Philoſophus in 12. Metaph. 17.) Ariſtoteles igitur loquitur de forma internè componente, quæ ſimul incipit, ac deſinit cũ compoſito, & loquitur aduerſus Platonem, qui ponebat formas ſeparatas præexiſtere ante compoſitum. Licetus autem perperam dicta de forma interna, quæ ſimul incipit, & deſinit cum compoſito; traduxit ad formalitatem exemplarem in Deo exiſtentem, quæ nunquam incipit, vel deſinit, atque ideò tempore vel potius æterninate prior eſt omni facto, vel per naturam, vel per artem. Quod ſi attendat ad ſolam coexiſtentiam pro tempore, quo effectus eſt: eodem modo, & efficiens, & finalis cauſalitas Dei præcedunt omnia cauſata, ſeu naturaliter, ſeu artificioſè: & eodem modo coexiſtunt cum iſtis cauſatis, & nihil valet illa differentia præteriti, præſentis, futuri, quantum ad iſtas tres cauſalitates.

Ad cauſalitatem finalem in Deo probandam textum 2. phyſ. 23. profert Licetus, ex quo probare vult, quòd finis habet rationem vltimi, & vltimò aduenientis, atque adeò finem reſpicere futura. Deſcribo textum, quantum ſatis videtur. *Quorum enim continuo motu exiſtente, eſt aliquis finis ipſius motus, hoc vltimum eſt, & id cuius cauſa. quocirca, & poeta deriſoriè adductus eſt, vt diceret: habet finem, cuius quidem cauſa factus eſt. Vult enim non omne vltimum eſſe finem, ſed optimum.* De morte Poeta loquitur, quam, quia vltima eſt, finem nuncupat. De morte Licetus, quia Atropos mortem *Citatio 12 2. phyſ. 23.*

in-

infert. Illam ergo significationem à Philosopho confutatam tanquam à Philosopho positam amplectitur. Sanè Deus est ita vltimus finis, vt sit optimus finis. neque vltimò aduenit, vt interimat, sed vt perficiat.

Recognitio XXVIII.

Citatio 13 LIcetus pag. 27. lin. 4. scribit. *Nam Deus, vt principium habet rationem (2. phys. 28.) effectricis causæ.*

1 Volebat citare textum 29. 2. phys. in quo Aristoteles de causa effectrice differit, citauit 2. phys. 28. in quo nihil de causa effectrice.

2 Textus 29. sic de causa effectrice effatur. *Amplius vnde principium mutationis primum, aut quietis: vt consultor causæ, & pater filij, & omnino faciens facti, & mutans mutati.* Hoc in loco *Deus* non nominatur, tàm sæpè Licetus in textu ponit, quod in textu Magistri non est, scilicet componit nouos textus.

3 Deus vt principium, inquit Licetus, habet rationem causæ effectricis, & probat per textũ 2. Phys. Vocabulum *principium*, est vocabulum æquiuocum ad multas significationes per 5. Metaph. cap. 1. toto. Si ex vocabulo *principium* arguat, ergo principium effectiuum; argumentum est à sophismate æquiuocationis. Si principium causale accipiat: à ratione principij causalis in communi arguere sine distributione ad vnam specialem rationem est fallacia consequentis. Imò est fallacia non causę, vt causæ quoque. Quando enim ad aliquid constituendum requiruntur plura, & ex vno requisitorum inferatur illud, ad quod requiruntur, non causa pro causa inferendi affertur. Veluti si velis inferre *hominem* causa inferens talis esse debet. hoc ens designatum est substantia corporea animata sensitiua rationalis, ergo est homo: rectè infertur. Si autem dixeris, hoc ens est substautia, ergo est homo; non causa pro causa affertur. Iam verò si causa effe-

ctrix

ctrix sit concludenda de aliquo subiecto, vt de C. & arguas C. est principium. Ergo C. est causa effectrix: fallax est consequentia, nam ad inferendum consequens tota definitio causæ effectricis accipienda est pro medio, non vnica, & sola definitionis particula. Dicendum ergo fuerat C. est principium mutationis primum, & quietis. ergo C. est causa effectrix: sed Licetus noster ex voce *principium* sola, alijs nec propositis, nec probatis, concludit Deum esse causam effectricem. Solicitiorem esse me vellem in benè scribendo, quàm in multa scribendo.

Recognitio XXIX.

VNdecima citatio est in pag. 27. *Dogma*, inquit Licetus, *de vnitate Dei profitetur multis alijs in locis Aristoteles.* nam agens de primo motore immobili vnitatem illi assignat inquiens, in 8. Phys. 48. &c.

Prima obseruatio. Textus tres 48. 49. & 52. 8. Phys. transcripsit Licetus. Frustrà trascriberem, præsertim cum in illis textibus, non legatur, *Deos non esse plures*; imò neque *Dei* nomen ab Aristotele est scriptum, sed à Liceto intrusum.

Secunda. Argumentum posset sic formare. Primum mouens immobile est vnum numero, non plura; primum mouens immobile est Deus. Ergo Deus est vnus, non plures. Tale argumentum factum est à Suarez, & à me resolutum in Vestigat. 4. num. 44. iuxta fundamentum ad pag. 27.

Alia enim est ratio mouentis, alia ratio Dei: sunt idem re, sed ratione differunt, mouens, & Deus; ratio Dei nullis mortalibus conuenit, ratio mouentis multis mortalibus. Quod si vna ratio restringitur per additum, quia primum mouens immobile est vnum numero, non restringitur ratio Dei sine fallacia consequentis.

Adde his, quod primum mouens immobile est *hoc aliquid* Deus est *quale quid* conueniens multis Dijs extra cęlum, in cęlo, infra cęlum, teste Liceto lib. 2. de Pietate cap. 6. Dum

igitur in minori propoſitione diceret, primum motorem immobilem eſſe Deum, vel è contra, interpretaretur *quale quid*, vt Deum eſſe, *hoc aliquid*, ideſt motorem primum immobilem. En ſimile argumentum. Sortes eſt vnicus numero, & non plures numero; Sortes eſt ſubſtantia, & è conuerſo. Ergo ſubſtantia eſt vnica numero, & non plures.

Tertia. Monui, ne dum vult probare pietatem in Ariſtotele, illius aperiat impietatem: ne referet cum Cham verenda Patris. vt Magiſtri ſui. Sicut alios in hoc reprehendit in huius libri ſui proęmio, ſed reprehendit iniuſtè, nempè Scotum, & Scotiſtas. In iſtis textibus legimus motuui ęternum inceſſabilem eſſe. Legimus neceſſariò eſſe ponendum aliquid perpetuum primum mouens, quia neceſſarium eſt ſemper eſſe motum: inferimus, primum mouens eſſe ab æterno mouens, eſſe neceſſariò mouens, eſſe neceſſariò aliquid mobile. Iſtæ ſunt impietates. Deus verus ſolus ab æterno fuit, & nihil aliud, aut mouens, aut mobile. Motus cęli nec à parte ante, nec à parte poſt eſt æternus, aut inceſſabilis. Quid igitur eſt Deus Ariſtoteli per Licetum? Eſt primum mouens, mouens ab æterno, & neceſſariò mouens. Tale primum mouens nobis inducit Ariſtoteles eſſe vnum: & falsò atque impiè Licetus dicit, tale mouens eſſe Deum. Aliud eſt verus Deus, qui non neceſſariò, nec ab æterno habet rationem vel facientis actu, vel mouentis, quanquam ab æterno ſit principium factiuum, vel motiuum. Aliud eſt, quod Ariſtoteles ſtatuit, quod Licetus fingit. Simpliciter negandum eſt quòd Deus ſit primo mouens cum duabus illis conditionibus ab Ariſtotele ſcriptis in textibus 8. Phy. dictis.

Sed tamen per Licetum, & Piccolomineum enuntiata de primo motore in 8. phyſ. intelligenda ſunt de vniuerſo genere ſeparatarum mentium. Cum ergo nunc Licetus enuntiet de primo mouente, quod ſit Deus. Ergo ſingulæ mentes

ſunt

sunt Deus, & multi sunt Dij, & non vnus Deus.

Sed in 8.Phys.64.exaratum est. *Tria enim sunt, & quod mouetur, vt homo aut Deus: & quando, vt tempus: & id in quo.* & c. Igitur sub hoc toto vniuersali, *quod mouetur* collocat Aristoteles hominem, collocat Deum. & arguo. *Deus moue tur Arist.*

Deus ex. 8.Phys.64.mouetur.

Primum mouens immobile non mouetur.

Ergo primum mouens immobile non est Deus. Ne autem maior videatur esse non vniuersalis, comparemus istos duos terminos *Deum*, & *mobile*, vel *Deus* est minus commune, quàm mobile, vel æquale, vel magis commune. Si sit minus commune, aut æquale propositio, maior erit vniuersalis. Omne, quod est Deus, mouetur. Si detur tertium, ergo Deus prædicabitur vniuersaliter de mobili: quare omne mobile erit Deus, quod est absurdum. Soluat hoc argumentum ex 8.phys.& in eo libro inceniet duos Deos, alterum mobilem, alterum immobilem.

Recognitio XXX.

Licetus.

DVodecima citatio ad probandam Dei vnitatem affertur ex 12.Met. 29.pag.28. lin.4. *Esse numericam vnitatem aperte profitetur alibi Philosophus, dum ex vnitate numerica primi mouentis, ac omnino primi quod quid erat esse, demonstrat vnitatem numericam vniuersi dicens.*

12. Metaph.49. *Quod autem Cælum sit vnum manifestum est, si enim plures sint cali, vt homines: principium vniuscuiusque erit specie vnum numero verò multa: at quæcunque multa numero materiam habent: vna enim, & eadem multorum ratio est, veluti hominis. Socrates verò vnus. ipsum verò quod quid erat esse primum, non habet materiam cum actus sit, vnum ergo tùm ratione, tùm numero primum mouens immobile ens est; & id igitur, quod semper continuoque mouetur: vnum ergo tantum cælum est.* Hæc Aristoteles,

Licetus. *Quum igitur Aristoteli mundus ita sit vnus, vt nullo pacto multiplex esse valeat: profectò, qui talem vni-*

tatem mundi declarat, atque demonstrat ex vnitate numerica primi quod quid est, primique mouentis, ac(omninò Dei) *Magister vnicum censet Deum, respuitque prorsus Deorum multitudinem.*

Prima obseruatio. Mirabile, an miserabile est, cum lector expectat aliquem textum Aristotelis, in quo vel affirmetur Deus esse vnus, vel negentur Dij esse plures. Licetus adducit quid vis aliud. Particulam *omnino Dei* Licetus ponit, Aristoteles minimè. Plurimi textus affirmant *Deos plures*: nullus adducitur negans *plures Deos*: O frustrata spes Lectoris, nec in isto textu quidem adest Dei nomen. Vnus est mundus, vnum est primum quid erat esse, vnum primum mouens immobile, concedo antecedens esse in Aristotele. Vnum esse Deum, Deos non esse multos, nego consequentiam propter dictas rationes.

Secunda obseruatio. Vnitatem numericam mundi talem describit Licetus, vt nullo pacto multiplex esse valeat, asseritque, quòd ex vnitate primi mouentis, & primæ quiditatis Aristoteles demonstrat talem vnitatem mundi: quod Aristoteles, stante vnitate primæ quiditatis, vt Dei, statuat non posse plures esse mundos, est impietas, coarctans Dei omnipotentiam. Omnipotentia Dei vnica existens numero, potest facere multos mundos, & numero, & ratione diuersos ab isto. Iterum atque iterum impietates Aristotelis propalat Licetus. In quo non placet verbum *Demonstrat* bis repetitum à Liceto. Principia demonstratiua sunt vera, & necessariò vera: conclusio demonstrata est vera, & necessariò vera. Si ergo ex tali principio necessariò sequi talem vnitatem mundi Licetus prætendit, iam ipse duos errores impietatis alterum in consequentia, alterum in consequenti committit. Antecedens: Deus est vnus. Consequens: Mundi non possunt esse plures.

Tertia obseruatio. Confundit Licetus, quasi idem sint apud Aristotelem, primum quid erat esse, primum mouens, & Deus; & hoc aliquid mutat in quale quid: vni-

tatem

tatem numericam attributam primæ quidditati, attribuit Deo, ideſt rationi extraneæ cum fallacia accidentis. Sanè Deus diſtinguitur in multa ratione, & numero ſecundum Ariſtotelem, teſtibus Liceto, ac Piccolomineo loco citato 2.de Pietate cap.6. primum quid erat eſſe non eſt multa ratione, vel numero. Ergo primum quid erat eſſe non eſt Deus, ac malè iſta duo confundit Ariſtoteles Liceticus in vnum.

Quarta. Quæ dicta ſunt de primo mouente in 12. Metaph. dicenda ſunt de vniuerſo genere mentium ſeparatarũ ex Liceto, & Piccolomineo. De primo mouente dicitur eſt primum quid erat eſſe: eſt vnum ratione, & numero. Ergo quælibet mens ſeparata eſt primum quid erat eſſe, eſt vna ratione, & numero. Ratio ſuffragatur, nam quanta eſt latitudo medij termini, tanta debet eſſe latitudo paſſionis demonſtratæ iuxta ſecundum Poſt.97. Nunc autem medius terminus eſt. Quid erat ſine materia, cum actu ſit. Ratio actus eſt communis omnibus motoribus æternis cum 12. Metaph. 30. vnde & ibi aſſeritur, quilibet motor æternus eſſe ſine materia. Ergo ſimiliter quilibet motor æternus eſt vnus ratione, & numero. Differunt tamen motores ſeparati ſecundum ordinem ſuperioris, & inferioris iuxta ordinem orbium cæleſtium; quapropter ſi actus ſine materia, vel primum quid erat eſſe conuenit omnibus ſubſtantijs ſeparatis; omnes ſubſtantiæ ſeparatæ ſunt ſubſtantiæ primæ, ſunt quiditates primæ, ſunt Dij, prout concluditur in text.50. ſequente immediatè, ad 49. à Liceto citatum.

Recognitio XXXI.

AD pag. 28. Ariſtotelem citat ſecundum Arabicam tranſlationem. Poterat adducere textum Græcum Philoſophi genuinum, poterat adducere verſionem Latinam Græco textui valdè conſonam. Voluit adducere ad falſam con-

clu-

clusionem, falsam translationem. Aristotelicus textus, & veraces versiones asserunt plures Deos: falsa negat, ideoque & producitur.

Aliæ partes falsæ, & à textu discrepantes alijs conferendæ relinquantur. Ego quæ necessaria sunt adducam ex versione.

Latina. *Sed necesse est Ixionis cuiusdam fatum detinere ipsum sempiternum, & indomitum.*

Arabica. *Et tunc assimilatur fabulæ antiquorum de Equisor, quod est æternum, & semper mouetur violenter, sine fine, & sine quiete.*

Dicam cum Suessano. ***Auerroes autem loco Ixionis habet Aquitem, quem ignoro.*** Similiter, & ego ignoro, quid sibi velit barbara vox Equisor. Hoc certum est hanc vocem, & cæteras multas discrepare à textu Aristotelis.

2. Latina. *Si itaque quemadmodum diximus, contingit dicto se habere modo de prima latione, non solum de ipsius sempiternitate, sic existimare melius: sed & solùm vtique habebimus sic consentanea diuinationi, quæ de Dÿs est, enuntiare concordes sermones.*

Arabica. *Et dico, quòd sermo illorum de isto motu æterno est sine ratione. Sicut sermo eorum de multitudine Deorum, & non oportet nos iudicare res per sermonem dicentis, sed per verum sermonem, & firma ratione. Volumus igitur fugere istos sermones, & fabulas, & reuerti ad narrandum hoc, quod remanet de dispositione huius nobilis corporis, scilicet cæli.*

Subdit Licetus. ***Damnat igitur Aristoteles opinionem de pluralitate Deorum, tanquam à veritate, rationeque alienam, & profitetur Deum esse singularem, & vnum in mundo.*** Non verus Aristoteles, sed Arabs interpres multitudinem Deorum dicit esse sine ratione, & esse fabulam.

Prima particula illa, *quòd sermo illorum de isto motu*

aterno est sine ratione. Si de antiquis ab Aristotele propositis in textibus 1.& 2. intelligatur, non est conformis Aristoteli, qui plures rationes pro æternitate motus erexit: si pro posterioribus philosophis, vt Empedocle, & Platone, posset concedi Arabicæ lectionis sensus, nisi ipsa Arabica translatio de antiquis exprimeret.

Secunda particula. *Sicut sermo eorum de multitudine Deorum est sine ratione*. Hoc non est in textu.

Tertia particula *Et non oportet nos iudicare res per sermonem dicentis, sed per verum sermonem, & firma ratione*. Ne hoc quidem est in textu.

Quarta particula. *Volumus igitur fugere istos sermones, & fabulas*. Nihil tale in textu.

Quinta particula. *Et reuerti ad narrandum hoc, quod remanet de dispositione huius nobilis corporis, scilicet cæli*. Neque hoc est in textu Aristotelis. Arabs nouum textum cudit, non Aristotelis textum vertit.

Vt intelligamus dicta Aristotelis noto: quando ad aliquem finem possumus peruenire per multa media, tunc consultamus, quod nam medium sit melius. Quando autem vnum solum est medium, tunc medium est necessarium, quia sine illo finis haberi non potest, iuxta definitionem necessarij traditam in 5. Metaph. 6. Ait ergo Aristoteles. Si dicta de prima latione, ita se habent, sicuti nos diximus: tunc non tantùm erit melius asserere primam lationem esse æternam: sed etiam hoc pacto solùm conformes erunt sermones nostri vaticinationi de Dijs. Vnde ad hunc finem, qui est diuinatio de Dijs, non habemus duas vias, vt vna sit melior: sed vna sola via est, scilicet æternitas cęlestis lationis; qua posita, seruatur diuinatio de Dijs: qua non posita, non seruatur. Quapropter æternitas non solùm est medium, vel via melior, sed est sola via seruandi diuinationem de Dijs: propterea & motus æternitas necessariò recipienda est. Arguit ergo Aristoteles ex causa finali. Diuinatio de Dijs est

tenen-

tenenda, cui & nostros sermones conformare debemus, sed posita æternitate motus celi seruatur diuinatio, & sola æternitate posita seruatur, atque est confotmitas nostri sermonis ad diuinationem de Dijs. Ergo non solùm melius, sed etiam necessarium est ponere æternitatem motus.

Suessanus autem super isto textu Aristotelis affert ea, quę spectant ad diuinationem de Dijs dicens." *De Dijs tradit hæc, quòd moueant sine labore, quòd perpetui, quòd beati, quòd formæ separatæ, & eiusmodi id genus:* at hæc omnia per positionem Aristotelis haberi possunt. Nam si motus cælorum sint perpetui, & sine labore; Dij qui cęlos mouent, erunt sine labore, perpetui, beati, atque ab omni mole separati, vt vidimus in libro physicæ auscultationis etiam. Quare hic, & tantus est Aristotelis fructus; inquit. *Si igitur quemadmodum res dicto modo de prima latione sese habere licebit*, vt quod sit perpetua, & sine labore, non tantum melius de eius æternitate erit sentiendum, sed etiam hoc duntaxat pacto, & per nostram dumtaxat positionem de ea vaticinatione, quam de Dijs habemus sententias consonas certius proferre possumus.,, Hæc Suessanus.

Recognitio XXXII.

IN pag. 27. lin. 6. prodit Licetus. *Multitudinem Deorum Aristot. apertè tanquam fabulosam antiquorum gentilium opinionem recenset, ac tantum non reprobat, Deum vnicum celebrans.* Legamus textum.

prima pars textus. 12. Metaph. tex. 50. *Tradita autem sunt quædam à maioribus nostris, & admodum antiquis, ac in fabulæ figura posterioribus relicta, quòd hi Dij sunt, vniuersamq; naturã diuinum continet.*

Secunda pars. *Cætera verò fabulosè ad multitudinis persuasionem, & ad legum, ac eius quod conferat, opportunitatem, iam allata sunt. Hominiformes, ac alierum animalium nonnullis similes eos dicunt, ac alia consequentia, & similia his, quæ dicta sunt.*

3. pars. *Quorum si quis ipsum solum primum separando accipiat,*

quod

quòd Deos arbitrabantur primas substantias esse, diuinè profectò dictum putabit.

Et (vt verisimile est) sæpius quaque arte, & philosophia, quo ad possibile fuit, inuenta, corruptaque rursus, has illorum opiniones, quasi quasdam reliquias nunc vsque saluatas esse. 4. pars.

Paterna itaque, ac priorum opinio in tantum nobis manifesta sit. 5. pars.

1. Hæc Aristoteles. Addit Licetus de suo. *Quis non videt his Aristotelem apertè fateri Deos gentilium, Ammones, Mercurias, Martes, Mineruas, Panes, Faunos, osirides, & alios esse fabulosos, & à priscis callidioribus ad ignaram plebeculam in obedientia, & in obsequio legum continendam inductos?* Licetus.

2 *Ac eos cautè reprobare, qui motrices orbium intelligentias infra Deum sitas nomine Deorum donabant.*

3 *Ait enim talium opiniones esse veluti reliquias corruptæ apud gentes veræ philosophiæ, nimirum si placet Mosaycæ, ac veræ Theologiæ.*

Cautè Aristoteles in prima parte textus ponit secundum antiquos, quòd *hi Dij* sunt; neque hoc tanquam fabulosè dictum notat. In 2. parte scribens. *Cætera verò fabulosè*, secernit fabulosa huius partis, vt quod Deos posuerint habere formas hominum, & animalium. Sic in 1. Polit. cap. 2. car. 380. *Et Deos ob hoc ipsum putant cuncti regem habere, quoniam ipsi partim nunc, partim antiquitus sub regibus degebant. Quemadmodum verò formas humanas Dijs attribuunt homines, sic etiam vitas.* Fabulosum est formas hominum, atque brutorum, necnon eorum actiones, vel passiones Dijs attribuere: at quod *hi Dij sint*, non est fabulosum. Legamus Aristotelē in tertia parte separantem dictum in 1. par. à fictis in 2. In 3. parte inquit. *Quorum si quis ipsum solum primum separando accipiat: quod Deos arbitrabantur primas substantias esse, diuinè dictum putabit.* Ergo primum dictum Aristoteles approbat, tanquam diuinè dictum. nimirum quòd 1. obseruatio.

motores immobiles, quòd primæ substantiæ sint Dij. Incautè Licetus confundit primam partem cum secunda, & quę Aristoteles reprobat, quoad formas corporeas attributas substantijs separatis à corpore, confundit cum substantijs separatis, quas Aristoteles comprobauit, & ab antiquis diuinè dictum esse iudicauit, quòd substantiæ primæ sint Dij. Non reprobat Aristoteles motores separatos orbium Iouis, Martis, Mercurij, hoc enim esset destruere propriam opinionem: reprobat formas humanas, vel bestiales separatis substantijs attributas fabulosè; & frustrà Licetus contra omnes nititur expositores, qui omnes in 3. p. explicanda, notant ab Aristotele approbari, quòd *primæ substantiæ sint Dij*. Omnes afferre supersedeo, tres tamen ex tribus sectis præclarissimos viros Peripateticos referam.

Aphrodiseus. Ex Græcis Alexander Aphrodiseus, Liceto in pag. 28. fidus Aristotelis interpres, in commentario 12. Metaph. text. 50. ait. *Postquam docuit Deos esse, & tot numero, quot sphæras, qui ex diuinissima, optimaque substantia pendeant: eique subiecti sint, & quibus ab illa, vt optimi, & sint, & habeantur, suggeratur, sic ait. Neque verò ipsi tantùm in hac de Dijs sententia sumus: sed à veteribus etiam, priscisque hominibus in figura fabulæ accepimus, Deos esse, non alios per fabulas significantibus, quàm hos, qui à nobis asseruntur. Sunt igitur Dij, diuinaque multitudo, quæ vniuersum naturam, omnemque mundum continet.* Posthac exponit secundam partem deformis, quæ attributæ sunt Dijs, & rationem reddit qualem qualem earum formarum. Denique ad tertiam partem scribit Aphrodiseus.

A quibus, inquit Aristoteles, idest ab his omnibus, quæ de Dijs fabulosè traduntur (si quis primum illud separauerit) quas scilicet nos primas substantias Deosque vocamus: & illos quoque Deos esse censuisse (putabit diuinè dictum fuisse sanè.) In quo Philoponus, ac Themistius cum Alexandro conueniunt.

Ex

Ex Arabis Auerroem, quem Licetus pag.28. magnum commentatorem nuncupat, profero, iudicium Aristotelis in 3.par. exponentem. *Si aliquis homo exposuerit sermonem eorum, quoniam intendebant per Deos primas substantias, quæ sunt principia corporum cælestium, tunc expositio erit vera, & apologus consentiens veritati.*

Auerroes.

Ex Latinis Alexander de Alas Aristotelicum iudicium ita declarat. *Si tamen aliquis accipiat ex dictis eorum hoc solum quod isti extimauerunt Deos esse substantias separatas, hoc diuinè, & verè dictum est, & secundum probabilitatem, & quantum ad hoc dictum eorum est consonum dicto nostro.* Idem sentiunt Albertus Magnus, Thomas Aquinas, Antonius Andreas, Paulus Soncinas, Antonius Scaynus, Ioannes Baptista Rubeus, Vicomercatus, Suessanus, Celius Mancinus. Ecquis obsecro, alium sensum erueret, nisi quòd hæc propositio *primæ substantiæ sunt Dij* est ab antiquis diuinè dicta?

Alensis.

Alber. 12. me. cap.29
Aquin. in comen.tex. 50.
Ant. And. ibidem.
Soncin.
Scayn. in coment.
Rubeus, Vicom. Suess. Manc. in comen.

Quis interrogo? Respondeo: Licetus aduersus clarissimum textum, & clarissimè ab expositoribus declaratum in lib. de Pietate Aristotelis ait pag. 29. *Ac eos etiam cautè reprobat, qui motrices orbium intelligentias infra Deum sitas. Deorum nomine donabant.* Non reprobat vtique, sed approbat tanquam diuinè dictum. Veruntamen si est contra omnes Licetus, est etiam contra se ipsum, qui in lib.2. de Pietate cap.6.pag.113. *Præterea*, inquit, *Dei nomen Aristoteles non raro tribuit secundis intelligentijs &c. Tum cælestia corpora mouentibus*, atque ad hoc citat 12. Metaph. 50. Si ergo 12.Metaph.50. Aristoteles intelligentias Celorum motrices Dei nomine [illegible]nat, non reprobat eos, qui tales intelligentias vocant Deos, sed reprobat Licetum, qui ponit Aristotelem reprobare se ipsum.

Quartam particulam textus ita delineat Licetus. *Ait enim talium opiniones esse veluti reliquias corruptæ apud gentes veræ philosophiæ, nimirum si placet Mosaicæ.*

Et hæc quoque est corruptela textus, non expositio; nil ob-

ſtat, quin corrupto toto, partes eius aliquæ ſaluentur, vt domibus deſtructis, ſæpè remanent, parietes, ſcalæ, portæ. Ita prius inuenta eſt philoſophia, poſtea corrupta; ſed non obſtante corruptione, aliquæ reliquiæ vſque ad Ariſtotelem ſunt ſaluatæ; nam ſi quæras, quæ nam ſunt iſtæ reliquiæ, nihil inuenies in hoc textu 50. niſi iſtud dictum *Primæ ſubſtantiæ ſunt Dÿ;* ſi etiam hoc reprobat, nihil approbat, nullas reliquias ſaluatas docet priſcæ philoſophiæ, ſuam opinionem non confirmat ex authoritate antiquorum; quod eſt planè contra intentionem philoſophi: ſolet enim Ariſtoteles proprias confirmare ſententias ex antiquorum traditione, vt in 1. Meteor. ſumma 1. cap. 3. de vocabulo *æther*, vbi quoq; docet, eaſdem opiniones reuerti etiam infinities; cauſamque interitus philoſophiæ explicat in 1. Meteor. ſum. 1. cap. vltimo. Item in 1. de cęlo 22. In 2. de cælo text. 50.

Quod autem ait, per philoſophiam corruptam intelligi Moſaicam, eſt valdè alienam. Ariſtoteles erat Græcus, & à maioribus Græcis deſcendens, prout omnes Hiſtorici de Ariſtotele conteſtantur; vno Hebræo pſeudo Hiſtorico contradicente. Sic Ariſtoteles. *Tradita autem ſunt à maioribus noſtris, & infrà, Paterna opinio &c.* quibus conſonat in 2. de cęlo text. 2. Ponere ergo Hebræos, & Moyſen, eſſe maiores, & parentes Ariſtotelis, inane eſt.

Deinde textus, vt Licetus vult, reprobat iſtas reliquias, quòd *primæ ſubſtantiæ ſunt Dÿ, & quòd Dÿ fabuloſi ſint cum formis hominum, & brutorum*: iam Ariſtoteles reprobat philoſophiam Moſaicam, quam tamen ex placito Liceti Ariſtoteles approbat. Sed in Scripturis Moyſis inueniri, quòd primæ ſubſtantiæ ſint Dij, falſum eſt. Quod motores æterni ſint, & cęli moti ab æterno: quod motores cęlorum ſint habendi tanquam Dij, falſum eſt: quanquam Licetus plenus æquiuocationibus & plenus abuſionibus ſcripturarum, hoc velit Sacræ Scripturæ imponere. Statui abſtinere à rebus

ſacris

sacris, quantum possibile fuerit.

Falsum est illud quoque, Mosaicam doctrinam tempore Aristotelis fuisse corruptam; non fuit corrupta apud Gentiles, quibus data non fuerat iuxta psal. 148. non apud Hebræos corrupta fuit: propterea quod fideles Hebræi diligenter Moysis libros seruarunt. Si quid autem ex libris Sacris detritum est in captiuitate Babylonica, per Esdram prophetam est reparatum; qui non solùm aliena manu, sed & propria literis aureis scripturam sacram scripsit, & in Sanctuario templi reposuit. Tempore Aristotelis res Iudæorum florebant sub Persarum Regibus: Alexander verò Philippi nihil Iudæos nocuit, sed eos potius honore auxit. Nec potuit Aristoteles Hebræorum Scripturas legere, quia nondum in Græcum idioma translatæ erant. S. August. in 8. Ciuitat. Dei cap. 11. de Platone scribit. *Ab anno mortis Platonis vsque ad tempus, quo Ptolomæus Rex Aegypti Scripturas Propheticas gentis Hebræorum de Iudæa poposcit, & per septuaginta viros Hebræos, qui etiam Græcam linguam nouerant, habendas curauit, anni fermè reperiuntur sexaginta: quapropter in illa peregrinatione sua Plato nec Ieremiam videre potuit tantò ante defunctum, nec easdem scripturas legere, quæ nondum fuerant in Græcam linguam translatæ, qua ille pollebat. Nisi fortè quia fuit acerrimi studij, sicut Aegyptias, ita & istas per interpretem didicit.* Hæc Augustinus. Aristoteles viginti tribus annis post Platonem vixit ex Bergomensi in supplemento Chronicorum car. 66. Nec Aristoteles in Ægyptum peregrinatus est ad discendas literas Ægyptiorum, aut Hebræorum; vnde philosophiam propriam ex naturali ratione, & ex maiorum suorum traditione hausit.

S. August.

Reco-

Recognitio XXXIII.

Licetus

QVintum decimum à Liceto pag.29. prolatum textum iam assumamus. Sic ait. *Aristoteles ipse re vera Dei nomen attribuit vni soli menti supremæ, cuius attributa statim aggreditur post prædicata proponere scribens (12. Metaph.50. debuit citare 51) E verò, quæ circa mentem sunt,* semper sic de Deo loquitur numero singulari.

Prima obseruatio. In toto textu 51. 12.Metaph. Nec nomen Dei, vel Deorum, siue in numero singulari, siue plurali reperitur, atque adeò citatio est simpliciter falsa, dum ait, quòd Aristoteles, vel supremæ menti, vel menti in communi Dei nomen attribuat.

Alber. de omni. 12. met. c. 30.

Secunda obseruatio de re in illo textu proposita est controuersia non contemnenda: Vtrum dicta de mente in textu 51. citato sint de sola mente suprema, an de mente separata omni. Si enim in illo textu 51. duodecimi diuinorum non agitur de intellectibus separatis, & eorum intellectione, nusquam agitur. At verò in 2.de Cęlo 59. vt absurdum infertur, si natura curam de animalium corporibus gesserit, & de cęlis multò pretiosioribus minimè gesserit. Negligentię accusaretur natura in hac parte; sed multò maioris negligentiæ naturæ sublimis scrutator accusaretur, si de corporibus cælestibus, & eorum operatione egit; de motoribus separatis cęlorum, deque eorum intellectu, atque intellectione non egit; cum improportionaliter motores cęlorum cęlos superent magis, quàm cęli animalium corpora. Quid? quod in 3.de Anima de humano intellectu accuratè disseruit, sed ignobiliore, & in 12.Metaph.non disseruisset de substantiarum primarum intellectu?

Certè iuxta primum fundamentum à Liceto, & Piccolomineo contratū, asserta de Deo primò: sunt asserenda de vniuerso genere mentium separatarum, quare iuxtà illud fun-

fundamentum dicta in isto textu 51. non sunt propria solius Dei supremi, sed communia omnibus Dijs inferioribus.

Sed fac textum illum de sola mente suprema differere; non tamen in illo textu agitur de Deo. quod est nomen commune multis: neque agitur de vnitate, vel multitudine, vel Dei, vel mentis: de cultu Dei vnius approbato, vel Deorum multorum cultu reprobato.

Tertia obseruatio. Numerus singularis, & pluralis secundum grammaticam, non inferunt in re significata singularitatem, & pluralitatem vniformiter. Ad vnitatem numeri singularis sufficit qualiscunque vnitas, numerica, specifica, generica, analogica: vnitas numerica non requiritur. Etenim omnis definitio, diuisio, demonstratio est in re vniuersali (singulare enim non est scibile 7. Metaph. 53.) omnes ferè in singulari assignantur diuisiones, definitiones, demonstrationes. In 4. Metaph. legimus: *Est scientia quædam quæ speculatur ens, prout ens est, & quæ ei per se insunt.* Nullus conceptus est minus vnus, aut plura continens, quàm ens. Si ergo ens ponatur in singulari numero: nunquid valet consequentia? Ergo ens est vnum numero, & non sunt plura entia? Qui sic argumentabitur in opiniones Parmenidis, & Melissi incidet refutatas in 1. Phys.

In 1. de Interpretatione cap. 5. *Dico autem vniuersale, quod in pluribus prædicari natum est; singulare verò, quod non: vt homo quidem vniuersalium est, Callias vero eorum, quæ sunt singularia.* Quia vniuersale definitur in numero singulari, iuxta mirabilem Liceti sapientiam sequitur, quòd vniuersale sit vnum numero: vt homo sit vnus numero; & quia singularia ponuntur in plurali numero, iam singularia singula erunt plura, quod ridiculum est, cum Callias sit vnum numero. Ergo ad numerum singularem in hoc nomine *Dei*, sufficit, vel minima vnitas, quæ est analogica. Sed ad numerum pluralem requiritur multiplicatio realis in significa-

to

to principali, de qua re legatur Doctor subtilis in 1.d. 2. q.3. cum statuit differentiam inter has duas propositiones, *Deus est*, & *Dÿ sunt*. Consule Vestigationem 4. num.4. & 5. & num.29. vbi probatur esse fallacia consequentis ex loquutione in numero singulari, concludere significatum esse singulare. Adest etiam figura dictionis, quia enim similis terminatio est numeri singularis, & de re vniuersali, & de re singulari: ideò fallacia est, si in re colligitur singularitas, vt Petrus est numeri singularis, ergo est singulare: Dominus, est numeri singularis, ergo est singulare. Sed prosequamur dicta Liceti.

Falsa citatio.

Primum dictum Liceti super tex.51.12. *Sic igitur Aristoteles ex propria sententia decernit, Deum esse vnam numero mentem.* Falsò citat, neque enim Dei nomen est à parte subiecti, neque vnum numero à parte prædicati. legatur in textu Aristoteles.

Secundum dictum. *Mentem adeò singularem, & simplicem, omnisque multitudinis expertem, vt in ipsa, nulla prorsus compositio, pluralitasque reperiatur.*

Falsò citat. Neque vox *singulare* est in textu, neque affirmatio *simplicitatis*, neque negatio *compositionis*. Vt autem veritas pateat, ascribo textum, quamuis prolixum à Liceto allatum 12. Metaph.51.

Textus. *Ea verò, quæ circa mentem sunt quasdam dubitationes habent: videtur enim, eorum, quæ apparent, quid diuinissimum esse; quo verò modo se habens talis erit, difficultates quasdam habet. Siue enim nihil intelligat, sed ita se habeat vt dormiens, quidnam præcellens erit? siue intelligat, huius verò aliud sit principale (non enim id, quod est eius substantia, intellectio erit, sed potentia:) profectò non erit optima substantia. Præterea siue mens, siue intellectio eius substantia sit, quid intelligit? aut enim ipsa seipsā, aut aliquid aliud: quod si aliud, aut idem semper, aut aliud. Vtrum aut differt aliquid, an nihil, intelligere bonum, vel quodcumque? An verò de quibusdam ipsam etiam & cogi-*

tare

tare absurdum est. Manifestum itaque est, quòd illud intelligit, quod diuinissimum, honorabilissimumq; est. Neque mutatur; in deterius nanque mutatio fieret, ac motus, quod huiusmodi iam esset. Primò igitur si non est intellectio, sed potentia, rationabile est laboriosam et continuationem intelligendi esse. Deinde dilucidum, quod aliquid aliud honorabilius esset, quàm mens, id scilicet, quod intelligitur: & intelligere profectò, ac intellectio, & quod pessimum intelligenti inerit. Quare fugiendum hoc est: etenim quædam melius est non videre, quàm videre, alioqui non fuerit, quod optimum intellectio. Se ipsam ergo intelligit, si est quidem, quod optimum est, & est intellectio intellectionis intellectio est.

Conferat prudens Lector textum ex vna parte, Licetica ex altera parte: nec inueniet in textu, Deum esse numero vnum, aut singularem, aut simplicem, aut non compositum nominari. Multominus reperiet dictum illud Liceti, vt in ipsa *nulla prorsus pluralitas reperiatur*. Mens quidem est vna re, sed in ea sunt multę rationes: nam ratio intellectus, & intellectionis sunt in prima mente, sunt in mente humana. Deitas item per Licetum competit primæ menti, sed humanæ menti, non competit Deitas. Igitur ratio Deitatis, quæ non communicatur homini, diuersa est à ratione intellectus & intellectionis, quæ communicantur homini. Sunt item in prima mente rationes entis, substantiæ, intellectualitatis, vnitatis, veritatis, bonitatis, & aliæ multæ. Neque fugies fallaciam accidentis (nisi caueas,) quæ de Deo sub vna ratione dicuntur attribuendo eidem secundum alteram rationem.

☞ Tertium dictum Liceti. *Quæ mens assiduè se ipsam intelligat, nec à suimet intellectione distinguatur hilum.*

Hilum, quid sibi vult? vocabulum exoletum, & significat illud nigrum, quod est in summitate fabæ. Ponitur ea vox per contemptum, vt vilissima à Cicerone in prima Tusculan. ad irrisionem fabularum tartarearum. à Liceto ad irrisionem

L su-

ſupremæ mentis, vel Doctorum in ea diſtinctionem ponentium. Thomiſtæ in Deo non negant diſtinctionem rationis tùm ratiocinantis, tùm ratiocinatæ. Scotiſtæ diſtinctionem formalem, & ex natura rei ponunt. Seraphicij virtualem,& ex parte rei, & ex parte rationis. Doctores iſti, aut eorum doctrinæ ne hilum quidem valent, dum ſtatuunt in prima mente diſtinctionem, vbi nec hilum diſtinguitur mens,& intellectio.

Veruntamen cum Ariſtoteles velit demonſtrare hanc propoſitionem. *Mens eſt intellectioni ſuæ eadem, & è contra*; accipit ſemel pro medio termino *optimam ſubſtantiam*. Semel *non eſt potentia intellectio.* Semel, *non eſt aliquid honorabilius,* ſcilicet quod intelligitur. Si igitur ſubiectum demonſtrationis, & prædicatum, atque etiam tres medij termini ſunt omninò vnum, & idem, ita vt nulla prorſus pluralitas in mente prima reperiatur, nulla diſtinctio ex Liceto : iam demonſtratio Ariſtotelis à parte rei habebit vnum terminum, non tres terminos: habebimuſque petitionem principij loco demonſtrationis. Itemque tres medij termini, vnde & tres demonſtrationes, erunt vna demonſtratio: imò nec vna, ſed erit petitio principij.

Sunt idem in ſeparatis à materia, quod intelligit, & quod intelligitur per 3. de Anima 15. Sed intellectus eſt intelligibilis per rationem communem ad omnia intelligibilia, eſt intellectiuus propter rationem propriam immaterialitatis, à materia corporali. Vnde etiam in prima mente, alia eſt ratio, qua eſt intelligibilis, alia, qua eſt intellectiua, alia, qua intellectio, conſurgens ex intelligibili,& intellectiuo. Neque confundendæ ſunt hæ rationes, quaſi nihil prorſus diſtinguantur, ſiue Licetus fabas nigras voret contra præceptum Pythagoræ, ſiue hilum à fabis reijciat.

Quartum dictum Liceti pag. 30. lin. 9. *Verùm, & qui Dei vnitatem ſingularem ex eius intellectionis ſimplicitate colligit, in Metaphyſicis.* Falsò quidem citat tanquam dictum in textu

tu, quòd Aristoteles probauerit Deum habere vnitatem singularem ex eius intellectionis simplicitate. Sed Licetus iam euasit Magister, vnde à se Liceto dicta, profert tanquam à Magistro dicta. Interea concedamus Liceto, quod vult: atque in ista ratione philosophi erunt tres termini A. maius extremum, *Vnitas singularis*. B. medium. *Simplicitas intellectionis*. C. minus extremum, *Deus*. Si hæc tria non distinguuntur hilum, ita ut in istis nulla pluralitas reperiatur: ergo Aristoteles petit principium, probans idem per idem: scribit quippe in 2. Priorum cap. 21. *Si tamen B. ad C. ita se habet, vt idem sint, aut videlicet conuertuntur, aut inest alterum alteri: petitur quod in principio*. Sed ex Liceto A. est vnitas singularis, B. simplicitas intellectionis, C. Deus, siue mens suprema, atque de intellectione comparata ad mentem ait pag. 30. *Quæ mens assiduè semetipsam intelligat, nec à suimet intellectione distinguatur hilum, sed in ea vnum & idem prorsus (ac omnino) sit intellectio, quod intelligit, & quod intelligitur*. Igitur B. idest simplicitas intellectionis, & quod intelligit, nempè C. sunt idem prorsus, & omninò. Ergo in syllogismum magistri sui Licetus intrudit petitionem principij. Quod cum sit absurdum, recedendum est ab illa intemperanti assertione identitatis, quæ ponit in Deo omnia esse idem re, ac prorsus, & omninò nulla ratione distingui. 2 priorum

Postremò. Si Cl. Licetus ex eo, quia mens suprema est numero vna, concludat Deum esse vnum numero, incidit in superius indicata sophismata figuræ dictionis, & accidentis. Verum enim est apud Aristotelem nomen Dei esse commune multis, cum suprema mens sit vna numero. Si autem interpretaris Dei nomen significari hoc aliquid, & vnum numero: & falsum assumes, & fallaci vteris argumento, de quo supra dictum est,

Recognitio XXXIV.

DEcimosexto ad pag. 30. lin. 10. In Ethicis lib. 7. cap. 14. *Nam si alicuius natura simplex sit, ei semper eadem actio erit iucundissima: atque idcirco Deus semper vna, ac simplici gaudet voluptate: neque enim motionis tantum, sed immobilitatis operatio est: magisque in quiete, quàm in motu voluptas consistit.*

Prima obseruatio. Gratulandum est superis, quòd Licetus adduxerit textum, in quo ponitur & Deus, quod est subiectum conclusionis, & vnitas, quæ est prædicatum. At non venit de Sacco Liceti hæc farina. In mea Vestigatione 4. num. 40. argumentum hoc Eugubino relatum est. Denique istam authoritatem reperiri ex 7. Nicomac. cap. vlt. & 6. ad Eudemum cap. vlt. de mea Vestigatione sumpsit, nec sumpsisse dixit. Ibi tamen istud solutum est argumentum.

Eugub.

Secunda obseruatio. Quærendum est, quid significetur per nomē *Dei*, an singulare aliquod, vt hic vult Licetus, an aliquod vniuersale, vt vult Licetus de Pietate Aristotelis lib. 2. cap. 6. cum Piccolomineo. Reuera hoc secundum cum Aristotele dicendum est. Cognoscetur autem ex ratione allata in textu: si alicuius natura simplex sit, ei semper eadem actio erit iucundissima. Sed non solùm supremus Deus est simplicis naturæ, imò omnes motores æterni per 12. Metaph. 30. sunt sine materia, sunt actus sine potentia, sunt sua substantia actu, vel actio. Ergo quilibet motor æternus vna, & simplici voluptate gaudet. Ergo omnes æterni motores conueniunt in prædicato, conueniunt in medio termino, atque pariter conueniunt in subiecto. Similiter in 8. Metaph. 16. *Quæcumque verò neque intelligibilem, neque sensibilem materiam habent, statim vnum quiddam esse vnumquodque est.* Quilibet igitur motor æternus est quiditas sine materia, est

8. metaph. 16

actus sine potentia, est vnus ratione, & numero, est nuncupatus Deus iuxta 12. Metaph. 50. est vna substantia, vna & simplici voluptate gaudet: Quo autem modo vna sit actio, & quomodo factiones multæ in Deo, dixi Vestigat. 2. num. 60.

Tertia obseruatio. Tàm in præcedenti citatione, quàm in præsenti à simplicitate Dei Licetus arguit vnitatem, vt pag. 30. linea 10, scribit. *Eiusdem (Dei) vnitatem pariter, ac singularitatem deducit ex eius desiderio simplici.* Asserit hoc Licetus, & asserit contra suum Magistrum in 12. Metaph. 37. dicentem. *Est autem vnum, & simplex non idem. Siquidem vnum significat mensuram, simplex verò quomodo se habeat ipsum.* Valdè dissonant Discipulus, & Magister, Licetus, & Aristoteles. Licetus affirmat simplex, & vnum esse omninò, & prorsus idem, Aristoteles est simplex, & vnum non idem. exponat fidus Aristotelis interpres Aphrodiseus. Fidus asserto Liceti. *His verbis (inquit Aphrodiseus) obiectioni cuidam, quæ opponi posset, occurrit: quæ huiusmodi est. Si prima, & immobilis substantia simplex est, simplex autem est vnum substantia, igitur immobilis vna est. At sunt aliæ immobiles substantiæ, vt ipse hoc libro docebit. Hanc igitur dubitationem explicat dicens, vnum autem, & simplex non eadem sunt. vnum enim mensuram significat, vt vnum hominem, quo homines metimur, & vnum equum, quo equos mensuramus. Simplex non significat mensuram, sed quomodo sese habet ipsum, idest significat simplex non esse compositum.* Vnica ergo numero in vno Deo est voluptas simplex, sed collectiuè acceptis Dijs, totidem sunt voluptates simplices, quot Dij, nimirum quot substantiæ primæ. Quæ vnitas analoga est, sicut & Dei nomen est analogum.

12. me. 37

Recognitio XXXV.

DEcimo septimo loco pag.30.lin.16. probare vult Licetus Deum esse singularem, districto textu, ex septimo ad Eudemum cap.15. *Quærat enim fortè quispiam num per omnia sufficienti amicus sit; quumque vir bonus sufficiensissimus, & vna cum virtute beatus, quid habeat opus amicis? Neque enim, vel vtilibus, vel prouidis, vel alieno conuictu, sufficiens opus habet: quippequi abundè sibi ipsi conutuere, adesseque possit; veluti Deus, qui cum nulla re egent, nec amico etiam opus habet, quocirca, & homo beatissimus minimè omnium eget amico, nisi quatenus impossibile est ex sese sibi sufficientem esse.* Licetus infert. Deus igitur Aristoteli singularis, & vnicus est. probat consequentiam.

7. Eudem.

Licetus.

Primò, quia si plures Dij forent, non solum alter alterum intelligeret: adeoque non idem prorsus esset intelligens, & quod intelligitur.

Secundò, sed etiam alter alteri foret amicus (qui enim Deum Deo ponat inimicum, aut non amicum:) quod asserere non debemus, cum amicus amico sit vtilis: nec Deo quid vtile possit esse, qui sibimet ipsi sufficientissimus est.

Plura hic noto. Primum ex duobus exemplaribus librorum ad Eudemum, alterum in folio Lugduni impresso, altero Aureliæ Allobrogum in quarta folis repertum esse textum citatum in cap 12.quem citat Licetus cap. 15.

2. Magnopere differunt dubitatio, & resolutio. Aristotelis opinio non est promenda ex dubitatione, sed ex resolutione. Licetus autem dubitationem Aristotelis proponit pro resolutione. In dubitatione quidem sæpius falsa proponi non est ambiguum.

Dubitatio est, an homo felix sibique sufficiés, amicis opus habeat: ratio dubitandi est, quia Deus sufficientissimus sibi, amicis non indiget. Quare, & Aristoteles versus finem capi-

tuli

tuli asserit istam rationem non concludere.

Aristoteles primò ad initium Capituli 12. car. 362. proponit quæstionem cum ratione dubitandi, & incipit in verbis à Liceto relatis. *Quærat enim fortè quispiam, num per omnia sufficienti amicus sit.* Deinde in eadem pag. ad D. scribit. *De hac autem quæstione considerandum est, vtrum aliud quidem rectè dicatur, aliud verò lateat propter parabolam.* In quibus verbis, & ostendit præcedentia non continere resolutionem, & præsentia verba incipere ipsam solutionem.

Tertiò in pag. 364. A. eodem cap. respondet ad dubitationem propositam, in qua negabatur sufficienti homini opus esse amicis, quia & Deo sufficienti non est opus amicis. Respõdet inquã. Sed cum duo exemplaria librorum ad Eudemũ habeã, alterũ Lugduni impressum, alteram Aureliæ, sicut dixi; & in textu Græco Lugdunensi diligentius notatæ sint Lacunæ quædam, atque in Latino mendæ irrepserint, producam textum, sed pro viribus emendabo.

Textus è 7. Eudem. cap. 12. car. 364. A. *Verùm, quòd ex ratione, id non eluxerit, & rationabiliter id consequutum (lege non sequutum) sit ex verè dictis, vt puta compositione collationis in promptu solutio est.*

Quòd Deus (sic in Græco, licet in Latino desit vox Deus, legatur ergo sic.) *Quod Deus eiusmodi non sit, vt amico egeat, aut similem requirat: non reputabit pari ratione vir bonus. Neque enim in hunc modum Deus habet, vt qui pro sua excellentia nihil præter se ipsum cogitat. Nobis autem bonum aliunde euenit, vnde & necessum habemus multos amicos conquirere.* Ex isto principio solutionis constat verba per Licetum citata continere dubitationem non resolutionem, atque ideò citationem esse falsam, nec esse simile de Deo, qui aliunde bonum non accipit: & de homine, qui aliunde accipit: Quo autem modo intelligatur dictum. *Deus nihil præter se ipsum cogitat*, expositum est à me in Vestigat.

Quid cogitet Deus.

Quæ tractantur in isto cap. 12. ad Eudemum, eadem tractan-

ctantur in lib.9.ad Nicomachum cap. 9, & in 2.Magnorum Moralium cap.10. atque in his tribus locis pleraque eadem habentur; & ex vno loco alijs lux dari poterit: præsertim ex isto libro 2.Magnorum Moralium, vt mox dicam. vnde, & patescet clarius à Liceto pro resolutione proferri dubitationem.

Tertiò noto. Licetum astutè ab isto cap.12.libri 7.ad Eudemum accipere verba dubitationis, quæ pro ipso faciunt: sed mutilare, quæ contra ipsum pugnant in eodem capitulo car.364. D.dum nomina Deorum falsorum scribuntur sic. *Et quemadmodum Herculem mater potius Deum esse volebat, quã vna cum ipsa manentem Euristeo mercenariam operam locare. Sic enim diceret, & quem Lacon dicterio irrisit, vocantem forte, dum tempestate affligeretur, iubens Castorem, & Pollucem implorare.* Tres Deos Herculem, Castorem, Pollucem videat Licetus in Atistotele, dum vult asserere vnum Deum.

Quartò reuertamur ad considerandum text.in 2. Magnorum Moral.cap.15.car.242.A. vt appareat dubitatio, non resolutio esse à Liceto proposita. Textus sic habet. *Nascitur quæstio. vtrum qui cuncta habeat bona, quique sibi satis sit, amicis egebit? An tùm etiam maximè? Cui enim benefaciet, aut qui cum vitam ducet? Neque enim solus deget. Quod si his opus erit, neque contingant hæc citra amicitiam, qui sibi satis est, egebit amicitia.* Hæc ita decernit Aristoteles ex propria sententia, & ratione: ac statim sequitur. *Quæ igitur in sermonibus consueuit capi similitudo ex Deo, neque illic rectè habet, neque hic fuerit vtilis? Neque enim si Deus sibi vnus est satis, nec vllo indiget, ob hoc etiam nos nullo indigebimus. Est enim iactatus de Deo huiusmodi sermo. Nam quoniam bona cuncta obtinet Deus, ac sibi satis est; quid faciet? Neque enim dormiet. Contemplabitur aliquid, inquiunt, id namque pulcherrimum, ac maximè peculiare. Quid igitur contemplabitur? Nam si quicquam aliud inspiciat, id erit melius. Hoc verò absurdum est, vt sic quicquam melius habeat Deus. Ipse igitur sese contemplabitur. At hoc delirum*

lirum: nam hominem, qui se sese contemplatur, vtpotè sensu carentem, increpamus: Quid igitur Deus contempletur, omittamus: neque de eo, quod sibi Deus satis sit, consideremus, sed de homine.

Conspicimus ex isto textu dictum de Dei sufficientia fuisse dubitationem, non resolutionem: fuisse communem in sermonibus iactatis, non propriam Aristotelis: esse dnbitationem hanc reprobatam, quia neque in se de Deo loquendo rectè habet, neque in ista disputatione de homine sufficiente est vtilis: ideò. & Aristoteles eam considerationem reijcit dicens. *Neque de eo, quòd sibi Deus satis sit, consideremus*: quare hęc dicta deDeo sufficiēti, prò nō dictis habēda sūt.

Consequitur Licetum in citando textu de 7.adEudemum, & de 2.Magnorum Moral.trifariam aberasse. Primò, quòd dubitationem pro resolutione afferat. Secundò, quòd alienam dubitationem, ceu propriam Aristotelis adducat. Tertiò, quòd reprobatam ab Arist.velut approbatam obtrudat.

Quintò. Licetus addit de suo deducens ex ipso textu citato. *Quia Deus est sibimetipsi sufficientissimus, igitur Aristoteli singularis, & vnicus est.*

Consequentia ista est Aristoteli directè contraria. Siquidem in 1.de cęlo 100.scribit extra *Cælum esse nonnulla optimam habentia vitam, & per se sufficientissimam.* Liceto si sufficientissimum est, est vnicum, & singulare. Aristoteli per se sufficientissima multa sunt. *Licetus.*

Addit Licetus pro Aristotele. Si plures Dij forent, alter, alterum intelligeret, adeòque non idem prorsus esset intelligens, & quod intelligitur.

Contra dico: Absit, vt hoc vltimum consequens sit Aristotelis. Diuinus intellectus potest comparari ad aliud obiectum, quod sit Deus, & aliud, quod non sit Deus. Comparando Deum, & Deum ita se habent, vt sint saltem idem genere. Deus autem, & illud quod non est Deus, sunt primò diuersa, vel ad summum habent vnitatem, ab vno, vel ad vnum. Si igitur vnus Deus non intelligit alterum, quia in-

M telli-

telligens, & quod intelligitur, non essent prorsus idem; multò magis id sequetur, si Deus intelligat aliud obiectum, quòd non est Deus: veluti si intelligat hominem, & acta eius, lapidem, & motiones ipsius. Tunc vtique aliud erit intelligens, aliud, quod intelligitur. Si hoc tanquam absurdum est apud Aristotelem ex Liceto: iam Deus nihil aliud à se intelligit, quæ funesta conclusio nunc Liceti esse conuincitur.

Deus ex Liceto non intelligit alia a se.

Impietas maxima nunc adscribitur Aristoteli, quòd Deus non cognoscat aliquid aliud à se: propter istam rationem, quia non essent omninò idem, quod intelligit, & quod intelligitur in Deo.

Ista propositione impia (si recipiatur vt Aristotelica) concludemus in via Aristotelis, quæcunque sunt in sacra Scriptura, non esse diuinitus reuelata, sed ab hominibus conficta. Sacramenta Christi, & Christum non esse à Deo reuelata. Item nil boni, aut mali in angelis, vel hominibus agnoscit Deus. Et si Deus ista non cognoscit: ergo neque iudicium particulare, aut vniuersale exercet; nec pręmia, nec pęnas retribuit. Denique non est iustus remunerator, contra secundum fundamentum pietatis à Diuo Paulo Hebr. 11. positum. Tota Christiana religio, imò omnis religio corruit. Quid enim Deum colas, & roges, qui nihil sciet præter se.

Immeritò tamen hoc Aristoteli attribuitur, quia per 1. Metaph. cap. 1. Sapiens omnia intelligit quantum possibile est. Deus autem est Sapiens, vel solus, vel præcipuè. Ergo omnia intelligit, quantum possibile est Deo, sicut homo sapiens omnia intelligit, quantum possibile est homini. Homo potest intelligere omnia, in vniuersali, vel particulari; per scientiam, vel opinionem, hoc est imperfectè. in Deo nulla imperfectio, Deus ergo perfectissimè sapiens, perfectissimè omnia intelligit, non quidem per effectum, sed quia est perfectissimè sapiens, petfectissimè cognoscit altissimam causam, qualis est ipse Deus: & cognita altissima causa, simplici intuitu,

1. metaph.

tuitu,per eam, & in ea intelligit omnia causata, sed hoc alibi.

Sextò Licetus addit pro Aristotele. *Si duo sint Dij. Alter alteri amicus foret (quis enim Deum Deo ponat inimicum, aut non amicum) quod asserere non debemus, quum amicus amico sit vtilis, nec Deo quid vtile possit esse, qui sibi ipsi sufficientissimus est.*

Contra est. Quoniam Licetus arguit cum insufficienti enumeratione, hoc est cum fallacia consequentis. Tres enim sunt species amicitiæ, *propter vtile, propter iucundum, propter bonum simpliciter*, scilicet propter honestum. De quibus in 8.Nicom.cap.2.3.4.prima, & secunda sunt imperfectæ, & instabiles, tertia perfecta, & stabilis. In 2. Magnorum Moral. cap.11.car.235. *Optimorum amicitia per virtutem excitata est, multorum autem, quæ propter commodum; atqoe quæ propter voluptatem in hominibus ineptis reperitur, atque nihili.* Si igitur *Deus Deo non est amicus propter vtile, ergo Deus Deo non est amicus*: fallacia est consequentis, & secundum quid ad simpliciter. Erit enim inter Deos illa amicitia, quæ optimorum, quæ propter bonum, quæ per virtutem, vel per aliquid virtute excellentius: sed neque inter homines amicitia recta est propter vtile amantis, sed amati, prout Aristoteles locis laudatis 8. Nicom, & 2. Magn. Moral. Dixerat quoque in 2.Top.loco 6. *Nam amicos quidem iustos esse propter se eligimus, & si nihil nobis debeat fore, quamuis apud Indos sint. Inimicos autem propter alterum, vt nihil nobis noceant.* Ad hæc Licetus quærit in hac sua ratione, quis enim Deum Deo ponat inimicum, vel non amicum?

8 Nicom.

2.Magn. Moral.

2.Topic.

Respondeo, Aristoteles Liceticus ponit. Siquidem in lib.2.de pietate cap.5.vt Aristotelem faciat Christianum, affirmat dæmones ab Aristotele dici Deos; quoniam S. August. & Glosa in 1.Reg. cap.28.in id: *Deos vidi ascendentes de terra*, dæmones dici esse asserit, ita in 4.Reg.1. Belzebub Deus Accaron. Psal.95. Dij gentium dæmonia. Sic ex Gen.31. Exodi 4. Item Diabolus appellatur Deus huius sæ-

culi, & prauorum. Quia igitur sancta Scriptura, & Sancti dæmones Deos vocant: etiam Aristoteles per Deos significat dæmones, vt Licetus concludit. Nunc autem clarissimum est, Deo vero dæmones esse contrarios, & inimicos: ergo cum Aristotele Licetico Deus Deo est inimicus.

falsa citatio. Denique in loco citato 2. Magnorum Moral. cap. 15. falsò Licetus ait pag. 30. ***Aristoteles apertè supponit Deum vnicum esse;*** falsò dictum. Aristoteles nihil de proprio ponit, vel supponit, sed dubitationem ab alijs iactatam refert.

Aliud quoque in iactata illa ratione obseruo, ex quo Licetus debuit animaduertere illam dubitationem non esse Aristotelis: in illa dubitatione est. Si Deus se contempletur, id esse delirum, amentis, increpandum; quod pugnat cum dictis de suprema mente in 12. Metaph. 51. ***seipsam ergo intelligit, si est quidem quod optimum.*** Itaque contraria Magistro, vt Magistri dogmata docet. Imò & contraria sibi ipsi scribens. *Licetus.* ***Si plures ille Deos existimasset, nam vnus alium intelligere posset sibi æqualis perfectionis, vt idem semetipsum intelligit se non meliorem.*** Ita nunc concedit, quòd vnus Deus alterum intelligat æqualis perfectionis; & paulò ante dicebat, vnum Deum non intelligere alterum, quia non esset prorsus idem, quod intelligit, & quod intelligitur. Infero. Si alterũ Deũ nõ intelligit, ergo nec amat, amicusue ei est.

Recognitio XXXV.

Posthac in pag. 30. lin. vlt. Licetus nobis porrigit textum à 9. Ethic. cap. 4. talem. *Habet etiam nunc Deus bonum, sed cum sit ipse id, quodcunque est &c.*

Licetus. *Profectò. Si plures Dij forent Aristoteli, eidem ipsorum singulus esset id quodcumque est: quæ verò sunt eadem vni tertio, illa sunt eadem inter se: quare iam vnus, & idem Deus est Aristoteli, non autem sunt plures Dij secundum Aristotelis opinionem.*

Respondeo. Licetus nunquam syllogizat in forma,

Maior

Maior talis esse debet. Quæ sunt eadem vni tertio, sunt eadem inter se.

Minor. Sed si plures Dij forent Aristoteli, eidem Aristoteli ipsorum singulus esset, id quodcunque est.

Conclusio. Ergo iam vnus, & idem Deus est Aristoteli, non autem sunt plures Dij. Planè medius terminus erat *Eadem vnitertio*, qui terminus non est in minori. Ergo syllogismus non est in forma, cum sit in quatuor terminis.

Prima obseruatio; ex Aristotelis textu sequitur ritè. Si vnus Deus nuncupatus A. detur, ille habet etiam nunc bonum, sed cum ipse A. sit quodcunque est. igitur Deus A. & habet bonum sibi proprium, & est illud bonum habitum, Similiter Deus B. habet bonum sibi proprium, & est illud bonum habitum. Ergo singulus quisque Deus est illud bonum, quodcunque est. Non tamen sequitur iste, & ille Deus conueniunt in aliquo tertio: imò singulus habet proprium esse, & proprium bonum, non autem vnus Deus habet esse, aut bonum alterius.

Secunda obseruatio. Quæ sunt eadem vni tertio, sunt eadem inter se. Concedo, qua identitate sunt eadem in tertio, eadem identitate sunt eadem inter se. Vt Socrates. & Plato sunt ijdem homini, vt vni tertio. Homo est vnum specie, ergo sunt inter se ijdem specie, non tamen concluditur, sunt idem numero. Homo, & brutũ sunt eadem animali, vt vni tertio. Animal est vnum genus, ergo homo, & brutum sunt eadem genere. neque sequitur sunt eadem, vel specie, vel numero. Substantia, & accidens sunt eadem enti, vt vni tertio: ens est vnum analogum, ergo substantia, & accidens sunt vnum analogia. Si autem ab identitate in tertio communi arguat identitatem diuersam in comparatis vltra identitatem tertij, incidit in fallaciam accidentis in secundo modo illius fallaciæ; vbi duo conueniunt in aliquo communi, & ex partiali identitate in communi arguitur totalis identitas extremorum: Exemplum, Asinus est animal,

Homo

homo est animal, ergo homo est asinus. Homo, & asinus sunt ijdem vni ternio vt animali: ergo sunt ijdem inter se. Ijdem genere communi, concedo, sed eadem, vel specie, vel numero, nego. Ita nunc Licetus, hic Deus singulus, & ille conueniunt in tertio (quodnam sit illud tertium, est in mente Liceti, non in libro) sequitur itaque quòd hic, & ille Deus sunt vnum vnitate illius communis, non autem vnitate singularis: quin & fallacia consequentis inest, vt si homo est animal, ergo est asinus, à positione consequentis arguendo. Etenim ex natura rei asinus est antecedens, animal consequens. Si autem in homine ponis consequens, & inde velis ponere antecedens, sophisma est consequentis.

At & semen Iudaismi nouelli hìc occultatum est. Quæ sunt eadem vni ternio, sunt eadem inter se; Pater est vnus Deus numero, Filius est idem numero Deus, Spiritus Sanctus similiter. Ergo Pater, Filius, & Spiritus Sanctus sunt numero idem inter se, non tres personæ realiter distinctæ, vt Christiani volunt.

Tertia obseruatio, sensus Aristotelis est. Quoniam aliter bonum est in nobis, aliter in Deo: in nobis est albedo, sed per eam homo habens est albus, non est albedo. Homo habens doctrinam, est doctus, non doctrina: homo habet bonum, sed non est illud bonum habitum. In Deo propter simplicitatem Deus habet bonum, sed est illud quodcunque est bonum, nempè quodcunque bonum sit in Deo, Deus est illud bonum. Aliud quoque discrimen est. Homo est mutabilis, & iuxta varias affectiones est varius; atque qualis homo euasit in esse, talia eligit. Sic homo manens homo eligit congrua rationi, quia vt sic est homo; qui euasit affectione brutum, eligit sensualia; qui accepit esse plantæ, eligit operationes vegetales, puta alimento vti. Deus autem *Nunc* nota particulam *nunc*, habet bonum, sed Deus ipse est tale bonum: quare sicut esse Dei est immutabile, sic eli-

git immutabiliter bona ſibi congrua. Quocirca nec Deus, nec homo eligit omnia bona: ſed eligit illa bona, quæ congruunt cum eſſe eligentis. Hanc explicationem erues ex Euſtratio, & Acciaiolo ſuper illo textu Ethicorum.

Quarta obſeruatio. Compellabo Licetum, vt doceat, quodnam eſt illud commune tertium, in quo ſingulus Deus, vt A. & B. ſunt idem. Si eſt ens, vel eſſe: cum eſſe habeat vnitatem analogiæ, iam duo Dij A. & B. erunt inter ſe ijdem analogia. At verò ex 5. Metaph. 12. ex vnitate analogiæ, non poteſt concludi vnitas maior, vt generica, ſpecifica, numerica; ergo ex conuenientia in quocunque eſſe quaſi in tertio, non benè concludit Licetus duos Deos eſſe vnum Deum numero. Si conueniant duo Dij in ratione ſubſtantiæ, vel ſubſtantiæ ſeparatæ, vel motoris immobilis, vel motoris æterni, &c. iſta prædicata communia habent vnitatem analogam, vel ad vnum; & ſi plus dare velimus, habent vnitatem genericam: igitur ex vnitate generica per 5. Metaph. 12. nequit concludi vnitas, vel ſpecifica, vel numerica, quod Licetus prætendit. Non poſſunt autem ſubſtantiæ ſeparatæ conuenire in vnum ſpecie, vel numero, quoniam quælibet ſubſtantia ſeparata, & æterna, eſt actus, atque ideò quidditas, ſine materia cum 12. Metaph. 30. Quæ autem ſunt multa numero, & vnum ſpecie, materiam habent. Nulla quidditas ſeparata materiam habet: ergo nulla quiditas ſeparata eſt eadem ſpecie cum alia, ſed ſingula quidditas ſeparata eſt ſpecie, & numero vna iuxta 12. Metaph. 49. Sed ipſæ ſubſtantiæ ſeparatæ ſunt Dij per 12. Metaph. 50. igitur vnus Deus poteſt eſſe idem analogia, vel genere cum alio, non poteſt eſſe idem, vel ſpecie, vel numero. *12. metap.*

In hiſce decem, & octo textibus eniteſcit peritia, & accuratio Liceti in citando ſuo Magiſtro, atque in eodem explicando. Sed quoniam Ariſtoteles crebrò de Dijs loquitur in numero multitudinis: Solertiſſimus diſcipulus ex libro *Tex. 19. citatus.*

bro de Mundo cap.7. accipit Deum esse vnum, sed varijs nominibus appellari pro varijs muneribus, & operibus potestatis suæ. Ita Licetus in lib.1.de Pietate pag.31.lin.4. quo fit, vt Dij dicantur in plurali, non propter plures res, sed propter plura nomina.

12.mt.43 Expositio valdè aliena ab Aristotele, qui non fuit doctor nominalis, sed realis. In 12.Metaph.43.postquam Aristoteles probauit primum principium immobile mouere primũ orbem: consequenterque singulos orbes à singulis substantijs sempiternis per se immobilibus, concludit. *Constat itaque necesse esse tot substantias esse natura perpetuas, & per se immobiles, ac absque magnitudine: &c. & harum, quænam prima, quæue secunda, secundum eum ordinem, quem & lationes siderum habent, patet*; atque in textu 47. & 48. vltra primam substantiam motricem alias quadraginta septem statuit, de quibus in tex.50.docet illas substantias primas esse Deos. Dicere ab Aristotele esse quadraginta, & octo nomina per vocabulum pluralis numeri *Deos* significata, est opinio inopinabilis, Liceto digna. Cum ex aduerso secundum Aristotelem sint quadraginta, & octo res, & veræ res: sint substantiæ, & veræ substantiæ; sint motores immobiles, sempiterni, separati à magnitudine, atque hi Dij sunt.

In 1.de cęlo 22. In cęlo ponuntur Dij, vt immortale corpus immortali Deo sit coaptatum: atque idem in 2. de cęlo textu 2. Neque Antiqui, neque Aristoteles ponunt nomina in cęlo, sed Deos. Nomina sunt in aere, & vix prolata pereunt; at cęlum est immortale, & Dij sunt immortales Aristoteli. Nomen Dij ponitur in plurali, nam & res significatę plures sunt. Quam autem vim habeant numerus singularis, & pluralis inter modos grammaticales, docet probè Scotus 1.d.2.q.3.

1. Magnorum Moralium cap.6. *Si quempiam eousque feceris intrepidum, vt Deos non metuat. iam non fortis, sed demens fuerit*. Si metuat nomina, verè demens fuerit; non er-

go de nominibus est Aristoteli cura, sed de significatis.

In Poetica, teste Liceto. *Deos cuncta inspicere, satis apud nos constat* Ita ne nomina, quæ nec sensum, nec intellectum habent, cuncta inspicient?

1 Nicomac. cap.12. *Deos enim beatos, ac felices dicimus: beatos item dicimus viros illos, qui maximè diuini sunt*. Si per vocabulum *Deos* in plurali, plura Dei nomina esse beata intelligas, non ne stolidum est? sed & in 10. ad Nicomac. cap.8. Deos esse beatos, beatitudine contemplatiua, esse viuos, & felices prolixè asserit: nunquid nomina intellectum habent? speculationem habent? felicitatem habent? vitam beatam habent? hoc modo exponere Aristotelem, est peruertere, non exponere. Nolo plura; percurrantur loca ex Aristotele prolata tùm in Vestigat.4. tùm superius citata, & ipsa per sese vanitatem hanc refutabunt.

Recognitio XXXVI.

IN pag.31.lin.23: educit à 1.Top. cap.2. loc.5. *Amplius determinare, quæ oportet dicere, vt plures, & quæ non: vtile enim, & ad construendum, & ad destruendum, vt quod nominationibus quidem res nuncupandum, vt plures; quæ autem sunt talia ne, an non, non amplius attendendum ad plures.*

Prima obseruatio. Licetus, vt ei solemne est, mutilat textum, nam pars mutilata, & manifestat sensum perfectum Philosophi, & latentem defectum Liceti. Mutilat exemplum, quòd tale est. *Vt salubre quidem dicendum effectiuum sanitatis, ceu plures dicunt. Vtrum autem propositum effectiuum sit sanitatis, non amplius vt plures dicendum, sed vt medicus.* Distingue igitur & nominum significationem, & subiectum, *cui* significatio applicatur: In significatione nominum habenda, iubet Philosophus attendere ad plures: in subiecto *cui* nomen, & significatio nominis applicanda est: vetat attendere ad plures, iubet attendere ad peritos in arte, vel scien-

Mutilat textum.

tia, de qua agitur. Multitudo per salubre significat id, quod est effectiuum sanitatis: Medicus iudicat, an piper, vel oliua sint quid effectiuum sanitatis, nec ne; nempè an sint subiectũ, cui tale nomen, ac significatio applicari debeant.

Licetus.] Posthæc, quæ de textu descripsit Licetus, sequentia annectit de suo. *Cui præcepto paruit non semel, cum vulgo* Deos *appellans eos, quos longè infrà Dei naturam existimabat, quem aliquando Deorum Regem cum multitudine nuncupat &c.*

Quum tamen ipse longè secus existimet, Deum vnicum esse, nec habere formam (12. Metaph. 51) humanam, nec vitam humanã degere. Sicut nec alias immateriales mentes, quas cum vulgo quandoque Deos appellat.

Secunda obseruatio. In his Licetus Aristotelem proprij præcepti trasgressorem facit. Nominis significationem à pluribus, subiectum applicationis, non à pluribus, sed à peritis accipere præcepit Aristoteles. Nunc iuxta declarationem Liceti non accepit à vulgò nomen, aut significationem nominis *Dei*, vel *Deorum*. Sed subiectum, *cui* nomen applicetur, à vulgò accepit. Etenim mentes immateriales sunt subiectum, de quo quæritur, an ei subiecto nomen Dei applicandum sit, an non.

Tertia. Contradicit sibi Licetus. In hac pag: 31. affirmat ab Aristotele, mentes immateriales nominari Deos cum vulgo. In pag. 32. lin. 19. Deosque plures non verè putasse: *Verùm nuncupauisse cum sapientioribus incorporeas mentes infra Deum, humano intellectui pariter incorporeo congeneas, quas Aristoteles ipse proprio nomine nuncupat intelligentias, theologi verò nostri Angelos. Rursus in pag 41. lin. 10. Per simplicem emanationem fluxerunt omnes intelligentiæ secundæ, quæ Deorum nomine nunc ab Aristotele donantur.* Oppositum in pag. 29. lin. 22. *Ac eos etiam cautè reprobare, qui motrices orbium intelligentias infra Deum sitas, Deorum nomine donabant.* In hac secunda parte asserit Licetus, quòd Aristoteles reprobat eos, qui intelligentias Deorum nomine donabant: in prima parte, quòd

Ari-

Ariſtoteles nomine Deorum donauit intelligentias: reprobat ergo ſe ipſum Ariſtoteles.

In priori parte narrat ab Ariſtotele cum vulgo intelligentias nominari Deos: & mox cum ſapientibus nominari Deos. Si ergo opponuntur loqui cum pluribus, & loqui cum peritis, in ſecunda expoſitione reprobat ſe ipſum Licetus, & dicta in prima.

Ad hæc incredibile eſt, vt vulgus attingat ad ſubſtantias æternas, ſeparatas à magnitudine, per ſe immobiles; ad quas homines ſummo ingenio præditi, multis laboribus vix in altiſſimis Phyſicæ, ac Metaphyſicæ partibus perueniunt. Sanè Ioannem Scotum, Thomam Aquinatem, Albertum Magnum, Alexandrum Alenſem, Auerroem, Aphrodiſeum, & inter recentiores, Sueſſanum, Vicomercatum, Piccolomineum de ſubſtantijs ſeparatis diſſerentes non computem inter vulgum, imò ne Licetum quidem. Vulgus ad arcana Metaphyſicæ Ariſtotelicæ non attingit; non ergo cum vulgo Ariſtoteles mentes ſeparatas vocauit Deos, ſed cum antiquis Philoſophis præceſſoribus; quod ſucceſſores Philoſophi ab Ariſtotele aſſertum cognouerunt.

Quarta. Licetus Ariſtotelici præcepti in textu citato 2. Topic. tranſgreſſor eſt, quoniam in tàm prolixa ſua diſputatione de Deo, nominationem Dei, vel Deorum nunquam aſſignat, vt plures Ariſtotelis tempore loquebantur; nominatio enim eſt, vt plures ſumenda. Profectò Ariſtoteles in 1. Poſt. 2. inter præcognitiones, præcognitionem quid nominis primam ponit: In 1. Elenc. cap. 1. præcepit à principio vim nominum eſſe cognoſcendam. Scilicet præcognitio quid nomen ſignificet, & ad ſophiſmata cauenda, & ad demonſtrationem obtinendam, eſt ſummopere neceſſaria. Licetus non docuit, quid per nomen Dei plures intelligerent; docuit ſubiectum, cui Dei nomen applicabatur cum vulgo, ideſt cum pluribus, at hoc ſecundum non cum pluribus attendere oportere, monet Ariſtoteles. Ego quidem non audeo

mihi Aristotelem tanquam Magistrum singulariter vendicare. Nihilominus in 4. Vestigat, cap.12. initio disputationis num:50. quid cum pluribus Dei nomine intelligeretur, explicui: deinde quid cum sapientibus concertatoribus Zenone Eleate, & Aristotele Stagirita. Sed omissis sapientibus ita cum pluribus descripsi. *Deus itaque apud omnes dicitur, qui potest benefacere hominibus supra humanas vires, atque ideò supra humanos honores colendus est.* Quam rem Poeta indicat, dum, & beneficium à Ded tributum homini, & sacrificium ab homine Deo retributum canit.

O Melibæe Deus nobis hæc otia fecit.
Nanque ille erit mihi semper Deus: illius aram.
Sæpè tener nostris ab ouilibus imbuet agnus.

Ego sic obtemperaui præcepto Aristotelis. Vbi autem Licetus docuerit quid nomine Dei importetur, vt plures loquuntur, indicet ipse, ego non reperio.

Quinta. In superioribus Liceti verbis istis. *Quum tamen ipse longè secus existimet, Deum vnicum esse, nec habere formam (12. Metaph. 50) humanam.* Duæ propositiones asseruntur tanquam Aristotelicæ. Prima est *Deus est vnicus*: sed pro ipsa nullus textus citatur. Secunda est. *Deus non habet formam humanam.* Pro qua propositione citatur textus 50. ex 12. Metaph. Fallacia est secundum plures petitiones vt vnam: probat vnam, vt sub velamento istius probatę probetur & prima, pro qua nullus textus expressus ab Aristotele est repertus, propterea nec citatus. Pro secunda reperitur textus, & à Liceto sæpè, ac sæpius citatur, cum minimè esset necessarium.

Duo quoque Liceti dicta superius retuli. *Quas Aristoteles ipse proprio nomine nuncupat intelligentias, theologi verò nostri Angelos ab officio.*

Intelligentias in textu Philosophi 12. Metaph. non legi, sed Licetus transformatus est in suum Magistrum; & quod à Liceto dictum est, ab Aristotele dictum pronuntiat. *falsa citatio.*

Angelos à theologis nominari verum est, sed intelligen-

tias

tias Aristotelicas esse Angelos, simpliciter non est verum, & si secundum quid dici valeat. Scotus in 2.d.1.q.6.notat,ad hoc vt aliqua sint idem specie, necessariò debere conuenire in omnibus prædicatis in quid. Ad hoc vt differant specie, sufficere vnam differentiam specificam. Exemplum est. Homo, & brutum conueniunt quiditatiuè in substantia, corporea, animata, sensitiua: differt solùm per rationale homo à bruto, & differt specificè, atque hæc differentia est simpliciter. Conueniunt secundum partem, quod est secundum quid. Similiter intelligentia, & Angelus conueniunt secundum quid in ratione *substantiæ incorporeæ, & intellectualis*: simpliciter differunt essentialiter. Quoniam intelligentia secundum Aristotelem (verius nomina *substantiam separatam*) est necessariò ab æterno, Angelus est contingens esse, & ab æterno non fuit. Intelligentia necessariò mouet cęlum, Angelus minimè; Intelligentia est per se immobilis, Angelus ex officio in omnes vniuersi partes mouetur. Intelligentia suaptè natura est impassibilis, est beata: Angelus nequaquam, sed ex gratia creatoris cum concursu propriæ voluntatis assequutus est beatitudinem, vel ob reiectam gratiam ex propria voluntate in culpas incurrit, ac deinde passus est, & patietur in æternum acerbissimas pęnas. Qui plura volet præsupponentia distinctionem essentialem inter intelligentias, & Angelum, plura non deerunt. Vnum in gratiam Fidei Catholicæ subijcio. Angelus est vera res, est non implicans contradictionem. Intelligentia est figmentum contradictionem implicans.

Recognitio XXXVII.

In pag.31. Licetus à suo Magistro Aristotele profert ex libro 2.Physic.text.26. *Homo hominem generat, & Sol*. Solis nomine Deum intelligit, atque ad hoc probandum ex 12.Metaph. educit hæc verba. *Et homo hominem generat; prater* *Licetus.*

prater

Præter hæc item cuncta mouens, tanquam omnium primum.

Prima obseruatio. Sol est Deus per metaphoram, seu translationem, non per proprietatem: quod si considerasset Licetus, non dixisset à suo Magistro per Solem intelligi Deũ. In 2.Meteor. summa 1. cap.3. Aristoteles reprehendit Empedoclem, qui mare per sudorem significauit. *Ad Poesin enim sic dicens fortè dixit sufficienter: translatio enim poeticum est; ad cognoscendum autem naturam, non sufficienter.* Ita nunc Aristoteles declaraturus terminum speculationis naturalis circa naturam, quæ forma est: fortè ad Poesin sufficienter diceret, ad naturam declarandam, non sufficienter. In 6.Top. loco 7. & 9. remouet à disputatione, & à definitione dialecticis metaphoram, quæ translatio est. in 2. Post.84. prohibet in demonstratione, aut definitione scientificis vti translatione. Asserere autem nunc Aristotelem vti metaphora in demonstratione termini physici, est asserere Aristotelem suis regulis esse contrarium.

Secunda obseruatio. Docuerat Philosophus physicum debere cognoscere formam, & quærebat. vsque ad quem terminum formam cognoscere teneatur; respondet. *Circa ea, quæ sunt separabilia quidem forma, in materia autem: homo enim hominem generat, & Sol. Quomodo autem se habet hæc separabilis, & quid sit, philosophiæ primæ est officium determinare.* Concisè vtique, non enim exotericè, sed acroamaticè scri bit. Atque assignat limitem.

Primò *ex parte formæ.* Forma enim, vel est coniuncta cum materia, & ab ea inseparabilis: quam formam vt in pluribus considerat Physicus, 6.Metaph.1. Vel est coniuncta cum materia, & separabilis re ab ipsa; talis forma pro statu coniunctionis est à Physico exploranda, vel est forma separata re à materia, de qua re ea est primæ philosophiæ agere.

Secundò assignat limitem *ex parte materiæ* dicens. Formam quæ est limes, cognoscendam esse à naturali, *sed in materia.* Materia quippe 6.Metaph. est, à qua discernuntur quadan-

dantenus ſcientiæ. Phyſica conſiderat coniuncta cum materia re, & ratione: Mathematica coniuncta re, ſeparabilia ratione: Metaphyſica ſeparabilia re, & ratione. Phyſica igitur ſpeculabitur formam ſeparabilem, ſed in materia.

Tertiò, *ex parte finis.* Materia eſt propter formam, & ambæ hæ partes propter totum; quapropter corpus humanum eſt propter animam rationalem, quæ ſola habet ſtatum coniunctionis, & ſeparationis. Dum eſt in ſtatu ſeparationis à materia, nec informat materiam, neque conſtituit hominem: dum autem eſt in materia, tunc eſt propter hominem, vt propter finem. Ita formam rimatur phyſicus.

Quartò. *Ex parte efficientis.* Denique probat, formam ſeparabilem, in materia autem, eſſe phyſicæ contemplationis, atque in hoc Ariſtoteles collocat probationem, dum ait; *in materia autem: homo enim hominem generat, & Sol*, Profectò particula rationalis *enim* reuincit hic eſſe conſtitutam rationem conſiderandi talem formam in materia: ratio talis eſt; cuius ſcientiæ eſt conſiderare agens, & particulare, & vniuerſale alicuius effectus, eius eſt conſiderare effectum eorundem agentium: ſed phyſicæ ſcientiæ eſt conſiderare hominem, qui generat, vt cauſam effectiuam phyſicam, ſed particularem; atque conſiderare Solem, vt cauſam effectiuam phyſicam, ſed vniuerſalem, quæ generat hominem; ergo ſcientiæ phyſicæ eſt conſiderare hominem generatum. Sed homo genitus eſt forma in materia, vel ex ſua forma in materia. Ergo ſcientiæ phyſicæ eſt conſiderare formam hominis in materia. Huic rationi conſonat operatio Philoſophi, qui in 2. de generat. & corrupt. 58. de Sole generante inferiora tractat, & in 4. de Generat. Animal. cap. vlt. Animalia generari docet circuitu Solis, & Lunæ. In 1. de Generat. Animal. oſtendit hominem generari ab homine per ſexum maris, & fœminæ, incipiens à cap. 2. Sunt autem hæc mouentia phyſica, quia mota mouent: ergo Sol, et homo generantes hominem, ſunt phyſicæ conſiderationis: quare, &

homo

homo genitus,tanquam finis generationis generantium naturalium, est physicæ considerationis; ergo & forma hominis in materia, est terminus vltimus physicæ scientiæ; quæ eandem formam,qua separabilis est sua formalitate, non potest considerare.

Itaque si Solem exponas propriè, vti demonstratorem decet; demonstratio legitima est. Sin autem sit de agente extra physicum genus: ex tali per se agente sequitur effectus per se extra physicam considerationem; per accidens fortasse considerabitur à physico, qui habitum induat Metaphysicum; quare & ratio Aristotelis nulla erit, & metaphoræ vsus lusus erit. Quod Aristotelis grauitatem seriam minimè decet.

Recognitio XXXVIII.

AMplius ex 12. Metaph. 24. Licetus arguit; textus est. *Et homo hominem generat. præter hæc item cuncta mouens tanquam omnium primum.* Igitur sicut in Metaphysica cum homine generante coniungit Deum primum mouentem: ita quoque Aristoteles intelligendus est in physica,cum homine generante coniunxisse Deum nomine Solis.

12. metaph.24.

Quæ quidem explicatio neq; cum verbis textuum consentit, neque cum officijs physici,aut Metaphysici; neque cum intentione Aristotelis eisdem in locis.

1 In 2.Phys.verba sunt. *Homo enim hominem generat, & Sol,* vbi in eadem periodo, & sub eadem coniunctione rationali *enim*, atque cum eadem coniunctione copulatiua *&*. coniunguntur in actu *generare* homo, & Sol. In 12. Metaph. 24. *Et homo hominem generat. præter hæc item cuncta moueas tanquam omnium primum.* Homo generans in vna periodo est,deinde in alia periodo subiungitur. *Item præter hæc cuncta mouens:* vbi particula *præter hæc* non respicit hominem solum, dicendum enim fuisset *præter hunc*; & insuper particula

cula *item* est nota rei diuersæ adiunctæ, ac si dicas, Plato dedit panem. Item dedit pecuniam. Vnde particula *item* ponit rem diuersam, non conspirantem ad eundem actum.

2 Officium philosophi naturalis est agere de mouentibus physicis, quæ mota mouent. idque maximè cum tractat de generante naturali, generatione naturali, genito naturali ad hoc, vt statuatur limes naturalis considerationis. Sic in 2. physic. 26. probat physicum ex officio peruenire debere ad formam separabilem, sed eam considerare in materia, quia homo hominem generat, & Sol. Vbi duplex generans naturale ponitur, particulare vt *homo*, vniuersale, vt *Sol*. Si ponatur ibi pro Soie *Deus*, exceditur limes physici, & physicus in officio non manet. Metaphysici est omnia cognoscere, præcipuè verò primas causas causatorum. Si ergo metaphysicus ex proprio officio à causis posterioribus ascendit ad primam causam omnium, ritè suo fungitur munere. Si physicus idem præstet, non suo, sed alieno fungitur officio. Facit hoc aliquaudo physicus, tamen vbi præscribit sibi limitem proprium, transgredi non licet, nec vsurpare officium alienum debet. Itaque summus philosophus probè in physicis hominem, & Solem generantes adhibet, vt causas corporeas, & naturalia agentia, particulare, & vniuersale: nec vltra procedit ad causam incorpoream, immobilem, primam, & vniuersalissimam. Probè in metaphysicis post causas secundas, & naturales, & artificiosas, conscendit ad primam simpliciter.

3 Ad intentionem Aristotelis cognoscendam in 12. Metaph. 24. aduerto Aristotelem quærere, vtrum omnium principiatorum sint eadem principia, aut non. In huius rei gratiam inquirit, quot sunt causæ, & in tex. 24. affirmat. *Modo quodam tres profectò causæ erunt, alio verò modo quatuor. Sanitas nanque quodammodo est ars medendi, & ædificatiua forma domus, & homo hominem generat. Præter hæc item cuncta mouens, tanquam omnium primum.* Ad constituendum quar-

tum genus causæ, affert causas artificiales, vt medicinam, & ædificatoriam; affert causas naturales, vt hominem generantem; sed non contentus causis secundis, ad idem genus efficientis reducit causam primam, vt primum mouens. Igitur in 12. metaph. est considerario vniuersalis ad causam efficientem, artificiosam, & naturalem. In Physicorum 2. textu 26. est tractatio de sola causa naturali, non de artificiosa. In Metaphysicis intendit statuere quartum genus causæ, scilicet efficientis, & particula *præter hac* naturam, & artem demonstrat: non causam naturalem solam, sed ambas secundas, & adiungit causam primam effectricem. Quæ iutenrio est valdè diuersa ab intentione proposita in 2. physic. in quo assignatur limes physico in considaranda forma, non ergo si intentio Metaphysici est vniuersalis de omnibus causis, & propria de prima causa: sequitur, vt physici sit eadem intentio.

Denique in 2. Physic. arctatur consideratio physica ad formam in materia. Ergo ibi non ampliatur ad genus metaphysicum, ad formas separatas, ad primas causas, sicut ampliatur metaphysica contemplatio.

Postremò Doct. Angelicus pulcherrimè scribit. *Aristotelis propositum esse docere, quo pacto omnium principiatorum principia sint idem, vel diuersa. Et primò asserere principia esse diuersa re, proportione eadem; vt inductione ostendit in artificiosis, & naturalibus: deinde etiam asserere quadam principia esse eadem simpliciter, vt est primum mouens.* Quæ quidem expositio, vt exactissimè cum textu consentit, ita efficacissimè Liceti commentum euertit; nulla enim conuenientia est istius particulæ *Præter hæc item cuncta mouens*; sed oppositio, & disconuenientia cum præcedenti, homo hominem generat.

Quarta obseruatio. Licetus ex 3. Rhetor. cap. 10. textum adducit. *Deus in anima lumen intellectus accendit*. Ergo in 2. physic. per Solem intelligit Deum. Consequentia est probanda

banda per istam propositionem. Qui lumen accendit, est Sol. Deus lumen accendit. Ergo Deus est Sol. Si in rhetoricis adhibetur metaphora, toleretur. Si in demonstratione physica, minimè: Sed argumentor similiter. Qui lumen accendit, est Sol. Licetus in suo Musæo lumen accendit. Ergo Licetus est Sol. Sol est Deus Liceto. Ergo Licetus est Deus, Papè!

Recognitio XXXVIIII.

AD pag. 35. Licetus volens probare ab Aristotele cognitum fuisse mysterium Trinitatis, ac vnitatis: scribit ad lin. 8. *Nam in primis Aristoteles agens de primo motore immobili, singularitatem illi tribuit, & pluralitatem, quasi singularitatem naturæ, & pluralitatem personarum.* inquiens 2. Phys. tex. 48. *Si igitur perpetuus motus est, perpetuum erit, & mouens primum, si vnum est; sin verò plura, plura perpetua. Vnum autem magis, quàm multa, & finita, quàm infinita oportet existimare. Nimirum ad nostrum propositum; primum mouens immobile perpetuum est, si vnum est: Si verò plura, plura perpetua: & cum essentia siue natura sit vnum, personis verò sit plura; proinde neutram partem, altera exclusa determinat Aristoteles, potius tamen vnitatem amplectitur.* *Licetus.*

Prima obseruatio. In omni bona diuisione duo membra ponuntur, vt opposita, velut 1. physic. 6: *Necesse est principium esse vnum, aut plura, & si plura finita, vel infinita*, ideòque, & primum membrum est cum exclusione secundi. Cum igitur accipiuntur duo membra, in communi proponuntur indeterminatè: cum autem applicatur alterum alicui subiecto, reliquum excluditur. Quamobrem in proponenda diuisione indeterminatè se habet Aristoteles, primum mouens *vnum est, vel plura*; sed in applicando, determinatè scribit Aristoteles, primum mouens esse vnum perpetuum, & non esse plura mouentia perpetua. Dum *conditionatè*, loquitur, si

vnum, vnū perpetuum; si verò plura, plura perpetua; dū conditionem expurgat, resolutè ponit vnum primum mouens perpetuum, & negat esse, aut esse posse, plura prima mouentia perpetua, quicquid Licetus dicat; nec in re certissima immorari placet, Sed argumentor. Vnitas primi mouentis perpetui repugnat pluralitati primorum mouentium perpetuorum: vnum primum perpetuum affirmat Aristoteles, plura prima perpetua nunquam ponit affirmatiuè, & resolutè. At vnitas essentiæ diuinæ & Trinitas personarum. non opponuntur, non se excludunt, non repugnant, sed simul affirmantur. Ergo Aristoteles non intendit Trinitatem personarum.

Secunda obseruatio. Citat Aristotelis textum in 2. Physic.48. Falsò citat; textus ille est in 8.Physic.tex.48.

Tertia. Superius dixi super impietate, non posse pietatem fundari. Dum in textu scribitur antecedens. *Si igitur perpetuus motus est*, scribitur hæresis, quòd motus cęli ab æterno, & in æternum protendatur. Dum scribitur consequens. *Perpetuum erit, & mouens primum*, altera hæresis est: Et si enim Deus sit æternus, non est mouens ab æterno, cum ab æterno nihil esset extra Deum: Deus verò est simpliciter immobilis, ac immutabilis.

Quarta. Siue vnum primum mouens, siue plura mouentia prima statuantur: comparatur essentia motoris ad orbem mobilem, & ad motum ipsius orbis. Mouere est naturæ primò, non personæ. Siue ponat Aristoteles vnum, agit de natura mouentis comparata ad aliam naturam. siue ponat plura mouentia, comparat ad eundem primum orbem, & primum motum. Loquitur ergo de naturis Aristoteles, non de personis, quæ ex rebus causatis cognosci non possunt, propterea quod Deus ad extra agit vt vnus, non vt trinus.

Quinta. In obseruationibus animaduerti Licetum astutè ponere vno in loco vnum contradictorium, alio in loco alterum, Vt possit fugere pœnas, dum dicit vnum contradicto-

cto-

ctorium; seminare errores, dum alterum contradictorium proponit. Sic est in proposito: nam in libro de Septimo Quæsitis pag. 194. lin. 8. scribit. *Creatio rerum ad extra est communis tribus personis, conueniens vni Deo, vt trino.* Sic dixerat in eodem lib. pag. 1. lin. 15. *Creationem à Deo solo sub ratione Trinitatis edi certissimum est.* Quod dictum est manifestus error in fide: sed in libro 1. de Pietate pag. 35. lin. 17. scribit oppositum. *Quod motus vt & alia opera, quæ theologi nuncupant ad extra, & dicuntur esse indiuisa, & à tota Triade prouenire, quatenus est vna natura diuina.*

Recognitio X L.

Vigesimotertio Licetus adscribit ad probandam Trinitatem diuinarum personarum in pag. 35. lin. 21. *Primus autem numerus, qui est principium, ternarius est (2. Post. 30.) Aristotele Doctore, ac maximè Deo (1. cæli 2.) conueniens. cum definiatur numerus impar primus, vtroque modo, qui scilicet neque componitur ex numeris, quod maximam Dei simplicitatem indicare potest, neque mensuratur numero, quod immensitatem numinis designat: quam vnitatis, ac Trinitatis ineffabilem theoriam in Deo ab Aristotele insinuatam latius explicuit Athanasius in Symbolo de Deo prædicans vnitatem magis, quàm pluralitatem. Ita Deus Pater, Deus Filius, Deus Spiritus Sanctus, & tamen non tres Dij, sed vnus est Deus.* *Licetus.*

Prima obseruatio. Aristoteles in 2. Post. instruit nos in erigenda definitione alicuius subiecti propositi, primò quærendum esse genus definiti, secundò differentias, quæ singulæ sint in plus: collectæ in tota definitione, conuertantur cum definito. Tunc enim definitio erit rectè assignata. Ponit pro exemplo tanquam subiectum definiendum *Trinitatem*, genus assignat *numerum* differentias assignat *impar, primus vtroque modo*; Trinitas diuina non est in genere, hæc trinitas Aristotelis est in genere numeri, non ergo ibi trini- *Ternariu Mathematicus, vel Theologicus.*

tas

tas diuina intenditur. Sanè nihil ibi Aristoteles de Deo Aristoteli Trinitatem sanctam illic affingere est fingere.

Secunda. Nec verum dicit Licetus Aristotelis nomine. *Primus autem numerus, qui est principium, ternarius est, Aristotele Doctore 2. Post 70.* Non docet Aristoteles, ternarium esse principium, neque docet *primum numerum, qui sit principium, esse ternarium.* Propterea quod componens est principium, & compositum est principiatum; sed ternarius est compositus ex vnitatibus, quibus mensuratur; etenim vnitas est principium omnium numerorum. Rursus ternarius non est compositus ex numeris, est tamen compositus ex numero binario, & ex vnitate: ergo etiam binarius est principium ternarij, & non è contra: quin, & ratio primi vt accipitur in illo textu, prius natura conuenit binario, quàm ternario; neque enim binarius est compositus ex numeris, & est à sola vnitate mensuratus: ergo est primus vtroque modo.

Neque ternarius potest indicase diuinam simplicitatem, quia compositus est ex vnitate, & ex binario: neque potest diuinam immensitatem indicare, quia meusuratur vnitate. Illud latere non debet nos, quòd vox *primum* æqniuocè accipitur in mathematica, et in metaphysica, sicut & vox *compositum*. Mathematicus tanquam duo opposita accipit numerum *primum*, vel *compositum*: numerus primus est, qui sola vnitate mensuratur, vti sunt ternarius, septenarius, vndenarius: compositus, qui mensuratur numero, vt senarius, octonarius. Metaphysicus accipit *primum*, quo nihil est prius, sed cætera sunt eo posteriora; vti sunt prima causa, primum corpus. primum ergo dicitur contra posterius in metaphysica: In mathematica contra compositum. Sæpè autem euenit, vt vnus numerus sit primus mathematicè, qui metaphysicè sit posterior composito: nam quaternarius est *compositus*, est tamen prior natura, & quiditate septenario, qui est *primus*. Compositum quoque apud metaphysicum

cum opponitur simplici, sed apud mathematicum in numeris opponitur primò, non autem simplici: vnde Licetus æquiuocè loquitur dicens, quia ternarius non est compositus ex numeris, significat simplicitatem: cum hoc enim, quòd ternarius non est compositus mathematicè, est etiam non simplex, sed compositus metaphysicè: omnis enim numerus metaphysicè est compositus.

Ad hæc simplicitas, & immensitas sunt in Deo conditiones essentiales communes tribus, ex quibus non possunt concludi propria personarum.

Amplius. Quicunque, vel arithmeticus, vel computista, vel logicus cognoscit definitionem ternarij iuxta Liceti inexplicabilem applicationem, ille per istam trinitatem naturaliter cognitam intelligit supernaturalem Dei Trinitatem. Cum tamen veritas protestetur. Matth. 11. *Nemo nouit Filium, nisi Pater: neque Patrem quis nouit, nisi Filius, & cui voluerit Filius reuelare.*

Recognitio XLI.

Ex Libro 1. de Celo text. 2. profert Aristotelem, *qui de Trinitate diuina sermonem habere videtur* inquiens. *Propterea, quod ipsa tria omnia sunt, & ipsum ter omniquaque; quemadmodum enim aiunt Pythagorei ipsum omne, & omnia tribus determinata sunt. Finis enim, & medium, & principium numerum habent cum, qui ipsius omnis est; hæc autem eum, qui Trinitatis est.* *Licetus. 1. cæli 2.*

Quapropter à natura accipientes tanquam leges illius, & ad sacrificia Deorum hoc vtimur numero.

Prima obseruatio. Hunc textum in Vestigatione 4. num. 17. retuleram ad probandum, multos Deos ab Aristotele fuisse assertos. Id ipsum fecit Eminentissimus Bessario lib. 2. cap. 4. contra calumniatorem Platonis, qui tùm ibi, tùm lib. 3. cap. 15. solidissimè comprobat, non potuisse Aristotelem, *Bessario.*

telem, vel Platonem, vel quemuis naturali lumine intellectus nostri ad cognitionem diuinæ Trinitatis peruenire, quę sola reuelatione cognoscitur. Quia tamen calumniator Platonis ex isto loco Aristotelis volebat probare diuinam Triadem: sicuti nunc Licetus contendit; ex Bessarione viro Eminentissimæ doctrinæ, & authoritatis quædam huc refero. *Primum, quæ de Trinitate in principio eius libri Aristoteles scribit: tria cuncta esse, & ter quaque parte secundum Pythagoreorum sententiam, qui vniuersum, & cuncta ternario numero terminari volunt; principium namque medium, & finis numerum vniuersi obtinent: hæc autem ternarium faciunt: ista ineffabilem Trinitatis diuinæ rationem explicare, non minus ineptè, quàm prolixè aduersarius contendit. Quæ res, si ita foret, nequaquam id subticuissent tot præclaro ingenio expositores, tàm Græci, quàm Latini, qui aduersarium præcesseruut. Præsertim S. Doct. Thomas vir, & acumine ingenij, & optimarum artium philosophiæ studijs insignis, qui opiniones nostras Aristotelicis rationibus, quantum fieri potuit, roborare conatus est. Hic profectò, & qui eum secuti sunt doctissimi viri, si quid tale religioni nostræ lucrifacere potuissent: id proculdubio fecissent Sed neque hi locum illum intellexerunt & structura orationis nihil tale significat. Quod cum aduersarius ipse non ignoraret: volens hoc nouum genus expositionis quasi monstrum quoddam excusare: à Deo sibi reuelatum fingit, multisque verbis ostendere conatur, haud mirum esse: si arcanum, quod tot Sanctissimos viros latere voluerat, vni sibi Deus reuelarit: Ita pueriliter, atque ineptè se iactat: Aristot autem cum in libris quos de naturali auditione conscripsit; de principijs rerum naturalium disseruisset, materia, forma, & priuatione: statuit librum de cælo subiungere, in quo res ex principijs illis compositas tractaret. Hæc autem sunt corpora, quorum proprium est tribus dimensionibus constare. Magnitudinis, inquit, quod in vnum distenditur, linea est, quod in duo superficies, quod in tria corpus. Præter hæc nulla alia est magnitudo; quoniam tria cuncta sunt; & ter quaque parte. Tale*

autem

autem cælum quoque esse perspicuum est. Cum igitur de natura, & rebus natura compositis ageretur: quænam occasio ferre poterat: vt de Deo, de incorporea, immateriali, separataque natura, de Trinitate omnem rationem, atque intelligentiam superante dissereret. Enimverò somnia ista sunt, ac figmenta falsa imaginationis, & quemadmodum supra diximus: monstra quædam, atquè portenta. Verumtamen si in contentione persistis, &c. Hactenus ex Bessarione.

1 Nunc secundo textum ipsum ascribamus. *Continuum igitur est, quod diuisibile est in semper diuisibilia.* 1. de cæl. tex. 2

2. *Corpus verò, quod omniquaque diuisibile est. Magnitudinis autem ea quidem, quæ ad vnum, lineas quæ autem ad duo, planum: quæ verò ad tria, corpus.*

3 *Et præter has non est alia magnitudo: propterea quod ipsa tria omnia sunt, & ipsum ter omniquaque.*

4 *Quemadmodum enim aiunt, & Pythagorei, ipsum omne, & omnia tribus determinata sunt: finis enim, & medium & principium numerum habent eum, qui ipsius omnis est: hæc autem eum, qui trinitatis est.*

5 *Quapropter à natura accipientes, tanquam leges ipsius, & ad sacrificia Deorum hoc vtimur numero.*

6 *Assignamus autem & appellationes ad hunc modum; duo enim ambo quidem dicimus, & duos ambos, omnes autem non dicimus. Sed de tribus hanc appellationem dicimus primùm; hæc autem quemadmodum dictum est, sequimur; propterea quod natura ipsa sic inducit.*

Propositum Aristotelis est agere de corpore quanto, quod est diuisibile secundum longitudinem, latitudinem, profunditatem. Propter quod in tertia particula ponit conclusionem *Præter hæc non est alia magnitudo.* Istam conclusionem demonstrare non poterat, quoniam demonstratio istius conclusionis longè post inuenta est à Ptolomæo, vt Simplicius asserit in commentario istius loci, atque ipsam demonstrationem adducit. Proinde Aristoteles ad argumenta probabilia

recurrit, partim ex consuetudine Græcorum, partim ex doctrina Pythagoreorum.

Græci quidem de vno loquuntur in numero singulari, & de vno singulari non enunciant hoc signum *omne*, vel *omnis*. De duobus loquuntur in numero duali, atque de duobus dicũt ambo & ambos; *omnes*, vel *omnia* nõ dicunt. Cum peruenerint ad tria, loquuntur in numero plurali, & primo de tribus dicunt *omne*, vel *omnia*. Propterea inquit textus, ipsa tria sunt omnia, & ipsum ter omniquaque. Veruntamen licet signa *omne*, & *omnia* de tribus primò dicantur, non propter hoc fit, vt de decem, de centum, de millibus, & cæteris non pronuntiemus eandem appellationem *omnes*, & *omnia*. De paucioribus, quàm sint tria, non vtimur appellatione *omne* & *omnia*: de pluribus, quàm sint tria, profectò dicimus, veluti si in stadio currant mille Athenienses: verè enuntiabimus, omnes currentes sunt Athenienses. Alioqui si omnia de tribus tantùm diceremus, tunc omnia elementa essent tria tantùm, omnes orbes cęli tres tantùm, omnes cęlorum motores tres tantùm, omnia prædicamenta essent tria tantùm. Quocirca Suessanus cautè annotauit, hæc argumenta Philosophi esse probabilia, sed non efficacia.

Tertiò obseruo. Argumentum ex authoritate Pythagoreorum in quarta particula textus est tale; finis, & medium, & principium numerum habent eum, qui ipsius omnis est; Hæc eadem scilicet finis, medium, principium habent eum numerum, qui trinitatis est: ergo numero trinitatis determinata sunt omne, & omnia. Hæc ratio est de ente causato: nam ens incausatum, nec habet principium, nec medium, nec finem durationis; nec principium, medium, aut finem causalem: neque finem, medium, principium magnitudinis: est enim vnum, & idem ens primum, æternum, incausatum, impartibile. Licetus transfert isthæc tria ad Deum, qui sit principium, medium, finis. Scribens ex libro de Mundo cap. 7.

Liber de Mundo. *Enim vero Deus (vt est vetusto verbo traditum) principium, &*

& finem, & medium rerum omnium tenet. *Sanè vetusti verbi nomine videtur antiquissimum opus bibliorum significare Philosophus; nam apud Isaiam habemus cap.41. Ego Dominus, primus, & nouissimus ego sum; & mox cap.44. Ego primus, & ego nouissimus, & absque me non est Deus: quod postea Ioannes in Apocalypsi repetit. Ego sum Alpha, & Omega, primus, & nouissimus, principium, & finis.* Torsit se, & scripturam Licetus diuinam, nec potuit probare Deum esse *medium*, sed tantùm esse principium, & finem. Aliud verò est, an Deus causaliter sit principium, & finis aliorum, quod in Scriptura est; aliud an ipse Deus finem, medium, principium habeat: an habeat numerum, qui est ip sius *omnis*, & *omne*, non enim sine absurditate dices *omnis Deus*; nec sine hæresi asseres, Deum habere principium, vel medium, vel finem aliquid aliud à se. Quare neque ex Pythagoreis, neque ex Aristotele obtinetur, quòd numerus, qui est ipsius *omnis*, de Deo accipiatur, vel in Deo sit, sed in corpore quanto: quanquam Aristoteles posset concedere de Dijs, & Deabus dici *omnes*, sicuti scripsit in libro de communi motu cap.4. sed secundum veritatem Deus, qui est singularissimus non potest determinari per signum distributiuum *omne 5.Metaph.16.* Licetus.7

Quod si in Deo sit Pater principium personale, Filius medium, Spiritus Sanctus finis; ad hanc veritatem naturale lumen non potest attingere, & frustra tribuitur Aristoteli.

Quartò obseruo. In quinta particula maximè facit vim Licetus, & Platonis calumniator. *Quapropter à natura accipientes tanquam leges illius, & ad sacrificia Deorum hoc vtimur numero.* Longè aliter Deus sanxit, quàm Aristoteles. Exodi 21. *Qui sacrificat Dijs, eradicabitur, præterquam Domino soli*; Aristoteles autem sacrificari Dijs affirmat.

Falsum primò est, nos à natura inclinari, aut à lege naturæ obligari ad sacrificandum falso Deo, seu falsis Dijs: nam plures Dij veri esse non possunt, imò est impium vel corde credere, vel ore confiteri, vel opere sacrificare Dijs. In pri-

mo præcepto Dei Exodi 20. *Ego sum Dominus Deus tuus, qui eduxi te de terra AEgipti, & de domo seruitutis: Non habebis Deos alienos coram me,* siue vt clausula hæc vltima in Hebræo legitur. *Non erit tibi Dij alij*; quoniam alius, & alius Deus est simpliciter impossibilis. Deus nanque ex sui quiditate est implurificabilis: cum imponis illi modum pluralitatis, res & modus formaliter repugnant, contradictionem includis, facis rationem in se falsam, figmen tum denique, vel intellectus errantis, vel deprauatæ voluntatis. Deus est, Dij non sunt. Quare hæc verba Aristotelis de sacrificijs Deorum directè pugnant cum verbis Dei, tantum abest, vt tres personas in Deo insinuent.

Quintò obseruo. In sacrificijs Deorum adhibetur numerus ternarius, in sacrificijs Deo vni vero exhibitis, non adhibetur. Quomodo in sacrificijs Deorum abuterentur ternario, nec scio, nec si scirem, dixerim. Mallem enim sepelire idolorum cultum, quàm effodere ex sepultura. Possumus tamen ex Latino Poeta specimen sacrificij sacrilegi inspicere.

Virg. Eglo g. 8.

Terna tibi hæc primum triplici diuersa colore
Licia circundo, terque hæc altaria circum
Effigiem duco, Numero Deus imparo gaudet,
Necte tribus nodis, ternos Amarylli colores,
Necte Amarylli nodos, &c.

Verum enimuerò in Leuitico traditur ritus holocausti, & sacrificij Deo vero offerendi; sed de ternario numero, quantum capio, nihil. Non ergo in veteri testamento sacrificium Deo cum ternario exhibitum est. In testamento nouo Sacrificium vnum est Eucharisticum, in quo cum vnitate integritatis sunt duæ partiales consecrationes, panis, & vini: duæ transubstantiationes, vna panis in corpus, altera vini in sanguinem Christi; duæ adorationer: duæ applicationes, vna pro viuis, altera pro defunctis: duæ sumptiones, ternarius non apparet. Aspice *cui* offertur, & *quod* offertur,

Deo

Deo trino offertur ſacrificium, corpus, & ſanguis quod offertur. Ternario non vtimur in ſacrificio *quod* offertur: Si autem aliquando ter aliquid in Miſſa dicitur, non refertur ad tres perſonas, ſed ad vnam: cum ter profertur *Agnus Dei*: cum ter ſubiungitur *Domine non ſum dignus*. vterque enim ternarius ad ſolum Filium dirigitur; ter quoque idem audimus inculcari *mea culpa*; quæ trina prolatio eſt propter triplicem culpam cogitationis, verbi, operis. propter quas ter imploramus miſericordiam ab Agno Dei, ter noſtram indignitatem profitemur.

Si ergo ad placitum Liceti cum Ariſtotele ex natura, & naturæ lege ternarius numerus eſſet adhibendus in ſacrificijs. Sacrificium, & Legale, & Euangelicum eſſent contra legem naturæ.

Igitur Ariſtoteles per Deos ſacrificijs colendos, ſuos quadraginta octo Deos ex 12. Metaph. ſignificat; vel Gentilium Deos fortaſſe innumerabiles. Porrò ex libro de memoria, & reminiſcentia cap. 3. conſuetudo tanquam natura eſt: ita conſuetudo in loquendo per tres numeros, ſingularem, dualem, pluralem, & conſuetudo ſacrificandi Dijs, vti Ioui, Mineruæ, Marti, tanquam natura ab Ariſtotele accipitur. Verè enim non ex natura rei, ſed ex diuinæ voluntatis beneplacito eſt velle hoc, aut illo modo ſibi Sacra fieri. Nam ſi ex natura rei ſacrificium, & ſacrificij ritus eſſet: ſemper, & apud omnes idem ſacrificium, & ritus obſeruaretur iuxta præſcripta in 1. de Interpret. cap. 1. circa differentiam rerum, & paſſionum animæ de rebus, atque vocum, & ſcripturarum. Voces & ſcripturæ variæ ſunt, quoniam ad placitum; paſſiones, & res eædem apud omnes, quia ex natura rei.

De mem. & reminiſc.

1. de Inter pret.

Denique textus ait. *Ad Sacrificia Deorum hoc vtimur numero*. Caſus agens verbi *vtimur* non eſt ſolus Ariſtoteles, ſed etiam Græcorum gens ſacrificans ternario Dijs. An omnes Deum vnum in eſſentia, trinum in perſonis colebant? Iniuſtiſſimè igitur in diuinis, noui, ac veteris teſtamenti li-

teris,

teris, Gentiles, & Græci accusantur tanquam falsorum cultores Deorum: ac tanquam sine Deo in hoc mundo, quod est absurdum.

De vocabulo *Elohim*, quod sit numeri singularis, & pluralis, sicut & sciamaim testis est S.Hieron.in Epist.136.ad Marcellam. *Scire autem debemus, quòd Elohim communis numeri sit, quòd & vnus Deus sic vocetur, & plures; ad quam similitudinem cælum quoque appellatur, & cæli, idest Sciamaim: vnde & sæpè interpretes variant, cuius rei exemplum nos in lingua nostra habere possumus, Athenas, Thebas, Salonas.* Ex verbo autem singularis vel pluralis numeri, alijsque vocibus constructis posset discerni, an Elohim sit pluralis numeri, an singularis. Cæterum de re hac legantur Bellarmi.lib.2.de Christo cap.6.col.320.E. *Nunquam septuaginta, vel Hieronymus auertit Dij, nec vllus ita vertere auderet: quod est argumentum pluralem significationem in ijs locis, ea nomina non habere, sed singularem.* Plura ibidem, & apud Caetan.Comment.in Genesim. Molin.1.p.q.27.art.1.disput.5.pag.151. Vasquez 1.p. q.27.tom.2.disput.108.cap:2.car.110.col.1: Perer.in Genes. cap.1.super id *Deus creauit.* Quòd si Hebræo idiomate demus ita loqui licere: in Græco, & Latino loqui fas non est contra regulam fidei, quæ nos prohibet dicere *Deos*, aut *Dominos*. Ita S.Bonau.1. d.4.q.3. num.25.& S.Tho.1. p. q.39. art. 3. ad 2.

Recognitio XLII.

Citatur in pag.36.ad probandam diuinam Trinitatem textus 1.de celo 100. sic. *Aristoteles diuinam Trinitatem apertius nobis insinuauit, dum agens de Deo, quatenus est vniuersi causa tùm efficiens, tùm formalis, tùm etiam finalis, ait. Extra cælum autem quòd neque est, neque contingit esse corpus, ostensum est. Manifestum igitur est, quòd neque locus, neque vacuum, neque tempus est extrinsecus. Quapropter neque quæ illic sunt,*

1. cæli 100. Licetus.

nata

nata sunt in loco esse, neque tempus ipsa facit senescere, neque vlla transmutatio vllius eorum est, quæ super extima disposita sunt latione, sed inalterabilia, & impassibilia, optimam habentia vitam, & per se sufficientissimam, perseuerant toto æuo: Etenim hoc nomen diuinè enuntiatum est ab Antiquis; Finis enim, qui continet vitæ vniuscuiusque tempus, cuius nihil est extra secundum naturam, æuum vniuscuiusque vocatus est. Secundum eandem autem rationem, & totius cæli finis, & finis omne tempus, ac infinitatem continens, æuum est, (ab eo quod sit semper sumpta denominatione) immortale, & diuinum; vnde & alijs pendet, his quidem exactius, his autem obscurius esse, & viuere. Etenim quemadmodum in vulgaribus sententijs circa diuina sæpè declaratur rationibus, quod diuinum ipsum intrasmutabile esse necesse est omne, primum, ac maximè summum: quod sic se habens, attestatur ijs, quæ dicta sunt, neque enim aliud melius est, quod moueat: illud enim esset vtique diuinius, neque habet prauitatem vllam, neque indigens suorum bonorum vllo est. Profectò diuinum ipsum intrasmutabile primum, & maximè summum &c. Vnus Deus est, & nihil aliud. Nec vlla mens habet vitam optimam, cum ea Deus vitam habeat meliorem; nec eadem obtinet vitam per se sufficientissimam, cum Deo summo indigeat à quo conseruetur.

Modo nunc Aristoteles de hoc summo Deo loquens numero multitudinis, dum inquit, ea, quæ sunt extra cælum, esse optimam habentia vitam, & per se sufficientissimam, &c. clarè supponit in simplicissima Dei natura quampiam esse pluralitatem; nam etsi Deus Aristoteli sit vnus, tùm specie, tùm numero. Quia tamen Deus idem Aristoteli est

1. Metaph. sum. 2. cap 2. tùm forma vniuersi.

Tùm 12. Metaph. 52. Bonum, ac finis mundi totius.

Tùm causa efficiens conseruans, & benè 12. Metaph. 56. gubernans omnia mundana, considerata natura diuina sub ista triplici formalitate, de summo Deo loquitur aptè nunc Aristoteles sub numero multitudinis, quoniam ea attributa, quorum in præsentia me-

mi-

minit, conueniunt vni Deo, prout est formaliter Trinus, forma nempè finis, & efficiens vniuersi. Sicut Theologi appropriant Patri potentiam, Filio Sapientiam, Spiritui Sancto bonitatem, sic Aristoteles per tres formalitates nobis adumbrat Trinitatem. Hactenus Licetus.

Prima obseruatio. Licetus lib.2.cap.6:ad pag.113.per illa entia extra cęlum optimam habentia vitam, &c. exponit secundas intelligentias infra Deum, & supra cęlos. Nunc exponit ipsum Deum cum tribus formalitatibus,quæ sunt Deus Tanta est Liceti constantia.

Secunda. In Vestigatione 4.num.30. ex Eugubino attuli textum istum ad probandum, quòd istæ intelligentiæ multæ sint multi Dij; & solui ad hominem, concedens ab Aristotele creditos esse Deos multos. Id quod Licetus in prima expositione dixerat, vt istum textum quoque Licetus ex mea Vestigat. sumere potuerit. Verùm Bessarion lib. 3. contra calumniatorem cap.19. colligit hoc argumentum ex isto textu his verbis. *Eodem tendunt, & quæ in 1.lib. de cælo de supercalestibus substantijs modo plurali, modo singulari numero differuntur: hoc enim Trinitatem Dei declarat.* Quod argumentum simplici negatione tollitur; non enim de eadem re loquitur in principio textus in numero plurali, & in fine textus de *summo diuino* in numero singulari.

Bessarion.

Neque propter pluralitatem formalitatum distinctarum in Deo concluditur Trinitas. Siquidem vnitas, veritas, bonitas, pulchritudo, necessitas, actualitas, æternitas, intellectus, voluntas, & aliæ plurimæ sunt formales perfectiones in Deo:qua ratione concluderet,vel viginti personas.

Præterea ex multitudine formalitatum non licet inferre subiectum in plurali. Si enim in vno homine sint multæ scientiæ, non rectè inferes, vnus homo est multi scientes: si multas artes, est multi artifices: neque si Deus habet tres causalitates, ideò erit tres causæ,vel tres Dij.

Sco. quol. 11.H.1.d. 12.q.1.ad vlt: 3.d.8: q.1. F.3. d.6. q.1.

Quin etiam causa efficiens, formalis, finalis in Deo sunt,

præ-

prædicata essentialia ad extra, communia tribus. Vnde Pater solus consideratus, est causa efficiens, finalis, formalis; nisi ergo Patrem ex triplici formalitate concludas esse tres personas, nec de Deo id potes concludere.

Ad hęc, Aristoteles naturali lumine processit ad cognoscendum Deum, Trinitas personalis in vnitate essentiæ, non potest naturali lumine deprehendi: igitur Aristoteles non cognouit propria personarum; neque appropriata, neque appropriabilia; ignorato quippe alterutro extremo relationis, videlicet fundamento, vel termino, ignoratur & relatio: appropriatio autem est relatio fundata in aliquo prædicato communi tribus, ac terminata ad vnam personam, & ad proprium eius. Ergo ignoratis personis, & proprijs personarum, ignoratur appropriatio, atque appropriatum, & appropriabile, quatenus talia sunt. Qui cognoscit Trinitatem per reuelationem, iuuatur ad euitandos errores, vel declarandas veritates de aliqua persona per appropriationem, sicut iuuantur Theologi. Sed Aristoteles ista non cognouit. Ac Licetus non est Deo reuelanti gratus, si tribuit Aristoteli ex natura, quod non potest cognosci, nisi per gratiam.

Quod verò ait. Mentes infra Deum non habere vitam optimam, & per se sufficientissimam: id contradicit Liceto qui in libro 2. cap. 6. de Pietate attribuit mentibus infra Deum, vitam optimam: contradicit Aristoteli; qui libro in Zenonem docet, quoslibet Deos optimè se habere.

Dicit contra Aristotelem, qui de felicitate humana in 1. Nicomac. cap. 9. car. 13. *D Optima igitur, inquit, pulcherrima, & iucundissima res est felicitas*: nimirum ex eodem libro cap. 6. *Felicitas est operatio animæ secundum optimam virtutem in vita perfecta, sed Dijs beata est tota vita*, ex 10. Nicomac. cap. 8. & ea sine corporeis indigentijs, vt in nobis. Quare felicitas entium incorporeorum erit in vita optima, scilicet in speculatione, habebitque dotes felicitati assignatas. in 10. Nicom. cap. 7. Scilicet erit operatio intellectus præstantissi-

Q ma

ma, assiduissima, voluptuosissima, atque per se sufficiens, dicente Aristo tele ibidem car. 169. F. *Sapiens verò etiamsi per se ipsum sit, contemplari potest, atque id tantò magis, quantò sapientior fuerit. Melius quidem fortasse, si adiutores habeat: sufficientissimus tamen ipse est*. Quia tamen Licetus Cl. vir totum textum 1. de cęlo 100. transcripsit, totum lucubremus. Egerat Aristoteles de cęlo toto. Incipit agere de entibus extra cęlum, vel non existentibus, vel existentibus. In 1. p. textus de non existentibus extra cęlum.

1. cæli 100 Prima particula textus. *Extra autem cælum, quòd neque est, neque contingit esse corpus, ostensum est. Manifestum igitur est, quòd neque locus, neque vacuum, neque tempus est extrinsecus.* Igitur extra cęlum nullum est corpus, nihil per se proprium corporis: sed quæ extra cęlum sunt, sunt entia incorporea. Ergo de non existentibus extra cęlum tractatur in prima particula textus.

Secunda particula. *Quapropter neque, quæ illic sunt, nata sunt in loco esse, neque tempus ipsa facit senescere, neque vlla trasmutatio vllius eorum est, quæ super extima disposita sunt latione, sed inalterabilia, & impassibilia, optimam habentia vitam, & per se sufficientissimam, perseuerant toto æuo*. In hac parte statuuntur multa entia extra cęlum. Sed Licetus ponit tres personas Dei significari per hæc entia extra cęlum.

Cum in 1. phys. 6. & 7. diuisio fiat principij, vel entis: diuisio talis est. Necesse est ens esse vnum, aut multa; & si multa, aut infinita, aut finita. *Et si finita, plura autem vno, aut duo, aut tria, aut quatuor, aut secundum alium quempiam numerum*. Ergo pluralitas finita est indifferens ad duo, tria, quatuor, & cæteros numeros. Cur Licetus restringit entia supercęlestia ad tria? Respondetur. Licetus est totus voluntarius, restringit ad tria, quia sic illi placet; nam in textu nullum fundamentum est pro ternario magis, quàm pro binario, vel pro quaternario.

Cur non potius ex 12. Metaph. 48. numerum accipit substan-

ſtantiarum ſeparatarum à corpore? Ariſtoteles ibi probat ſubſtantias ſeparatas tot eſſe, quot orbes cęlorum, nempè quadraginta ſeptem planetarum, & vna ſtellati: nec eſſe plures, nec pauciores: ergo contra Ariſtotelem eſt reſtringere ſubſtantias ſeparatas à corpore ad numerum ternarium. An Licetus non ſequitur Ariſtotelem, ſed ſe ipſum?

At Licetus intelligit iſtam particulam textus de Deo, in quo eſt triplex ratio cauſæ, ſcilicet efficientis, formalis, finalis: propterea entia extra cęlum ſunt tria.

Reluctor, quia in particula iſta nulla ratio cauſalis conſideratur. Ergo Licetus voluntàrius eſt in triplici cauſalitate ponenda, & ſine fundamento textus.

Deinde in toto textu 100. tangitur fortaſſe cauſalitas effectiua Dei, tanquam *principium vnde eſſe*, & *principium vnde motus*. At cauſalitas formalis, vel finalis in iſto textu non tangitur. Sed Licetus ad 12. metaph. confugit pro cauſa finali probanda in Deo: ad primum metaph. pro cauſa formali licet in 1. metaph. non dicatur Deus eſſe forma, & falſa ſit citatio Liceti, vt poſtea.

3 Cum ſint multæ rationes formales in Deo, vt ſuperius dixi: cur Licetus tres iſtas potius accipit? voluntarius eſt, ſic placet: Cur ex iſtis, quæ reſpiciunt ad extra, vult inferre Trinitatem perſonarum, quæ non ſpectant ad extra? voluntarius eſt, ſic Liceto placet ſine fundamento in textu.

Amplius. Cur iſtam particulam explicat de Deo, cum apud Licetum vnus ſolus ſit Deus, & iuxta regulam Chriſtianam non poſſimus in plurali ponere *Deos* multos, aut loqui? Alexander teſte Simplico per entia extra cęlum intelligit vltimum cęlum. Simplicius cum alijs exponit cauſas intellectuales: cui aſſentitur Aquinas: Sueſſanus Alexandrum, & Auerroem intelligit docuiſſe, entia extra cęlum eſſe cęlum ſupremum, & Deum. Porrò in textu Ariſtoteles ponit de entibus ſupercęleſtibus (id eſt ſuper extima latione diſpoſitis) prædicata negatiua, & poſitiua; negat locum, tempus, mutationem: & ſub mutatione negat alterationem, & paſſio-

nem ab entibus extra cęlum: ponit vitam optimam, per se sufficientissimam, perseuerantem toto æuo. Quæ prædicata sunt ab Aristotele asserta, sed postea probabuntur. Vnde primò declarat vocem *æuum*, deinde probat; & ex declaratione, atque probatione poterimus cognoscere, an de re corporea, vti est cęlum, an de incorporea, vti sunt separatæ mentes intellexerit secundam particulam.

3. Particula. *Etenim hoc nomen diuinè enuntiatum est ab antiquis. Finis enim, qui continet vitæ vniuscuiusque tempus, cuius nihil est extra secundum naturam, æuum vniuscuiusque vocatum est. Secundum eandem autem rationem, & totius cæli finis: & finis omne tempus, ac infinitatem continens æuum est, (ab eo, quod sit semper sumpta denominatione) immortale, & diuinum, vnde & alijs pendet, his quidem exactius, his autem obscurius esse, & viuere.*

Æuum trifariam accipitur: primò ab Antiquis, æuum est finis, qui continet vitæ vniuscuiusque tempus, cuius nihil est extra secundum naturam. Hoc æuum competit viuentibus subcælestibus, quia ex 2. de Generat. 57. tempus, & vita cuiusque mensuratur circuitu maiori, vel minori. Si ergo viuens peruenerit ad illud tempus, quod complet circuitum suæ existentiæ, & vitæ, ille finis continens totum tempus debitum vitæ alicuius secundum naturam, vocatur æuum eius: si autem tale viuens, vel ab ægritudine, vel ab externa causa per se, vt ab inimico occidente impediatur, vel per accidẽs, vt à casuali submersione, aut ictu lapidis, tale tempus non est ęuũ, quia non est finis cõpletus secundum naturam. Sic Plato viuens 81. annis, & per naturalem resolutionem moriens, obtinuit æuum, quia finem completum naturæ suæ congruentem. Quare in hoc æuo attenditur mensura durationis perfecta secundum naturam, & hoc est formale: attenditur esse, & viuere secundum naturalem circuitum, & hoc est mensuratum, ac esse materiale. Aristoteles verò secundum eandem rationem duplex æuum, siue

ue duplicem finem ponit scribens de æuo cęli. *Secundum eandem rationem, & totius cæli finis*. Subiungit tertium finem, siue æuum. *Et finis omne tempus, ac infinitatem continens æuum est ab eo, quòd sit semper sumpta denominatione, immortale, & diuinum, vnde & alijs pendet, his quidem exactius, his autem obscurius esse, & viuere.* De hoc æuo, seu fine continente totam infinitatem durationis, quatuor attributa narrat. Primum, denominatur ab ipso *semper*. Secundum *immortale*. Tertium *Diuinum*. Quartum, *Vnde & alijs pendet esse, & viuere*: Tale est æuum, non subcæleste, vel cæleste; sed supercæleste, atque, vt Simplicius ait, supermundanum.

Hinc duplex error Liceti apparet in exponendo textu.

Primus de æuo supercælesti Aristoteles ait, *Vnde & alijs pendet &c.* Licetus de Deo exponit. Sed melius Simplicius de æuo. Nam, & textus de æuo loquitur, & non est confundenda ratio æui mensurantis, cum viuente mensurato. Propterea quod eadem ratione ponitur æuum cæleste, & supercæleste, qua æuum subcæleste. At subcæleste æuum distinguitur à viuente mensurato, ita vt aliquando viuens fuerit, & æuum eius non fuerit; quando scilicet viuens non assequitur finem durationis naturæ suæ congruum, vel debitum. Ergo eadem ratione seruata debemus distinguere inter finem, seu æuum totius cęli, & cęlum ipsum: quod viuit per 2. de cęlo 13. & 60. & 68. atque inter æuum, seu finem supercælestem, quod item distinguitur, vt mensura infinita à viuente infinito secundum naturam. Ergo distinctio est inter æuum hoc tertium, & viuens in æuo; & si non tanta distinctio; siquidem æuum subcæleste, ac cæleste differt à suo mensurato realiter. Æuum supercæleste, & viuens in eo, saltem distinguuntur formaliter. Si quis autem dicta de vna ratione formali attribuerit alteri rationi formali propter aliquam identitatem cum subiecto, incidit in fallaciam figuræ dictionis, & fallaciam accidentis, vti nunc Li-

cetus

cetus facit, attribuens ipsi viuenti Deo, quod ab Aristotele tribuitur æuo immortali, & diuino, vnde & alijs pẽdet &c.

Secundus error vel audaciæ, vel negligentiæ est. Aristoteles scribit. *Vnde & alijs pendet esse, & viuere:* Licetus vnde pendet *omnibus*. Valde differunt *Alijs* pendet, & *omnibus* pendet. Aristoteles distinguit æuum independens ab alijs dependentibus in esse, & viuere: & iure, Omne enim essentialiter dependens distinguitur essentialiter ab illo independente, à quo dependet. Independens, & dependens sunt aliud, & aliud esse, & viuere. Si autem cum Liceto omnibus pendet esse, & viuere: quæro vtrum Deus contineatur sub ente communi omnibus, aut non? Si non, ergo Deus non est ens, sed nihil: quod atheismum olet. Si autem Deus etiam inter omnia continetur, iam etiam Deus in esse, & viuere dependens est. At omne dependens in esse, & viuere est posterius essentialiter aliquo, à quo dependet; ergo Deus erit essentialiter posterior aliquo ente independente, nec Deus erit primum ens, nec independens, quod est absurdissimum. Sed quæstio eadem redibit, vtrum illud independens prius Deo, contineatur sub distributione *omnia entia*, vel non. Si non, nihil erit. Si sic, & ipsum erit dependens in infinitum. Ita ne corrumpitur textus Aristotelis pro voce *Alijs* scribendo *omnibus*? pro voce *æuum* scribendo *Deum?* Quod magnæ est negligentiæ, si non obseruetur: audaciæ, si est obseruatum.

Exquiro, quodnam sit substantiuum vocabuli *Alijs?* Primò quidem in textu est duplex copulatiua. *Vnde & alijs pendet esse & viuere.* Prima copulatiua copulat in ipso æuo independente ipsum esse, & viuere primi æuiterni cum ipso esse, & viuere aliorum scilicet dependentium. Quare duplex est esse, & viuere, alterum independens, alterum dependens. Secunda cum dicimus *alijs pendet* esse, & viuere, vel intelligimus alijs supercælestibus, de quibus in secunda particula *perseuerant toto æuo*, vel

alijs

alijs æuiternis subcæleſtibus, cælis, & ſupercæleſtibus (omnibus enim æuo menſuratis competit eſſe, & viuere.) Vel denique *alijs omnibus* à primo dependentibus; quo dato ſecunda copulatiua haberet vim diſiunctiuæ. Pendet alijs, vel habentibus ſolum eſſe, vel habentibus eſſe & viuere. Sed hoc tertium, textum extorquet, & extra propoſitum transfert; textus enim eſt de æuo, quod competit ſolis habentibus eſſe, & uiuere. Si ergo intelligamus *alijs æuiternis* habentibus eſſe, & uiuere, aut ſub cælo, aut cælo, aut ſuper cęlos, textus exponitur conſentaneè ad declarationem de triplici æuo. Si de ſolis æuiternis ſupercæleſtibus, uerior expoſitio erit; quoniam de æuo ipſorum eſt intenrio, & propoſitum Ariſtotelis. Hic nota mirabile artificium, ingenio Ariſtotelis digniſſimum; quoniam ipſum uiuens eſt ratione quadam prius, quàm ſua menſura durationis naturalis, quæ eſt æuum. quando Ariſtoteles loquitur de æuo independente, neceſſariò præſupponit ipſum eſſe, & uiuere æuiterni ſui, eſſe independens: ſi enim poſterius eſt independens, etiam prius erit independens. Quando autem loquitur de alijs dependentibus, non ſtatuit ipſa æua dependere, ſed æuiterna, vt alijs æuiternis eſſe & viuere pendeat à primo æuo. At ſi eſſe, & viuere, quod eſt prius pendet à primo æuo: multò magis æua conſequentia ad eſſe, & viuere dependebunt, & à primo æuo, & à primo æuiterno.

Tertius error Liceti hinc eniteſcit. Omne enim dependens eſſentialiter, eſt eſſentialiter diſtinctum ab illo independente, quod terminat dependentiam ipſius dependentis. Sed à ſupremo æuo independente pendet eſſe, & viuere alijs æuo menſuratis, ſiue ſupercæleſtibus ſolis, vt eſt ad propoſitum: ſiue cælis, & ſubcæleſtibus: ergo primum æuum independens eſſentialiter diſtinguitur ab alijs æuiternis, quibus à primo æuo pendet eſſe, & viuere, & pendet eſſentialiter; quare non benè ait Licetus, quod illa multa ſuper cęlos poſita, in æuo ſupercæleſti perſe-

ueran-

uerantia, sint idem essentialiter cum Deo independenti, aut cum æuo eius.

Corollarium. Diuina Trinitas non dependet essentialiter à primo viuente Deo, nec ab eius æuo supremo. Entia supercælestia perseuerantia toto æuo pendent à supremo æuo in esse, & viuere. Ergo illa entia non sunt diuina Trinitas.

Quarta pars textus. *Etenim quemadmodum in vulgaribus sententijs circa diuina sæpè declaratur rationibus, quòd diuinum ipsum intrasmutabile esse necesse est omne; primum, ac maximè summum, quod sic se habens attestatur ijs, quæ dicta sunt; neque enim aliud melius est, quod moueat: illud enim esset vtique diuinius: neque habet prauitatem vllam, neque indigens suorum bonorum vllo est.*

Proposuerat Aristoteles in 2 particula prædicata negatiua, & positiua de entibus supercælestibus. Probare oportebat, nec probauit. Ergo post declarationem æui, ponit particulam probatiuam *etenim*, atque primo loco statuit conclusionem vniuersalem de diuinis entibus. *Omne diuinum est intrasmutabile ex necessitate.* Secundo loco propositionem probantem adscribit hanc. *Primum, ac maximè summum, quod sic se habens attestatur ijs, quæ dicta sunt.* Quę dicta sunt, & egent attestatione probante, ea proposuit in secunda particula; attestatio accipitur à primo diuino, & maximè summo. Vbi manifestè est distinctio: omne diuinum esse distinctum, vel in primum, & summum diuinum, vel in posteriora, & inferiora diuina: sunt enim hæc eiusdem generis, quod est *ens diuinum*; sed in omni genere, est vnum primum, & summum, tanquam metrum, & mensura illius generis. Igitur prædicata, quæ primo conueniunt & perfectissimè ipsi primo, ac summo diuino, consequenter & posterioribus, atque inferioribus diuinis conueniunt, vti diximus cum Piccolomineo.

Exploremus ergo dicta de primo, & summo diuino. Quod

sic

ſic ſe habens atteſtatur dictis. *Neque enim aliud melius eſt, quod moueat: illud enim eſſet vtique diuinius: neque habet prauitatem vllam, neque indigens ſuorum bonorum vllo eſt.* Primum diuinum, & ſummum eſt immobile, quia id, quod mouet eſt, diuinius moto: primo, ac ſummo diuino nihil eſt diuinius. Ergo primum diuinum nihil eſt, quod moueat: ergo primum diuinum eſt immobile. Sic probata eſt intraſmutabilitas primi, & ſummi diuini. Poſtea probat primum diuinum habere vitam optimam, quia nullam habet prauitatem. Tertio probat habere per ſe ſufficientiam, quia nullo bonorum ſuorum indigens eſt. Sed hæ conditiones, quæ primitus cõueniunt primo, & ſummo diuino, vt primo analogo; conſequenter omni diuino conueniunt. Quæ doctrina congruit cum dictis in 2.de Generat. 59. quæ ſunt propè principium, æterna ſunt; quæ longè à principio, generationi, & corruptioni ſunt obnoxia. Atqui à primo, & ſummo diuino, vt à principio vnde eſſe, & viuere entibus incorporeis,& diuinis pendent: ipſa diuina proximè, & immediatè recipiunt eſſe, & viuere, igitur ſunt in traſmutabilia; optimam habent vitam, ac per ſe ſufficientiſſimam, perſeuerantque toto æuo; nec poſſunt diſſolui, quia præcisè ex intraſmutabili pendent principio, vti tangitur in libro de communi motionis cauſa cap.4.

Duo adijciam pro textu, alterum, quod in primo, & ſummo diuino ſufficientia duplex eſt; nam & in ſubiecto, & in obiecto per ſe ipſum eſt felix primum diuinum; vt intellectiuum habet viuere optimum ex ſubiecto, vt intelligibile ſummum, habet optimum viuere ex ſe ipſo vt obiecto. vnde felicitatem ex ſe ampliciſſimam habet. Cætera diuina ex ſubiecto intellectiuo habent felicitatem per ſe,ſed non habent felicitatem in ſe vt obiectis; habent enim illam in primo diuino, vt obiecto intraſmutabiliter illis præſente ad ſpeculationem æternam.

Alterum. Entia incorporea perſeuerant toto æuo: quod

non conuenit viuentibus ſubcæleſtibus, quorum vita intercepta, ſæpè partem æui habent, non totum; neque conuenit cęlis, nam propter traſmutabilitatem habent continuè aliquam partem motus, vel temporis, totum tempus nunquam habent, ſed partem præſentem, vel præſentem terminum: entia verò incorporea intraſmutabilia quidquid poſſunt habere ad eſſe, & viuere requiſitum, habent impartibiliter, ſaltem quod ſpectat ad vitam optimam, & ſufficientiſſimam, hoc eſt ad felicitatem eorum.

Quinta particula textus, ſub initio duas habet lectiones obſeruante Simplicio: Prior lectio *& inceſſabili vtique motu mouetur rationabiliter*. Poſterior. *Inceſſabili itaque motu mouet rationabiliter*. Connexio primæ lectionis eſt |. Ariſtoteles egit de cęlo, & motu eius. Fecit digreſſionem de entibus extra cęlum: Digreſſione peracta reuertitur ad cęlum, quod mouetur motu inceſſabili. Poſterioris lectionis connexio eſt, primum diuinum ſupremo æuo menſuratum mouet motu inceſſabili cęlum, de quo antea dictum, & proximè dicendum eſt. quæ de cęlo poſtea dicuntur, non ſunt ad rem noſtram.

Nunc reuertamur ad Licetum. Cum diuinum ſit vel primum, & ſummum, de quo in quarta particula; vel poſterius, & inferius ſummo, de quo in ſecunda particula; in qua prædicata ponuntur, quę in quarta probantur, ſic argumentor. Primum, ac ſummum diuinum, non eſt idem eſſentialiter cum inferioribus, & poſterioribus diuinis; ſed Deus verus eſt primum, & ſummum diuinum. Ergo non eſt idem eſſentialiter cum diuinis inferioribus, quorum prædicata affirmatiua, & negatiua propoſita in ſecunda particula, probantur in quarta. Atqui Trinitas perſonarum diuinarum eſt eſſentialiter ipſe Deus ſummus ſolus; ergo per entia diuina poſita in ſecunda particula non intelligitur Trinitas perſonarum diuinarum.

2 Primo diuino nihil eſt diuinius, atque adeò Trinitate perſonarum nihil eſt diuinius: ſed entibus extra cęlum datur aliquid diuinius, nempè ipſum ſummum diuinum. Ergo entia extra cęlum non ſunt Trinitas perſonarum.

3 Vnum & multa opponuntur circa idem ex ratione bonæ diuiſionis: ſed primum, ac ſummum diuinum eſt vnum, diuina inferiora ſunt multa. igitur primum diuinum, qui eſt verus Deus, opponitur illis multis.

4 Multa diuina eſſe intranſmutabilia, eſt concluſio. Primum diuinum. & ſummum eſſe intraſmutabile eſt propoſitio, in qua eſt medius terminus. Si concluſio, & principium fuerint idem Liceto, Licetus petet principium, non Ariſtoteles, cui non ſunt idem. Quod autem probatum eſt, oſtendit intraſmutabilitatem dependenter conuenire alijs entibus extra cęlum: ſimiliter dependenter conuenit, non eſſe in loco, non ſeneſcere in tempore, eſſe inalterabilia, & impaſſibilia: habere vitam optimam, per ſe ſufficientiſſimam, & perſeuerantem toto æuo. Quod independenter aliquid habet, & quod dependenter habet illud idem, non ſunt idem eſſentialiter, & ex conſequenti entia extra cęlum poſita in ſecunda particula non ſunt idem eſſentialiter cum primo, & ſummo diuino: ergo non ſunt Trinitas.

Denique quod vnus ſit Deus primus, & ſummus, concedit Ariſtoteles; non tamen negat inferiora diuina, & poſteriora, imò ponit inferiores Deos, ac Deas in lib. de communi motu cap. 4. & ſubditos Deos eoſdem genere cum ſupremo Deorum rege vt in 1. Polit. cap. 12. car. 394. C.

Ex his omnibus circa textum obſeruatis conſpici poteſt, quàm ſollicitè Licetus ponderet Ariſtotelicos textus.

Recognitio XLIII.

LIcetus in pag: 37. Videtur Ariſtoteles alibi nobis Trinitatem perſonarum in vnitate ſimplicis eſſentiæ diuinæ *Ariſt. in metaph 35. tex. 36.*

significare dicens. *Est aliquid, quod non motum mouet, quod*
1. Met. *æternum, & substantia, & actus est.*
Tex. 36. *Mouet autem hoc modo. concupiscibile, & intelligibile mouet, non motum; horum autem prima eadem sunt; desiderabile namque, quod apparet bonũ; primũ verò voluntate affectabile, quod est bonũ magis verò appetimus: quia videtur, quã videtur, quia appetimus. Principium enim intellectio. Ac intellectus ab intelligibili mo-*
tex. 37. *uetur. Intelligibile verò alter ordo est, qui per se ipsum est: & huius substantia prima, atque huiusce, quæ simplex, & secundum actum est. Est autem vnum, & simplex non idem; Siquidem vnum significat mensuram, simplex verò quomodo se habeat ipsum. At verò bonum quoque, & quod per se eligibile est, in eodem ordine sunt, & semper primum est optimum, aut proportionale, Quod verò cuius gratia in immobilibus sit, ipsa diuisio manifestat: est enim id, cuius gratia alicui eorum, quorum hoc quidem est; hoc verò non est: mouet itaque vt quod amatur, quod mouetur autem, cætera mouet.*

Licetus. *Substantia prima, quæ simplex est, & vna, & secundum actum, Deus est: cuius tria attributa mouens, intelligibile, & appetibile bonum, mirificè significant in vna & simplici natura diuina, quæ primus actus est, tres esse personas, etenim mouens Pater est, qui sua omnipotentia cuncta creauit, & creata mouet. Intelligibile Verbum est Dei Patris Filius, qui nascitur ex mente fæcunda Patris semetipsum contemplantis, talique contemplatione simillimum sibi conceptum generantis: appetibile bonum est Spiritus Sanctus, qui amor est ex Patre, Filioque procedens, dum Pater Filium à se genitum videns esse bonum, ac sibi simillimum, amat dilectione perfectissima.* Hæc Licetus.

Prima obseruatio. Primum mouens est substantia, & actus, de quo mouente Aristoteles vult declarare, & rem, & modum; rem, quod est *mouens, non motum,* idque & in comparatione ad cęlum, quod *mouetur, & mouet*; & in comparatione ad tertium, quod *mouetur, non mouet.* Concludit ergo in textu 35. rem scilicet mouens non motum. In textu 36,

modum aperit dicens. *Mouet autem hoc modo, concupiscibile, & intelligibile mouet non motũ: horum autẽ prima eadem sunt*, intelligibile, videlicet in ordine per se intelligibiliũ est primũ intelligibile: in ordine per se eligibilium est primum amabile, & hæc prima vtriusque ordinis sunt vnum, & idem. Quare non sunt tres res, sed vna res cum duplici modo intelligibilis, scilicet, & amabilis.

Corollarium. Tres personæ Diuinæ sunt tres res, & vna res: tres personales, vna essentialis cum S. Augustino in 1. de Doct. Christ: cap. 5. ergo falsò ex re, & duobus eius modis Licetus existimat indicari Trinitatem. Vereor ne omnem ternarium mundi dicat esse indicem Trinitatis, atque omnes, qui aliquem ternarium considerarunt, asserat cognouisse Trinitatem personarum. Qua ex re nihil Aristoteles cognouisset, quod non cognouerit quiuis alius. Itaque grammaticus considerans adiectiuum nomen, quod habeat vnam vocem, & tres articulos deprehendit Trinitatem. Ita Logicus in syllogismo tres terminos continens, cognouit Trinitatem diuinam, quæ naturali lumine non potest cognosci, vt supra dictum est. *S. Aug.*

Secunda obser. Primum intelligibile, & primum amabile comparantur, vel ad aliud intelligens, & amans, quod sit essentialiter distinctum ab ipso primo intelligibili, & summo amabili, vel comparantur ad intellectum, & voluntatem eiusdem primi intelligentis, & amantis, in quo intellectus, & primum intelligibile, voluntas, & primum amabile sint idem. In isto textu 36. & sequentibus 37. & 38. Aristoteles comparat primum intelligibile, & amabile ad aliud essentialiter distinctum: videlicet ad cęlum, quod mouetur vt intelligens, & amans, vnde subdit in textu 37. *Mouet itaque, vt quod amatur: quod mouetur autem, cætera mouet.* Vbi tria sunt essentialiter diuersa, primum intelligibile, & amabile vt obiectum mouens non motum. Secundum est ipsum cęlum, quod mouetur ab amato, & mouet cætera. Tertium sunt cę-

tera, quæ à cęlo moto mouente mouentur. Sicuti in 3. de Anima 54. in animalibus est motus cum his tribus: primum mouens non motum est cognoscibile, & appetibile. Secundum est animal cognoscens, & amans, quod mouetur obiectiuè, sed mouet realiter, & physicè corpus. Tertium sunt instrumenta corporis, & corpus ipsum. Sic intelligit motionem, qua primum intelligibile, & amabile, cum amatur, mouet non se, sed cęlum, prout acutissimè annotauit Alex. de Ales. super istis textibus. Quæ doctrina est Aristotelis in libro de communi motione cap. 6. car. 1482. D. *Quare palam est, quod contingit quidem id, quod semper mouetur à semper mouente similiter moueri, vt singula animalia: contingit autem vt alio modo. Et idcirco illud quidem semper mouetur, animalium autem motus semper terminum habet. Sempiternum autem pulchrum, & id quod verè, & primo est bonum, neque modo quidem est, modo verò non est: diuinius profectò, honorabiliusque est, quàm vt illo quicquam sit prius. Primum igitur immotum mouet: appetitio autem, & id quod appetitiuum est, mota mouent; vltimum autem eorum, quæ mouentur, quod aliud moueat, nulla necessitas est.* Sicut ergo animalia subcælestia habent hæc tria, sic & animal cæleste, quod semper mouetur à semper mouente intelligibili, & appetibili. Discernuntur, quia amans celeste habet bonum amatum semper eodem modo mouens, & ideò motus est interminatus: amans subcæleste non sic, imò eius bonum quandoque est, quandoque non est, & variabile est tàm appetibile, quàm appetitus, ideò motus est terminatus.

3. ani. 54.

Alens.

de com. mo.

Neque voluit Aristoteles ex 12. Metaph. 37. 38. & 39. resoluere vtrum primum intelligibile intelligatur à proprio intellectu, nisi in textu 51.

Insuper quando idem intellectus primus iutelligit suam substantiam vt primum intelligibile, non inuenio apud Aristotelem, quod primum intelligibile moueat, & eius intellectus moueatur. Aliud etenim Aristoteli est mouens, &

aliud

aliud, quod mouetur 1.de vni.67.Neq; ipsum primũ concedit moueri, quia non habet aliud prius, sicut patet in verbis paulò ante relatis ex libro de motione animalium, & ex 1. de cęlo 100.nam si primum, & summum diuinum moueretur à se: Aristoteles in argumento commisisset fallaciam consequentis. Conclusio probanda est. Primum diuinum non est mobile. probatur, quia non est aliquid aliud diuinius, & hæc est vna causa affirmandi, vel negandi motum. Si potest moueri etiam à se ipso, iam erit alia causa affirmandi, vel negandi motum, & ex consequenti à negatione vnius causæ ad conclusionem vniuersalem erit fallacia consequentis ex insufficienti enumeratione. Cum igitur primum mouens immobile mouet vt intelligibile, & amabile, iam non mouet se, sed aliud essentialiter distinctum.

1. Corollarium. Quando Aristoteles loquitur de primo mouente comparat ipsum primum intelligibile, ad intellectum essentialiter distinctum, hoc est ad extra, scilicet ad aliud essentialiter: vnde intellectio producta à primo mouente intelligibili in primo intellectu moto, est intellectio producta ad extra. Ac existimat Licetus Verbum Dei, qui, & Filius Dei est, esse productum ad extra, vt alia sit essentia producentis Patris, alia essentia Filij producti: vnde Licetus in libro de Septimo Quæsitis epist. 1. sæpè admonet hanc propositionem, *Filius Dei est productus ad intra*, esse hæreticam, & Arianam. Nimirum ad Iudaismum nouellum propagandum nihil productum ad intra cognoscit in Deo. sed omne productum statuit extra Deum cum Iudæis, Sabellianis, & Arianis.

2 Corollarium. Si tria hæc Mouens, Intelligibile, & Amabile, Licetus putet esse propria vnius personæ, ratio creatoris, & motoris iuxtà Liceti declarationem erit propria Patris. Quamobrem Filius nec erit creator, nec motor: pariter nec Spiritus sanctus erit creator, aut motor, quæ sunt hæreses manifestæ. Si tria hæc sint communia tribus, ex prædicato

cato communi vt sic, non concluditur proprium sine fallacia consequentis.

Tertia obseruatio. Textus de substantia tria enuntiat prædicata: *Prima, Simplex, Secundum actum.* Licetus attribuit quartum prædicatum *Vna.* quanquam Aristoteles illud prædicatum noluerit.

Ratio quare noluerit à Doct. Angelico in ipsius textus commentario profertur.

Doc. Angel. cū quo Ant. Aud.

"*Relinquitur igitur, quod primum intelligibile sit substantia simplex, quæ est actus.* Et ne videatur incidere in opinionem Platonis, qui probat primum principium rerum esse ipsum vnum intelligibile; ostendit consequenter differentiam inter *vnum*, & *simplex*: & dici, quod vnum, & simplex non idem significant, sed vnum significat mensuram, vt in decimo ostensu est. Simplex autem significat dispositionem secundum quam aliquid aliqualiter se habet, quia videlicet non est ex pluribus constitutum." Hæc Thomas

Aphrod cū quo Vicom.

Aphrodiseus autem conspirat in conclusione, nimirum ab Aristotele non esse attributam vocem *Vna* substantiæ, tametsi in ratione assignanda non conspiret. Ait autem.

His verbis obiectioni cuidam, quæ opponi potest, occurrit: quæ huiusmodi est. Si prima, & immobilis substantia simplex est, simplex autem est vnum, substantia igitur immobilis vna est. At sunt aliæ immobiles substantiæ, vt ipse hoc libro docebit. Hanc igitur dubitationem explicat, dicens. Vnum autem, & simplex non eadem sunt. Vnum autem mensuram significat, vt vnum hominem, quo homines metimur: Et vnum equum, quo equos mensuramus. Simplex non significat mensuram, sed quomodo sese habeat ipsum, idest significat simplex non esse compositum.

Itaque Aristoteles negat *vnum* de substantia immobili, prima, actuali, simplici: Licetus affirmat nomine Aristotelis.

Reco-

Recognitio XLIV.

TExtus corrogatur ex 12. Diuinorum 39, talis. *Degentia verò, qualis nobis pauco tempore, optima illi est: siquidem ita semper illud est, nobis autem profectò id impossibile est, quoniam, & delectatio actus huius est*: & mox. *Ipsa verò intellectio secundum se eius est, quod secundum se optimum est, & quæ maxima est, eius quod maximè est. Seipsum verò intellectus intelligit assumptione intelligibilis: intelligibilis namque fit attingens, & intelligens, ita vt idem intellectus, & intelligibile sit: susceptiuum enim intelligibilis, & substantia intellectus est; operatur autem habens. Quare istud magis, quàm illud est id diuinum, quod intellectus videtur habere: & speculatio optimum, & maximè delectabile est. Si igitur ita benè se habet Deus semper, vt nos aliquando admirabile est: quod si magis, adhuc admirabilius est, at ita se habet. Cæterum vita quoque profectò inexistit; siquidem intellectus operatio vita est: ille verò est actus; actus verò per se illius vita optima, & perpetua est. Dicimus itaque Deum sempiternum, optimumque viuens esse. Quare vita, & æuum continuum, & æternum Deo inest, hic enim Deus est. Quibus Aristoteles non solùm apertissimè profitetur Deum vnicum esse.* 12.met.39 Licetus.

Prima obseruat. Hoc est falsissimum non enim Aristoteles in isto textu citato nos docet apertissimè Deum esse vnicum: sed neque occultissimè hoc habet. *falsa citatio.*

Verùm etiam in vno Deo trinas personas vtcunque videtur adumbrare. *Licetus.*

Secunda obseruat. Malè meretur de confessione fidei, tres personas dicere debuit, non trinas. Malè meretur de Aristotele, qui non potuit naturaliter cognoscere obiectum naturaliter non cognoscibile: tale obiectum est cognoscere Patrem, Filium, & Spiritum Sanctum, quarum personarum nec nomine, nec vmbra est in Aristotele.

Licetus. *Statuens Deum esse intellectum aeterna intellectione optima sui ipsius semper beata. se ipsumque semper intelligere, sic assumptione, seu potius perceptione (vtramque siquidem significationem habet vox græca Metalipsis, quam Bessario vertit assumptionem) nam verè Deus intelligit se ipsum nihil assumens, at solum percipiens intelligibile.*

Tertia obseruat. Verè dicit, Deus enim se ipsum intelligit, nihil assumens. Siuè autem vox græca significet transumptionem, vt legit Alensis, siue assumptionem vt Bessario; illa vox ostendit textũ non esse de intellectu diuino in illa parte, sed de intellectu humano, ex quo Arist. ascendit, ad intellectũ & intellectionem primi intelligibilis in cęlo positam; qua speculatione primi intelligibilis, sicut homo habet felicitatem formalem, & voluptatem consequentem: sic & cælum speculatione obtinet felicitatem formalem, & voluptatem, quæ consequitur, cum hoc discrimine; quòd felicitas hominis paruo tempore durat, felicitas cæli semper. Præsupponit enim Philosophus dicta de felicitate, & de voluptate humana in 10. ad Nicomachum? idcirco illa particula textus est de homine, & cęlo. *Degentia verò qualis nobis pauco tempore, optima illi est.* 12. me. 39. *Siquidem ita semper illud est, nobis autem profectò id impossibile est. Quoniam, & delectatio actus huius est, & ob hoc vigilatio, sensus, intellectio maximè delectabile est. Spes autem, & memoria propter hæc.* Ponit Arist. in cælo delectationem, & actum, quo causatur delectatio. Probat quoniam in actu consistit delectatio tàm in parte sensitiua, quàm in intellectiua, ideò particula ommissa à Liceto est legenda. *Et ob hoc vigilatio, sensus, intellectio maximè delectabile est: spes autem, & memoria propter hæc.* In ista particula ponitur vigilia, cui somnus opponitur: ponitur sensus, nempè in actu, quia in vigilia. Sed nec vigilia, aut somnus, nec sensus actu, vel potentia est in cælo, aut in Deo, quare hæc pars non est de Deo. Intellectio verò est in homine, sed

vigi-

vigiliæ tempore: est semper in cælo, & in Deo. Cæterùm intellectio in ista particula est de præsenti, memoria de præterito, spes de futuro, ex quibus actibus sequitur delectatio, seu voluptas; atqui memoria de præterito actu, & obiecto, spes de futuro, nec sunt, nec esse possunt in celo, aut in Deo ad mentem Aristotelis, solùm intellectio est. Sed non omnis intellectio est felicitas formalis; at declaratur ab Aristotele, qualis intellectio in homine, in cęlo, in Deo sit formalis felicitas, nempè operatio secundum optimam virtutem. Declaratur sic. *Ipsa verò intellectio secundum se eius est, quod secundum se optimum est; & quæ maximè est eius, quod maximè est.* Conformiter ad tradita in 10. Nicomac. cap. 4. *In vnoquoque enim optima eius est operatio, quod optimè affectum est erga præstantissimum ex ÿs, quæ ipsi subÿciuntur.* Est quidem perfectissima intellectio circa optimum intelligibile, proportionaliter tamen in homine, cęlo, Deo; sed ista clausula textus 39. ex 12. Metaph. peculiariter de hominis intellectione accipienda est, nam & quæ sequuntur de intellectione hominis sunt, quicquid Licetus dicat. *Seipsum (inquit textus) verò intellectus intelligit assumptione intelligibilis. Intelligibilis namque fit attingens, & intelligens, ita vt idem intellectus, & intelligibile sit: susceptiuum enim intelligibilis, & substantiæ intellectus est: operatur autem habens.* Hæc vltima particula conuincit, quæ dicta sunt hactenus de intellectu, dicta esse de intellectu humano, non de diuino. In humano intellectu duo sunt status, alter potentiæ, secundum quam intellectus est, sicuti tabula, in qua nihil est scriptum, sed scribi potest, sicuti nunc Aristoteles ait, *Intellectus est susceptiuum intelligibilis, & substantiæ;* Deus autem non habet intellectum susceptiuum, absit: Alter status est intellectus habentis in actu primo coniunctum sibi intelligibile: in quo statu ex intellectiuo, & intelligibili coniunctis, paritur notitia. hinc Aristoteles ait, *operatur autem habens.* Ideò intellectus humanus, ex se consideratus, non potest se intelligere: sed cum as-

sumpserit speciem intelligibilem, siue obiectum intelligibile; tunc intellectus attingens ipsum intelligibile fit intelligibilis, ita vt idem intellectus, & intelligibile sit; quæ quidem Aristoteles in 3. de Anima 8. lucidè tradidit. *Cum autem sic singula factus est, vt sciens dicitur, qui secundum actum; hoc autem tum accidit, cùm potest operari per se ipsum &c. & ipse autem se ipsum tam potest intelligere*. Hæc in 3. de Anima illustrant textum 39. in 12. Metaph.

3. de ani. 8

Subdit Aristoles. *Quare istud magis, quàm illud est id diuinũ, quod intellectus videtur habere, & speculatio optimum, & maximè delectabile est*. Comparat duos status, statum potentiæ ad actum primum, & secundum: quia intellectus est susceptiuus obiecti intelligibilis: & statum actus tàm primi, quàm secundi, cum ait. *Et habens operatur*: habens enim in actu primo, operatur actu secundo, cum limitationibus in 2. de Anima 55. & 56. atque asserit Aristoteles istum secundum statum scilicet *cum intellectus operatur*, esse, id quod est diuinum in intellectu. perfectiori enim modo se habet, dum intelligit: & ex intellectionibus speculatio est optimum, & maximè delectabile, conformiter ad 10. Nicomac. cap. 7. Hæc dicta sunt de intellectione humana.

Nunc probare oportet partem primam istius textus; & facere comparationem inter felicitatem hominis, & felicitatem cæli, siue inter actum vitalem, quo homo vitam optimam traducit, & optimam voluptatem capit, sed paruo tempore, & actum vitalem consimilem in cęlo sicut Alensis exposuit. Etenim de intellectione, & amore positis in cęlo respectu primi mouentis, quod intelligitur, & amatur, tractatum est superius in textibus 37. & 38. Quare & in textu 39. ex temporaria felicitate hominis, ac uoluptate, quæ consistit in actuali intellectione, & amore (principium enim est intelle&io) potest arguere ad intellectionem, & amorem cęli, procedens à notis ad ignotum, & notificans ipsam speculationem existentem in cælo, sed de primo intelligibili, & amabili mouente.

D. Tho. in 12. me. ad tex. 39. consẽtit cũ Alex. sic Ant. And. Alber. 11. met. cap. 21. car. 122.

uente. An primum intelligat, vel amet se: nihil adhuc est dictum. Propterea Aristoteles in particula proxima ex ipsa intellectione hominis notificata ascendit ad notificandum intellectionem Dei dicens. *Si igitur ita benè se habet Deus semper, vt nos aliquando: admirabile est, quod si magis, admirabilius est, at ita se habet.* Arguit nunc à minori. Quicquid perfectionis est in homine, illud sine imperfectione est in Deo ponendum. At cum homo benè se hnbet aliquando, tunc habet speculationem, & ex ea voluptatem circa optimum intelligibile. Ergo & Deus ita se habet. Si quis autem nolit dicta in priori parte accipere de cęlo, sed de primo principio à quo cęlum, & natura dependet, sua opinione fruatur. Pergat Licetus.

Licetus. *dicit inquam Aristot. Deum, sic se ipsum intelligere perceptione intelligibilis, vt optimam vitam semper habeat. Quarè in Deo ponit intellectum intelligentem, rem intelligibilem, & vitam optimã, quæ tria vult cum Deo iden tificari, ac esse ipsummet Deum*

Quarta obseruat. ex textu colligi possunt ista, sed nimis inordinatè colligit Licetus, nam in Deo obiectum intelligibile secundum rationem iutelligendi est in primo signo, nempè ipsa substantia primi intelligibilis: essentia quippe est omninò primum fundamentum, & radix omnium formalitatum, quæ in diuinis sunt, In secundo signo rationis est intellectus, in tertio est intellectio formalis absoluta, essentialis, propterea quod ipsa intellectio ex intelligibili, & intellectiuo est. In quarto signo intellectlone, vt ratione formali, qua, Deus, vel intellectus diuinus est formaliter intelligens: nam ratio denominans *vt quo* præintelligitur prior denominatiuo. Licetus autem quartum ponit primo loco, primum secundo loco, cætera supprimit.

Insuper vita est in Deo, quod probat Aristoteles, quia in Deo est intellectus, qui est actus vitalis, scilicet primus, & est intellectio, quæ est actus vitalis secundus. Intelligibile autem, & amabile quatenus talia, non habent rationem

prin-

principij vitalis, neque habent actionem, secundum doctrinã Aristotelis ex libro 2. Magn. Moral. cap. 11. car. 237. Neque vita est quid diuersum ab intellectione, & intellectu in isto textu.

Licet. pag. 39.

Licetus. *Porrò in Deo persona Patris est formaliter intellectus intelligens.*

Obseruatio. Filius quoque in Deo est generaliter intellectus intelligens, Spiritus sanctus itidem est intellectus formaliter intelligens, si loquamur de intellectione essentiali, quæ prorsus indiuisa est communis tribus: Si ergo intellectus intelligens à Liceto ponitur esse proprius Patris; iam tres personæ erunt Pater. Verè intellectio essentialis appropriatur Filio, qui procedit per modum notitiæ genitæ ex intelligibili, & intellectiuo: propterquod Sapientia, (idest intellectio Dei) communiter dicitur de tribus, & propriè de Filio, prout S. August. docet in 15. de Trinit. cap. 17. car. 153. E. *sicut ergo vnicum Dei Verbum propriè vocamus nomine Sapientiæ, cum sit vniuersaliter & Spiritus sanctus, & Pater ipse Sapientia*; ideò verius Filius dicetur esse formaliter intelligens.

Verbũ qui Licet. pag. 39.

Licetus. *Qui Pater sui met intellectione producit Verbum qui est imago substantialis Patris, ac omninò intelligibile idem re cum Patre intelligente.* Vbi hæc Aristoteles?

Obseruatio. Obiectum vt coniungitur cum intellectu habet rationem intelligibilis in actu primo, habet rationem actu intellecti vt coniungitur cum intellectione. Siquidem intellectus fœcundus vt principium totale constat ex obiecto intelligibili actu, & potentia intellectiua tanquam partialibus, atque hoc cum prioritate ad actum adæquatum. Cum autem in aliqua persona communicatur hoc principium per actum adæquatum, illa persona habet memoriam perfectam, sed non fœcundam. Ideò falso Licetus appropriat Verbo rationem intelligibilis cum habeat propriè rationem intellectionis genitæ. Falsò Patri appropriat actualem intellectio-

ctio-

ctionem. Falsò dicit Patrem contemplatione sui producere Verbum, producit enim contemplatione essentiæ diuinæ, vt primi intelligibilis.

Quæ subdit Licetus de vita, commenta sunt. Apud Aristotelem vita in isto textu, est intellectus, & intellectio. Spiritus sanctus autem producitur per voluntatem. quod verò Licetus illa tria intelligens, intelligibile, vita, torqueat, & extorqueat ad personas diuinas, nec per somnium est in textu Aristotelis, nec per vigiliam.

Recognitio XLV.

Licetus citat textum valdè prolixum, hoc est 51. 12. Metaph. ad implendam cartam. Colligit ad summam. *Ex quibus apertissimè constat Aristotelem decernere Deum esse vnum.*

1 Obseruatio. Hæc prima pars apertissimè negatur, cũ in textu nec subiectum, nec prædicatum istius propositionis adsit: sicut super pag. 29. Liceti dictum est, vbi textus ille iterum transcriptus est.

Licetus. *In quo tamen (Deo) tria sunt, intelligens, intellectum, & intellectio: quæ tria sint vnum inter se, ac idem substantia: adeoque vt ait D. Thomas, in Deo idem esse intellectum, quod intelligitur, & intellectionem.*

2 Obseruatio. appositè D. Thomas ponit intellectum, quod intelligitur, & intellectionem. Licetus non dicit intellectum, sed *intelligens*: in quo dicto includuntur, & intellectus, & intelligere: intellectus enim est intelligens formaliter ipso intelligere. confundit igitur vt de more, omnia.

Licetus. *Quo dogmate Aristotelis mirificè nobis insinuatur Trinitas personarum in vna essentia simplicissima veri Dei, nam vt intellectus producit Verbum, quod est conceptus mentis.*

3 Obseruatio. Falsum, intellectus non producit Verbum, sed Pater: producens enim, & productum distinguuntur realiter; sed Filius, & intellectus diuinus non distinguuntur

reali-

realiter: nam essentiale, & persona non differunt re ex Concilio Florentino. Ergo intellectus non producit Verbum. Sed & hic latet Iudaismus nouellus. Quod enim realiter distinguitur ab intellectu diuino, non est Deus: Verbum vt productum, realiter distinguitur ab intellectu diuino, vt producente: ergo Verbum diuinum non est Deus, quod est placitum Arij, & Iudaismi nouelli.

Licetus. *Et intellectio procedit ab intellectu simul, & ab intelligibili tanquam ab vno principio sui; sic in Deo Pater intelligendo se generat Filium, à quibus vtrisque producitur Spiritus sanctus.*

4 Obseruatio. Notandum accuratè, quòd Licetus tres personas reducit ad intellectum; intellectus producit Verbum, intellectus, & intelligibile producunt intellectionem; quæ tria sunt correspondentia Patri, Filio, Spiritui sancto.

Licetus. Sed Licetus roborat hanc doctrinam ex D. August. dicens. *Quam sanè doctrinam Aristotelis expressè D. Augustinus applicat* Sacrosanctæ Trinitati; *quod obseruat Pererius nobilis theologus inquiens. Denique in libro de Trinitate multifariam disputans Augustinus de hac Dei imagine, ad quam factus est homo, docet in re hominem referre imaginem* Sanctæ Trinitatis, *quod intelligat se ipsum, & intelligendo se producat in corde suo verbum intelligibile sui ipsius expressiuum; & hinc procedat amor, quod mirificè adumbrat duas in* Sancta *Trinitate processionis, vnam Filij per modum verbi intelligibilis, alteram* Spiritus *sancti per modum amoris.* Augustini verba sunt hæc. *An hac sapientia, quæ Deus dicitur, non se intelligit, non se diligit? ecce ergo Trinitas,* Sapientia *scilicet, & Notitia sui, & Dilectio sui.* Sic enim *& in homine inuenimus Trinitatem; idest Mentem, & Notitiam, qua se nouit, & Dilectionem, qua se diligit.* Sed *hæc tria sunt in homine, vt non ipsa sint homo. Numquid autem possumus dicere Trinitatem sic esse in Deo, vt aliquid Dei sit, nec ipsa sit Deus?* Quapropter *singulus quisque homo, qui non secundum omnia, quæ ad naturam pertinent eius, sed secundum solam*

mentem

mentem imago Dei dicitur, vna persona est; & imago est Trinitatis in mente. Trinitas verò illa, cuius imago est, nihil aliud est tota, quam Deus; nihil altud est tota, quàm Trinitas: nec aliquid ad naturam Dei pertinet, quod ad illam non pertineat Trinitatem, & tres personæ sunt vnius essentiæ, non sicut singulus quisque homo vna persona.

Obseruatio. Licetus ponit intellectum esse Patrem, intelligibile Verbum, intellectionem procedentem ab intellectu simul, & ab intelligibili, tanquam ab vno principio sui esse Spiritum sanctum. S. Augustinus ponit tertiam personam esse *dilectionem*, secundam personam esse *notitiam*. *Ecce ergo Trinitas Sapientia scilicet, & notitia sui, & dilectio sui.* Notitia est secunda persona. Licetus notitiam facit tertiam, tertia est dilectio apud Augustinum, quæ nulla est apud Licetum. Nonne ineptum est velle probare Notitiam esse tertiam, cum Augustinus dicat Dilectionem esse tertiam? Trinitas spectat ad intellectum secundum Licetum, scilicet intelligens, intelligibile, intellectio. Secundum Augustinum duæ personæ spectant ad intellectum. Sapientia in actu primo, quæ est Pater, & Notitia sui, quæ est Filius. Dilectio spectat ad voluntatem. Vnde fit, cum sint in diuinis duo principia productiua, intellectus fœcundus, & voluntas fœcunda, quibus correspondent duæ productiones, & duo producta Filius, & Spiritus sanctus: quòd si per intellectum habentur tres personæ, Pater, Verbum, Spiritus Sanctus: iam per voluntatem producatur quarta persona. Vel Spiritus sanctus erit productus per intellectum ante Spiritum sanctum productum per voluntatem. Imò quia productum per intellectum est genitus, & Filius; Spiritus sanctus erit genitus, & Filius, quæ omnia cum fide catholica pugnant.

Sed neque constans est hæc doctrina in Aristotele iuxta expositionem Liceti. In cap. præcedenti vidimus Licetum ex parte intellectus duo ponere, *intellectum intelligentem, & intelligibile*, vbi ipsum intelligere ponit ante intelligibile,

idest ante secundam personam Filij. Nunc autem ex parte intellectus tria ponit, & tres personas, quæ sunt *intellectus, intelligibile, & intellectio* ab vtroque procedens, ergo ex intellectu semel duas personas, semel tres fingit. Et ipsum intelligere semel est tertium, semel est primum. Ita qui volunt Philosopho intelligenti ex naturali lumine, falsò tribuere, quæ sunt supernaturalis luminis: confundunt Theologiam Sacram cum philosophia,& doctrinam inconstantem, atque inconstantem philosophum demonstrant.

Recognitio XLVI.

LIcetus probare instituit Aristotelem credidisse, quòd Deus sit Omnipotens, Creator celi, & terræ. ad pag. 42. lib. 1. cap. 4. Quatuor authoritates citat, quarum tres priores ex mea Vestigatione prima de factione ex nihilo accepit, quartam ex Vestigat. 2. quæ est de efficientia primi entis. Nam quæ citat ex incertis operibus, Stagiritæ ascriptis, nil certi probant, aut certò.

Prima authoritas à 6. Ethic. cap. 2. est

Re namque sola hac ipsa priuatur Deus;
Vt facta minimè infecta possit reddere.

Hanc authoritatem citaui in prima Vestigat. nu. 17. allatis lib. 6. Nicomac. cap. 2. & 5. Eudem. cap. 2. ad probandum, secundum Aristotelem factionem ex nihilo concedi oportere.

Secunda authoritas à 1. Celi 100. *Immortale, ac diuinum, vnde & alijs pendet, his quidem exactius, his autem obscurius esse, & viuere.*

Eam ipsam authoritatem in Vestigat. 1. num. 20. proposui, & exposui.

Tertia authoritas est in 12. Metaph. 38. *A tali principio tùm cælum, tùm natura dependet.*

Istam Aristotelis authoritatem Vestigat. 1. num. 21. præ-

missa

missa illius explicatione produxi. Si quis autem studiosus Lector, & iustus Iudex dignatus fuerit legere expositiones Liceti, & expositiones meas: decernere poterit, an ego qui mihi non arrogo Aristotelem vt Magistrum, an qui per antonomasiam Magistrum appellat Aristotelem, Licetus, verius exposuerit.

Quarta authoritas in 1. Metaph. sum. 2. cap. 2. ponit cum Anaxagora in natura intellectum, in esse causam mundi, totiusque ordinis.

Hunc Aristotelis textum citaui in 2. Vestigat. num. 42. pro stabilienda efficientia primi entis ex intentione Aristotelis. Ergo omnes has authoritates à me primitus animaduersas proposuit: de suo nihil apposuit. Ad primam citationem expendendam regredior.

Licetus: Verbū principale deest

Sic Licetus. *Quod autem Aristoteles Deum esse rerum omnium creatorem, omnipotentem. multa sunt, quæ doceant apertè. Primum enim, id constat ex eo, quod asserit, hoc solo priuari Deum. quod contradictoria facere non valet, laudans, & afferens (6. Ethic. cap. 2.) Agathonis carmina huiusmodi*

Re nanque sola, hac ipsa priuatur Deus,
Vt facta minimè infecta possit reddere.

nam hunc locum D. Thomas explicat de diuinæ potestatis immensitate.

Prima obseruatio, In mea Vestigat. prima de factione ex nihilo: nolui vti vocabulo *creationis* propter æquiuocationes vocabuli futuras. Licetus nil curat, si incurrat in fallaciam æquiuocationis. In libro quidem de 7. Quæsitis epist. 1. congessit Licetus à cap. 5. ad 10. sex significata istius vocabuli creatio. Omnes ergo probationes in isto cap. 4. lib. 1. de pietate Aristotelis sunt sophismata æquiuocationis.

Amplius productio cōmuniter distinguitur prima diuisione adęquata per *ex aliquo*, & *ex nihilo*; nil etenim est cōmunius ente, ens & aliquid cōuertuntur: igitur nullū intelligibile est cōmunius his duobus contradictorijs *aliquid*, & *nihil* diuiden-

tibus productionem in communi. Postulo igitur, an creatio significet productionem ex aliquo apud Licetum, sicut semper hoc significat apud Aristotelem: an significet productionem ex nihilo, vt Arabes philosophi sustinent: an productionem indifferentem ad vtrunque, quo pacto possumus dicere, Deum esse productorem omnium aliorum, aut appropriando vocabulum, vt significetur creatio essentialiter, non autem notionaliter: atque dicatur Deus creator omnium ad extra.

Aristoteles vocabulo ***Creo*** latinè, græcè ***Dimiurgeo*** semper accipit productionem ex aliquo præsupposito. Quam significationem contra plures Perip ateticos teneo, & sex cum textibus Aristotelis probo. Cum Licetus de industria, contra me scribens in lib. de 7. Quæsitis cap. 6. pag. 43. nullum contra me textum producere valuerit, Produxit autem pro me quatuor textus, sed vnum solum vtiliter; tres citauit superfluò, quoniam in græco non est vox significans ***creare***. Cum itaque Licetus ait, Deum esse ***Creatorem omnium***, si creator est, idest factor ex nihilo: contra Aristotelem est, cui Creator semper est ex aliquo producens. Si Creator est indifferens ad ***ex aliquo***, & ***ex nihilo***, est contra Aristotelem, qui per illam vocem determinatè significat ***producens ex aliquo***, non autem producens indifferens, ad ***ex aliquo***, & ***ex nihilo***. Si denique Creator omnium est ex aliquo: id quoque est contra Aristotelem, apud quem materia non potest esse facta ex aliqua materia, vt 1. Physic. 82. & 12. Metaph. 12. Apud quem substantiæ separatæ, seu motores æterni sunt sine materia 12. Metaph. 30, quare non potuerunt produci ex aliqua materia. Tàm malè sui Magistri, tùm dictiones, tùm phrases singularis discipulus discipulorum obseruat, tribuens omnium creationem.

Textus autem in quibus Aristoteles creationem ex aliquo posuit, sunt isti

2 de Part. Animal. cap. 1. car. 116. E.

2 De

2 de Generat.Animal.cap.4.car.1254.C.
4 de Generat.Animal.cap.1.car.1306.B.
4 de Generat.Animal.cap.3.car.1310.B.
1 de Generat.Animal.cap.18.pag.1224.A.
1 de Generat.Animal.cap 18.pag.1226.D.E.

Secunda obſeruatio. Licetus non dignatur argumentari in forma, vt appareat, quomodo ex authoritate citata videatur, Deus eſſe Creator omnium, Omnipotens. Formari ſic poteſt. Quicunque poteſt omne non implicans contradictionem, eſt Omnipotens Creator omnium. Deus eſt huiuſmodi: ergo &c. Probatur minor per authoritatem Agathonis, & Ariſtotelis.

Vah quàm malè probatur minor. Ariſtoteles *vnica re ſola* Deum priuari affirmat. Licetus innumerabilia ponit; quæcunque ſcilicet non implicant. Quod quidem ſubiectum eſt communiſſimum: cuiuslibet enim contradictionis formabilis extrema poſſunt, vel ſeorſim accipi: tumque non implicatur contradictio. Vt *album* ſeorſim eſt vnum contradictorium, *non album* eſt, aliud contradictorium: ac vtrumque ſeparatim reperitur in rerum natura; veluti carta eſt alba, atramentum non album. At coniunctim *album non album* eſt ſimpliciter impoſſibile.

Ego in meo argumento ſic ſcripſi. Facere ex nihilo aliquid ita, vt nihil non inſit, nullam contradictionem inuoluit, ob quam facta infecta fiant: igitur Deus hoc non priuatur. Antecedens diffusè probaui, Licetus nihil probat, ſed petit. Non accepi quamcunque contradictionem implicatam, ſed contradictionem limitatam, ob quam facta infecta fiant. nam de iſta eſt Ariſtotelis textus. Licetus ab vna re ſola colligit vniuerſaliſſimè, nec animaduertit in hoc admitti fallaciam conſequentis, à minus communi ad magis commune diſtributum.

Contradictoria ſimul ponere eſt contra primum principium negatiuum. De nullo verum eſt ſimul affirmare, & ne-

negare. Quare impossibile est aliquid fieri contra hoc primum principium. Sed acutissimè Aristoteles aduertit, contradictoriorum quædam talia esse, vt admittant successionem vnius ad alterum, vel cum regressu, vel sine regressu-
1. physic. quemadmodum in 1. Physic. 43. & 44. ex non albo fit album, & album corrumpitur in non album, scilicet prius duratione est vnum contradictorium, posterius duratione est alterum. Quædam tamen sunt contradictoria, quæ non recipiunt successionem talem. Consideremus duo contradictoria, *factum*, non *factum*: res, quæ prius non est facta, posterius potest esse facta; vti domus prius non est facta, posterius est facta. At non è contra: res, quæ prius est facta, posterius potest fieri, vt non sit facta. Res quippe facta transit in præteritum, neque potest transire ad alterum contradictorium, etiam per Dei potentiam, scilicet vt res facta non sit facta.

Neque S. Thomas hoc ignorauit, quamuis Licetus pro se D. Thomam citet. Siquidem Doctor Angelicus primò reddit rationem specialem dicti Aristotelici, mox ad abundantiam doctrinæ affert rationem generalem pro Dei omnipotentia.

Ratio specialis continetur illis verbis. *Consilium non est*
S. Thomas *nisi de aliquo contingenti, vt supra habitum est: factum autem, quod est præteritum, non est contingens, quia non contingit ipsum non fieri, idest, quod non sit factum, & ad hoc inducit verbum Agathonis, qui rectè dixit, quod solo isto posse priuatur Deus, vt scilicet faciat ingenita, idest non facta, quæ sunt facta. & hoc rectè dixit*. Vbi apparet, Thomæ prudentiam non latuisse rationem specialem dicti Aristotelici: vnde discernit inter necessarium, & contingens: præteritum, & futurum: quod præterijt: non est contingens, sed necessarium: eiusque oppositum est impossibile; quod futurum est, est contingens, nunc autem consultatio de rebus fiendis, quæ possunt fieri, & non fieri, esse,

&

& non esse, est de futuris, non de præteritis, nam ad præteritum non est potentia. Non est *potentia vt fiat*, iam enim bis fieret; *non vt non fiat*, quia factum non factum esset; de isto igitur contradictorio, quod est facere, vt factum non sit factum, tractat Aristoteles, in quo vnum contradictorium non potest succedere alteri cum regressu.

Ratio generalis continetur in illis verbis D.Thomæ. "*Et hoc rectè dixit*, necesse est enim quod potestati cuiuslibet causæ subsit omne illud, quod potest contineri sub proprio obiecto virtutis eius, sicut ignis potest calefacere omne calefactibile. Virtus autem Dei, qui est vniuersalis causa entium, extendit se ad totum ens: vnde solum illud subtrahitur diuinæ potestati, quod repugnat rationi entis, vt hoc quod implicat contradictionem; & tale est, quod factum est non fuisse factum." Vbi S.Thomas distinguit, quod implicat contradictionem tanquam vniuersale: & quod implicat istam contradictionem, *factum non fuisse factum*. An autem hæc ratio secunda Doctoris Angelici sit prorsus efficax, non excutere, sed cum laude relinquere velim.

Tertia obseruatio. Licetus in pag. 43. ponit cum Aristotele multa ingenerabilia, nempè cęlum, mundum, intelligentias, materiam primam. Cum autem ex 1. de cęlo 111. Ingenerabile dicatur tribus modis: tertium significatum est ad propositum quatuor rerum nominatarum. Ingenerabile in tertio significato est, *si quid omnino impossibile est factum esse, vt quandoque quidem sit, quandoque autem non*. Hoc quomodo consistat cum fide pia de creatione, Licetus vafrè dissimulat, quicquid enim à Deo factum est, ita factum est, vt prius secundum durationem non fuerit, posterius fuerit. Quamobrem nihil extra Deũ est sic ingenerabile secundum pietatem fidei; sit tamen multiplex ingenerabile secundum impietatem Aristotelis, quam nobis tanquam pietatem supponit Licetus.

Quæro etenim, an ingenerabile quadruplex dictum iux-

ta tertiam significationem datam sit simpliciter impossibile fieri: aut non simpliciter, sed secundum durationem, videlicet quia impossibile existat, vt prius duratione non sit, posterius sit. Si primum detur, ergo illa, quæ sunt impossibilia fieri, sunt à Deo creata, & facta per consequens, ad mentem Liceti; at implicat contradictionem, vt quod est simpliciter impossibile fieri, fiat, vel factum sit: ergo implicat contradictionem ista quatuor esse creata, quæ à Liceto dicuntur creata. Atqui asserere aliquid aliud à Deo essentialiter, actu existere, & non esse creatum: impietatis est apud Licetum. Si secundum detur, labimur in æternitatem necessariò dandam cęlo, mundo, intelligentijs, materię, motui, tempori; in æternitatem rerum factarum, vt radicem fęcundam errorum contra fidem catholicam. Itaque dum Licetus pro pietate Aristotelis pugnat, impietatem Aristoteli impingit.

Recognitio XLVII.

Licetus. SEcundò in pag. 42. prosequitur Licetus. *At verò Deum similiter esse creatorem cæli, & terræ, vt ex eodem Aristotelis dogmate colligitur, ita clarius ex alijs euisdem locis habetur. In primis enim aliquando dixerat de Deo loquens in relatione ad mundum vniuersum (1. Cæli 100.) Immortale ac diuinum, vnde, & alijs pendet, his quidem exactius, his autem obscurius esse, & viuere. Etenim quemadmodum in vulgaribus sententijs &c. A quo enim omnibus pendet esse, is omnium creator est Aristoteli, quì multa ponit ingenerabilia, cælum, (1. cæli 20. & seq. 12. Metaph. 43.) scilicet mundum 8. Physic. 1. intelligentias 12. Metaph. 30. materiam primam 1. Physic. 82. & id generis.*

1. cæli 100.

Prima obseruatio in 1. de cęlo text. 100. *terra* non est nominata neque *Deus*, neque *Creator cæli, & terræ*, an Licetus, vbi textus non est, textum contexit?

2. Ait

2 Ait, in 1. de cęlo Aristotelem loqui de Deo, in relatione ad mundum; an hoc vtrumque falsum est. Aristoteles nanque, non de mundo, sed de entibus extra cęlum agit, atque ideò extra mundum; quod si aliquid intra mundum existens tangit, vt æuum in viuentibus mortalibus, & eorum æuo: hoc est, vt manifestet æuum immortale, & diuinum, vnde pendet esse, & viuere alijs æuiternis, in quibus & esse, & viuere est.

3 Aristoteles de supremo æuo immortali, & diuino narrat illa. *Vnde & alijs pendet esse, & viuere.* Licetus hoc dicit de Deo, nihil considerans an æuum illud, & Deus conueniāt, disconueniant: sint idem, vel diuersa: neque an vnum sit antecedens, consequens, repugnans ad alterum; omnia igitur Licetus sursum vorsum.

In propositione Liceti sunt duæ partes. Prima pars, *à quo omnibus pendet esse, & viuere.* Mirabile esset si partem hanc textus non violasset. Aristoteles prudenter ait, *Vnde, & alijs.* Licetus imprudenter *Vnde omnibus,* vt superius quoque notaui.

Secunda pars, *omnium creator est.* hæc secunda pars non est Aristotelis, sed Liceti sub latibulo æquiuocationis Aristotelem obscurantis. Licetus quando vult, habet Aristotelem magistrum: quando non vult, magistrum de nomine appellat, de re non recognoscit. Vbi nam in Aristotele *creatorem omnium* in significato Liceti legit?

Denique si cęlum, mundus, intelligentia, materia prima sunt ingenerabilia, vel quia *simpliciter impossibilia fieri*, vel quia *impossibilia fieri* in tempore; quomodo audet Licetus dicere, Deum esse creatorem omnium, & specialiter istorum quatuor; cum Deus nullius rei fuerit creator ab æterno, sed solùm in tempore? Legatur Magister sent. in 1. d. 30. cum Scholasticis.

Nec illud prætereundum est, quòd dum Licetus inquirit principium efficiens aliorum à primo æuo, non voluit, aut

non valuit distinguere principium *vnde esse*, & principium *vnde motus*: hic etenim potuisset concludere, quòd ipsum esse Dei non principiatum in genere causæ efficientis, habeat pro obiecto efficientiæ non solum motum consequentem ad esse, sed etiam ipsum esse commune: & esse perfectum, vt viuere in alijs à primo æuo: at calamus Liceti celerrimè volat, & in obiectis diu considerandis non moratur. Plura circa hunc textum superius excussa legantur.

Recognitio XLVIII.

Licetus. TErtiò in pag. 43. Licetus probaturus Deum esse omnium creatorem profert 12. metaph. 38. textum sic. A tali ergo principio, tùm cęlum, tùm natura dependet: *loquitur de tali principio, quod nuperrimè dixerat mouens immobile existens, actu ens, latione circulari prima mouens, ex necessitate ens prout necessitas benè: hoc autem Deus est. Cuius vitam immediatè describit addens. Degentia verò qualis nobis pauco tempore, optima illi est: siquidem semper illi est.* Hæc Licetus.

Prima obseruatio. Dependentia est multiplex, vti Scotus docuit in libro de primo principio cap. 1. & 1. d. 2. q. 2. & Quolibet 19. nunc dependentiam, vel in genere finis, vel in genere efficientis consideremus; de vtra istarum loquatur Philosophus. Licetus exponeret de efficiente. Sed textus primum mouens ponit mouere vt amatum, hoc est in genere finis 12. Metaph. tex. 37.

2 Cum duplex ratio considerari possit in genere causæ efficientis, scilicet ratio *facientis* ad factum, & *ratio mutantis* ad mutatum: ratio facientis communicat esse rei factæ: ratio mutantis præsupponit esse subiecti mutabilis, & communicat illi consequentia ad esse. Tota tractatio de motoribus separatis in 12. metaph. spectat ad rationem mutantis à text. 30. vsque ad 50. neque inde potest Licetus concludere, quòd Deus sit effectiuè creator, nisi aliud afferat.

3 Ci-

3 Citat istam particulam tanquam textum, *Hoc autem est Deus*, sed non est in textu.

4 Subdit de vita Dei esse dictum. *Degentia verò qualis nobis est*, ne hoc quidem admittendum est. Illa enim degentia in textu 39. est de primo mobili, scilicet de cęlo, vt antea diximus cum Alense nunc adiungo Thomam, Antonium: Andream, & cum Auerroe Suessanum, qui in commentario nitidè exponit, degentiam hanc optimam esse de primo moto, hoc est de cęlo intelligente, & amante, non de primo mouente, vt intelligibili, & amabili. Sic enim à vita optima in nobis ascendit primò ad optimam vitam in cęlo Arist, deinceps ascendit ad vitam Dei, vt iam pridem obseruaui.

Recognitio XLVIIII.

DEum esse Creatorem omnium conficere se putat Licetus per textum in 1. Metaph. summ. 2. c. 2. vbi quærit principium effectiuum Aristoteles, vt entia benè se partim habeant, partim fiant. In Anaxagoræ opinionem descendit Aristoteles scribens. *Quare qui, vt in animalibus, ita in natura intellectum inesse causam mundi, totiusque ordinis dixerat, quasi sobrius comparatus ad antiquiores vana dicentes apparuit: istas autem rationes, qui palam attigit, Anaxagoram fuisse scimus.* *1. Metaph.*

Prima obseruatio. Si Aristoteles probè retulit Anaxagoræ sententiam in 1. Metaph. sum. 3. text. 18. Anaxagoras posuit duo principia ab æterno; Intellectum vt primum efficiens, & chaum, videlicet materiam primam: atque ipsum intellectum fuisse principium mouẽdi alia omnia 8. Phys. 37. & segregandi ex chao, necnon ordinandi omnia in ipso mundo. An autem Anaxagoras dixerit, ipsum chaos esse factum ab intellectu, quanta controuersia est?

2 Aristoteles non dixit causam, *vt omnia fiant*: sed non considerante Liceto ait, *vt entia benè se partim habeant, partim fiant*. Quare non ait *omnia fieri* à primo efficiente, sed

partim fieri, partim *benè se habere*. Similiter infrà scribit. *Qui igitur ita arbitrati sunt, principium entium posuerunt simul, tàm causam ipsius benè, quàm illam vnde motus*.

Posset dicere quis apud Aristotelem materiam esse factam, sed ab æterno. De re hac scribit S. Bonau. 2. d. 1. q. 1. num. 7. "Vtrum autem (Aristoteles) posuerit materiam, & formam factam de nihilo: hoc ego nescio. Credo tamen, quod non peruenit ad hoc, sicut melius patebit in Problemate 2.„ Licetus tamen vt suffragetur impiæ pietati ponenti mundum æternum, scribit in pag. 44. *Sed tamen huiuscemodi rerum omnium creationem à Deo censuit Aristoteles fortasse factam ab æterno, cuiusmodi fieri potuisse monent cum D. Thoma (1. p. q. 43. ar. 3.) subtiliumque Principe 2. sent. d. 1. q. 3. Hac tamen in re pietati non repugnasse Philosophum, nec Moysi contradixisse latius infra patebit suo loco lib. 1. cap. 9.* Verùm in pag. 44. lin: 9. scribit Licetus. *Aristoteli mundus semper fuit, & semper erit, æterno tempore*. An Moysi in hoc non contradicit?

Recognitio L.

Licetus. AD pag. 44. in lib. 1. de pietate Aristotelis cap. 5. asserit Licetus. Dei virtutem infinitam, & naturam immensam innotuisse Aristoteli scribens. *Inter Orthodoxa fidei dogmata Theologi nostri profitentur, Dei virtutem intensiuè, & naturam immensam: ita D. Thomas ex Damaso statuit, quòd Deus erit infinitus, & æternus, & incircumscriptibilis.*

1 Ineptia est pro Damasceno citare Damasum. S. Thomas per abbreuiationem scripsit Damas. Licetus parum exercitatus scribit Damasum. Damasus fuit Summus Pontifex longè antiquior Damasceno. Damascenus scripsit quatuor libros de fide orthodoxa: Damasus minimè. Iactat Licetus se legisse omnes Patres, & singulos, sed & nunc, & alio in loco de 7. Quæsitis conuincitur non legisse S. Ioannem Damascenum, neque S. Damasum.

2 Per

Licetus.

2 Per fraudem voce affirmat, *Deum esse immensum*, re negat in eadem pag. ad lin. 25. scribens. *Deus apud Aristotelem est* &c. *extra cælum, super extima latione degens, vbi non est tempus, vitam sibi sufficientissimam* (clausula hæc cum solecismo nulli adhæret,) *vnde rebus omnibus tribuit esse, ac viuere* (falsissimum dictum: omnibus causatis tribuit esse, non omnibus viuere) *res autem aliæ à Deo pendentes omnes intra cæli ambitum conclusæ sunt in tempore, & à summo Deo viuere, & esse suscipiunt in tempore*. Liceto essentiæ dependentes omnes sunt intra cęlum; essentia Dei independens non est intra cęlum, quia non dependet, sed est extra cęlum tantùm. Atqui Deus ex sua immensitate est in omnibus locis, & rebus per essentiam, per præsentiam, per potentiam. Licetus excludit Deum à cęlo, & subcęlestibus. Ergo Deus non est vbique, quod est dogma Vorstij Caluinistæ, & fuit antiqua hæresis Manichæi ponentis Deum in regione lucis tantùm; & ante erat Iudæorum, vt hic Iudaismus nouellus appareat. Hoc idem dogma contra Dei immensitatem docuit Licetus in libro de 7. Quæsitis car. 222. & in pag. 228. dicens. *Non enim aliter in Deo cuncta sunt, quàm in causa res omnes in esse conseruante, quomodo dicit alibi magister aliquid esse in aliquo, vt in Rege Græcorum res, omninò in primo mouente*. Est igitur Deus vbique, quia mouens, sed mediatè, & per potentiam: At per præsentiam, & per essentiam est solùm extra cęlum. igitur ita est immensus, vt non sit in vllo loco, aut re dimensa: in vllo loco, aut re dependente, quod est dicere esse immensum, & non immensum. Si hoc diceret Licetus tantùm vt Aristotelicus, posset fortasse tolerari: sed in libro de 7. Quæsitis hoc voluit probare ex Sacris litteris, quòd Dei essentia non sit in mundo elementari. Hoc in obser. 29. mea contra Licetum exegi ex diuina Scriptura, & Sanctorum consensu reprobans hanc hæresim à Liceto positam, & approbatam.

Contradicit tamen sibi. Nam in lib. de 7. Quæsitis pag. 5.

&

& alijs ponit Deum esse in cęlo, non sub cęlo. Nunc autem in lib. de Pietate Deum incarcerat extra cęlum, siue relegat extra omnes res à Deo dependentes.

Quia verò primum mouens immobile Liceto est Deus, & ipsum primum mouens latione circulari prima mouet, vt in lib. de Pietate pag. 43. lin. 9. & 10. consequitur vt Deus sit in cęlo, siquidem per 8. Phys. 84. primum mouens est in orbe moto. Sic in 1. de cęlo 22. & 2. cęlo 2. Deis attribuitur cęlum vt locus: ergo ex vna parte Deus vt primus motor est in cęlo, ex alia parte nunc asseritur Deus esse extra cęlum; vt appareat prauè exponi Aristotelem, vel in primo sensu, quòd primum mouens est in cęlo, vel in secundo, quod sit extra cęlum. Sed propria est fallacibus inconstantia, nec enim possunt tenere vnitatem, vt aduertit Alphonsus de Castro aduersus hæreses.

Recognitio L I.

3 IN eadem pag. 44. lin. 39. scribit: *Porrò Deum nihil posse latere, ac omnia cognoscere*, nos expresè docuit Aristoteles, tùm in Rhetorica dicens. *Peierantem latere homines posse, Deos autem non posse.* (Rhetor. ad Alex. cap. 17.) tùm in Poetica scribens. *Deos cuncta inspicere satis quidem apud nos constat* (Poet. cap. 12. tùm in calce libelli de Mundo, *Deum esse causam, quam nemo fallere potest, aut vitare.*

Rhetor.

Quanta controuersia sit inter Aristotelicos in hac dubitatione, vtrum supremus intellectus, qui solus est Deus verus, cognoscat aliquid aliud à se: non ignorat Licetus, sed ignorare se simulat, vt imponat lectori. Sæpè citat in hoc libro de Pietate 12. metaph. tex. 51. vt in pag. 29. & in pag. 39. transcribit, vbi Aristoteles proponit dubitationem, an suprema mens intelligat aliquid aliud à se, & in vltima dubitatione ait. *Vtrum autem differt aliquid, vel nihil intelligere bonum, vel quodcumque? an verò de quibusdam etiam ipsam cogitare*

re absurdum est? & infrà. *Quare fugiendum hoc est: etenim quædam melius est non videre, quàm videre*, & in lib.7.ad Eudemum cap.12. car.364. *Neque enim in hunc modum, Deus habet, vt qui pro sua excellentia nihil præter se ipsum cogitat.* Quæ authoritates ingentis sunt difficultatis, sed eas Licetus nunc occultat, vt in lectorum oculos puluerem exufflet. Propterea ex libris incertis, vel fabulosis attulit authoritates.

Nisi, & illud notes, cum loquitur de Dijs, nempè inferioribus concedit ab istis cognosci res nostras, nam in inferioribus, Dijs sunt multæ imperfectiones. At in summo Deo qui solus est verus Deus, Aristoteles non ponit cognitionem aliorum tàm clarè, quàm eius discipuli optant: propter quod in eis immortale dissidium viuit: fundat Licetus in re tàm incerta apud Aristotelicos rationes omnes in isto cap.5. erectas, vt ex incertis nihil colligat, quod prætendit.

Recognitio LII.

4 AD probandum, quòd Deus habeat virtutem infinitam intensiuam, tria principia ponit, & in primo ait. *Quod Aristoteli tempus est duratio infinita* 3.phys.56. & seq. 8. phys. tex.10. & 11. In 3. ait. *Aristoteli mundus semper fuit, & semper erit æterno tempore: proindeque res omnes in tota duratione mundi sunt infinitæ secundum numerum.* Infausta principia, & falsa, & hæretica, ex quibus Licetus probare prætendit hanc veritatem catholicam, *Deus est infinitus in vigore*, seu *virtute intensiua*. Pietas catholica non debet fundari super impietate hæretica: vnde dato, quòd Aristoteles teneret, Deum esse infinitum intensiuè, & secundum vigorem (quod tamen est controuersum apud Aristotelicos) hæc conclusio esset vera, sed ex falsis probata. *Licetus.*

Hoc non esse mirandum, sciet quilibet Logicus, vel mediocriter eruditus: etenim Aristoteles in 2.Priorum cap.2.3.

4.osten-

4. ostendit in quolibet modo triũ figurarum syllogismi, posse ex falsis veram conclusionem colligi, siue ex ambabus falsis, siue ex altera, vt Bar omnis lapis est rationalis.
ba omnis homo est lapis
ra ergo omuis homo est rationalis.

Ambæ propositiones sunt falsæ, & impossibiles, conclusio est vera, & necessaria.

Bar omne animal est rationale
ba omnis homo est animal
ra ergo omnis homo est rationalis.

Maior falsa, conclusio vera

Bar omnis leo est animal
ba omnis homo est leo
ra ergo omnis homo est animal.

Minor falsa, & conclusio vera. Hoc pacto nunc Licetus veram conclusionem ex falsis, & fortè impossibilibus probare nititur: ex suppositis impijs conclusionem piam: imò non piam, quæ impietate propositionum fędatur.

4 Rationes omnes Liceti solers lector solutas inueniet apud Ioannem Bassol. in 1. sent. d. 2. q. 2. tametsi diuersis vocibus sint conceptæ, & verioribus ex propositionibus apud Bassolium veritas concludatur.

Prima ratio Liceti ad pag. 44. talis est.

Intellectus simul infinita actu cognoscens est essentiæ, virtutis, operationisque infinitæ intensiuè: nam obiectum debet habere à facultate cognoscente debitam proportionem, quæ 8. phys. 15. nulla est inter finitum, & infinitum.

Deus autem in momento æternitatis, vnico actu, simul se ipsum intelligit, & in se ipso (Rhetor. ad Alexandrum, & Poet. cap. 12.) cuncta, quæcunque in tempore in se ipsis, & fuerunt, & sunt, & futura sunt: at Deo simul omnia præsentia sunt, & ad mentem Aristotelis verè infinita; Igitur Aristoteles censuit Deum esse virtutis, & potentiæ infinitæ intensiuè.

Syllo-

Syllogiſmus iſte non eſt in forma, quia neutram propoſitionem vniuerſalem habet; medius terminus non eſt idem in vtraque propoſitione, quare ſyllogiſmus in quatuor terminis.

3 Mutat infinitum extenſiuè, quale eſt obiectorum infinita multitudo, in infinitum intenſiuè. Mutat quot in quantum, vel quale, cum figura dictionis. Cæterum his omiſſis, conſideremus citatos textus.

Ad probandum, quòd inter obiectum, & potentiam requiratur proportio, corrogat textum 15. 8. Phyſ. quia nulla eſt inter finitum, & infinitum proportio.

Falsò citat: in 8. Phyſ. text. 15. ſic legimus. *Infinitum autem ad infinitum nullam rationem habet.* Ita legunt Piccolomineus, Vicomercatus, Simplicius in Commentarijs illius textus, atque declarant confutationem Anaxagoræ ponentis intellectum, & chaum infinito tempore quieuiſſe prius: & infinito tempore mouere, ac moueri poſterius; quare nullam rationem inter quietem, & motum poſuit Anaxagoras; ergo neque ordinem. Sed & in textu Græco ſcriptum eſt, infinitum ad infinitum nullam habere rationem. Quamobrem Licetus eſt corruptor, non citator textuum. Addunt præcitati Clariſſimi expoſitores, etiam finitum non habere proportionem ad infinitum dicente Ariſtotele in 1. de cęlo 52. *Ratio autem nulla eſt infiniti ad finitum.* Cui aliquid ſimile dicitur in eodem libro text. 64.

Porrò accipio duas propoſitiones iſtas. Infinitum ad infinitum nullam habet rationem: Finitum ad infinitum nullam habet rationem, ſiue vt Licetus ait, proportionem. Sed Deus eſt obiectum intelligibile infinitum, intellectus diuinus eſt potentia intellectiua infinita. Igitur inter iſta duo infinita non eſt proportio. Atqui ad actualem intellectionem habendam iuxta Liceti maiorem requiritur proportio obiecti, & potentię. Ergo Deus non intelligit ſe ipſum. Rurſus, quod-

cunque aliud à Deo est obiectum intelligibile finitum: intellectus diuinus est infinitus: ergo inter intellectum diuinum, & quodcumque aliud intelligibile à Deo non est ratio, nec proportio: vnde nec in Deo erit intellectio obiecti, quòd sit aliud à Deo. Conficitur itaq; per istas propositiones à Liceto citatas oppositum propositi, Licetusque se ipsum destruit.

Sed quoniam vir clarissimus ex vna parte ponit infinitam multitudinem obiectorum diuersorum à Deo, ex alia parte ponit intellectum diuinum infinitum: arguo sic. Inter obiectum, & potentiam requiritur proportio ad habendam intellectionem in tali potentia de tali obiecto; sed inter multitudinem infinitam, & intellectum infinitum non reperitur proportio per tex. 15. 8. Phys. Ergo in diuino intellectu infinito de multitudine infinita non poterit esse intellectio.

Illud aduerto. Inter infinitum, & finitum non esse rationem, aut proportionem accipiendo infinitum, & finitum secundum eandem rationem, veluti si compares lineam finitam cum infinita, numerum finitum cum infinito. In re nostra, multitudo est infinita in obiecto, vnitas opposita multitudini in diuino intellectu, ergo secundum hoc inter intellectum diuinum vnum, & multitudinem infinitam non est proportio.

Responsio proveritate

At verò si non est proportio determinatæ quantitatis, est proportio quantitatis indeterminatæ. Si non est proportio quantitatis, est proportio ordinis. Tertiò si non est similitudo, quæ requirit idem prædicatum in extremis comparatis: est proportio, quæ vt in pluribus requirit diuersitatem in comparatis. Tales proportiones sunt inter materiam, & formam: obiectum, & potentiam; causatum, & causans. Licetus autem, cum quærit vt obiectum, & potentia sint infinita, confundit proportionem cum similitudine, cum posset ex 5. tract. Summularum Logicæ discere discrimen inter locum à simili, & locum à proportione. Has tres distinctiones at-

tuli

tuli ad veritatem defendendam, quòd Deus cognoſcat ſe, & alia; duæ rationes præcedentes ſunt ad hominem, vt oſtenderem, propoſitiones Liceti concludere contra ipſum.

Maneat, quòd hæc citatio ſit falſa: cui adiecit Licetus falſam citationem dum enim probat, Deum cognoſcere in ſe ipſo cuncta, profert authoritatem ex lib. Ariſtotelis de Poet. cap 12. Habeo ad manum duo exemplaria operum Ariſtotelis Græcè, & Latinè impreſſa: alterum Lugduni, alterum Aureliæ Allobrogum; in neutro exemplari cap. 12. libri de Poetica id habet, quod Licetus citat.

Verùm & Licetus ſupetius ad paginam ſui lib. 26. probat à Deo non intelligi obiectum aliud à Deo. Nunc probat intelligi aliud. Contradicit ne ſibi, an ſub duo bus contradictorijs ſe occultat, vt errorem tutò ſeminet?

Recognitio LIII.

CL. Licetus in pag. 45. ſecundam rationem erigit ſic, *Deus Ariſtoteli eſt omnium ſuprema cauſa operans quæcunque per* 12. *Metaph.* 36. *& ſequentibus) intellectum, & voluntatem cum ſit eſſentialiter (*12. *Metaph.* 39. *& ſequentibus) intellectus, & intellectio, ſed omnia hucuſque à Deo producta ſunt infinita numero Ariſtoteli, ponenti mundum ab æterno. Deus igitur Ariſtoteli nouit numero infinita.* *Licetus.* *Mundus æternus an piè ponitur*

Quere medium terminum, maiorem extremitatem, minorem, expende figuram: & modum, & conclude: ſyllogiſmum non eſſe in forma.

Verùm non attendo ad logicam Liceti, ſed ad peripateticam eruditionem. Nunc citat 12. Metaph. 36. & ſequentes textus ad oſtendendum, quòd Deus operatur per intellectum, & voluntatem. In textu citato Ariſtoteles docet, quòd primum mouens mouet vt intelligibile, & amabile. Quod mouetur intelligit, & amat, & ex amore mouet cætera, ſcilicet mouetur obiectiuè, & mouet phyſicè, ac realiter.

Quod autem primum mouens moueat, vt intelligens, vel amans in text.36.37.38. 12. metaph. Aristoteles non dicit: Licetus ergo fingit textus, non veros.

Quædam sunt in textu explicitè in proprijs terminis, & formaliter, quædam implicitè, & virtualiter, quæ per dicta in textu cum consequentia necessaria, & euidenti concludi possunt. In 12. metaph. tex. 36.37.38. neque explicitè, & formaliter, neque implicitè, & virtualiter continetur hæc propositio *Deus habet intellectum, & voluntatem*, siue *primum mouens non motum habet intellectum, & voluntatem*. Non contineri explicitè, quicumque scit legere, potest cognoscere. Non contineri implicitè, & virtualiter, probo per asserta Philosophi in 2. Magnor. Moral. cap. 11. car. 237. C. & in 7. Eudem. cap. 2. car. 347. quibus locis obseruatur differentia, & amati, & amantis. Præponitque Philosophus amantem amato varias ob causas, vna satis sit nobis: quoniam amare est animatorum, amari etiam inanimatorum est. Ex isto documento sic arguo. Quod est commune, & indifferens ad animatum, & inanimatum, siue ad viuens, & non viuens, non potest determinatè concludere de aliquo inferiori inferius esse, aut animatum, aut viuens: propter fallaciam consequentis à positione consequentis. propter fallaciam accidentis à partiali identitate, & diuersitate superioris, & inferioris. propter fallaciam non causæ, vt causæ. quoniam indeterminatum non est causa inferens determinati. Nunc autem esse intelligibile, & amabile est commune omni enti: omne enim ens est verum, ideòque est obiectum intellectus, qui ex. 1. de Anima 23 est circa verum. Omne ens est bonum 1. Magnor. moral. cap. 1. & 1. Nicomac. cap. 4. Bonum autem est voluntate affectabile 12. metaph. 36 Ergo ex ratione intellecti, & amati non concluditur ipsum amatum, quod est indifferens ad viuens, & non viuens, esse viuens determinatè; quare neque concluditur esse viuens intellectuale, quod est præditum intellectu, & voluntate.

Igitur

Igitur prorſus inefficax eſt probatio Liceti , prorſus falſa citatio.

Addit, voluntatem eſſe in Deo , In tex. 39. 12. ab intellectu, & intellectione noſtra concludit Ariſtoteles intellectum, & intellectionem in Deo : de voluntate autem qua determinatur vt cauſabile cauſetur : vbi nam Ariſtoteles? Vah, ſi Ariſtoteles antiquus hoc non ſcripſit, ſcribit nouellus, nempè Licetus .

Amplius 12. metaph. 36. 37. docet Philoſophus primum mouere vt intelligibile, & voluntate affectabile : vt quod amatur . quod eſt mouere in ratione finis . Licetus tranſuertit ad cauſare per intellectum, & voluntatem, quod eſt efficientis. Commutare rationem finis in rationem efficientis non eſt ſine fallacia accidentis.

Recognitio LIV.

IN 5. ratione ſua ſcribit Licetus p. 45. *Virtus in momẽto æternitatis infinita ſimul actu gubernans, eſt neceſſariò infinita intenſiuè, ſolus Deus Ariſtoteli in momento (1. Cæli 100.) æternitatis ſimul actu (12. Metaph. 56.) cuncta proindeque infinita gubernat: gubernatio namque rerum poteſt conſiderari tum prout à Deo primariò prouenit, tùm prout in res ipſas recipitur: dubio procul à Deo tota ſimul prodit in momento æternitatis 1. cæli 100. extra omnem temporis ſucceſſionem, nam agens omne agit prout eſt. Deus autem eſt ſimul totus in æternitate, ita vt ſi eſſent omnia ſimul in momento æternitatis, quæ infinita numero ſunt, tota diuerſi temporis duratione Ariſtoteli, à Deo ſimul gubernarentur &c.*

Ratio iſthæc eſt falſitatum plena . Verùm prima citatio eſt in 1. de Cęlo 100. Solus Deus Ariſtoteli eſt in momento æternitatis. Imò in 1. de cęlo 100. Ariſtoteles, & ponit, & probat ex intranſmutabilitate primi, & ſummi diuini multa diuina extra cęlum eſſe intraſmutabilia, & ſine vlla traſmu- *1. Obſeru. falſa citatio.*

tatio-

tatione perseuerare toto æuo. Non ergo solus Deus apud Aristotelem est totus simul in momento æternitatis.

Deinde in 12. Metaph: 43. & 44. Aristoteles multas substantias esse natura perpetuas, & per se immobiles, ac absque magnitudine statuit. Vbi substantias separatas per se immobites actu existentes sine materia, trasmutari secundum esse ipsarum legit in Aristotele? quælibet substantia separata est simplex, & habet totum suum esse simul, in vno momento æui, siue æternitatis.

Secunda citatio ex 12. Metaph. 56. fit ad probandum, quod Deus simul a&u cuncta, infinitaque gubernat.

Falsa citatio.

Minimè quidem in illo textu: de actu gubernandi hæc sola habentur. *At entia nolunt malè gubernari, non est bonum pluralitas principatuum: vnus ergo princeps.* Vnum principem gubernare entia, docet textus: sed simul actu gubernare cuncta, non docet textus Aristotelis; mutatur agere in quando cum figura dictionis.

Aristoteles post prædicamenta in cap. de simul tres modos ipsius *simul* statuit. primus est secundum tempus sic. *Simul autem dicuntur simpliciter quidem, & propriissimè, quorum generatio in eodem est tempore: neutrum enim eorum, neque prius, neque posterius est, simul autem secundum tempus hæc dicuntur.*

2 *Simul natura sunt, quæ conuertuntur secundum essendi consequentiam*, vti sunt correlatiua multa,

3 *Simul natura dicuntur, quæ ex eodem genere è diuerso ab inuicem diuiduntur.* Simul secundum locum traditur in 5. phys. 22. & 11. metaph. cap. vlt. Sed iste modus non est ad propositum.

Tunc quęro in quo significato dicitur Deus *simul* actu cuncta gubernare?

Si in primo significato; iam homines, qui ante mille annos obierunt, erunt simul cum his, qui post mille annos nascituri sunt, quod est & contra rationem, & contra sensum.

Falsa applicatio.

Neque illa distinctio de actu gubernandi ex parte Dei, &

ex parte rerum suffragatur; quoniam per 2.Phys.37.Causa in actu, & effectus in actu simul sunt, & non sunt.

Amplius quę simul sunt secundum tempus, actu coexistunt in eodem tempore; sed impossibile est, vt multitudo actu infinita detur per doctrinam 3,Phys.à tex.57.ad 59. ergo impossibile est,vt omnia à Deo gubernata simul existant, daretur quippe infinitum in actu.

Si accipiatur simul natura secundum essendi consequentiam,falsissima fit consequentia, si Deus actu existit; ergo & Aristoteles,& Plato actu existunt.Tertium significatum ipsius simul non est ad propositum.

Recognitio L V.

IN pag.46.aliam construit rationem lin. 10. *Cuius opus est actu totum quid, simul infinitum, habet essentiam vim, & operationem intensiuè infinitam: (sed ex 2.de cœlo 17) Dei opus est æternitas,quæ est quid totum simul actu infinitum, ad temporis differentiam,quod est in successione positum, & in potentia solum infinitum. ergo &c.*

1 Alienissima est applicatio, & explicatio textus. Textus loquitur de cęlo tanquam Deo,cuius operatio est motus sempiternus, qui motus, & opus, & immortalitas nuncupatur. Ascribo textum. *falsa applicatio. falsa explicatio.*

Earum vnumquodque, quorum est opus, est gratia operis: Dei autem operatio immortalitas est; hoc autem est vita sempiterna: itaque necesse est motum sempiternum Deo inesse. Quoniam autem cælum tale est (corpus enim quoddam Diuinum est) ob hoc habet circulare corpus, quod natura circulariter mouetur semper.

Suessanus format syllogismum sic. Deus mouetur sempiterno motu, cęlum est Deus igitur cęlum mouetur sempiterno motu. Deum verò moueri sempiterno motu, per vnum enthymema probat; in cuius antecedente sumit tria; primum eorum, quodque, quorum est opus aliquod, operis *Suessanus.*

ipsius

ipsius gratia est. Secundum, Dei operatio est immortalitas. Tertium, hæc autem est sempiterna vita: Subdit Suessanus. *Et per hoc dat intelligere, non accepisse Deum pro substantia illa separata, quam nos Deum appellamus; illa enim non viuit nisi per essentiam, vt albedo est alba: & ideò accepit Deum pro corpore diuino; istud enim est, quod viuit, & sempiterna vita*: Miserabilis æquiuocatio inducitur à Liceto in vocabulo Deus; Deus in textu est primum corpus, & primum quod mouetur: Deus verus, qui est summum, & primum diuinum, est primum incorporeum, quod sit extra celum, vbi non est corpus, neque trasmutatio vlla: quare differunt Deus, & Deus; verus Deus est ens independens, cęlum dependens à Deo: Deus est immensus, vbique & extra, & intra cęlum; cęlum est primum corpus, non est intra, vel extra cęlum. Deus vt primum & summum diuinum est omninò immobile 1. cęli 100. Cęlum est primum mobile, quod motu sempiterno mouetur. Deus est separatus à magnitudine, prima magnitudo est formaliter in cęlo. Posset ne Sophistarum aliquis magis fallere in vocabulo *Dei*?

Æquiuocatio Liceti.

2 Operatio, siue opus cęli est motus sempiternus. motus sempiternus est sempiterna vita, vita sempiterna est immortalitas. Iam verò cum ens sit duplex, permanens, & successiuum: permanens est, cuius partes simul possunt esse eodem momento, sicuti sunt partes cęli. Successiuum, cuius partes non manent simul, sed altera post alteram fluit, siue continenter, vt homines secundum Arist. ab æterno, & in æternum succedunt; siue cōtingēter, vt tempus. cuius pars prior non potest vllatenus manere cum posteriori, cuius contingentis vtriusque exemplum est in 4. Physs. 58. *Quare infinitum non oportet accipere sicuti hoc aliquid, vt hominem, aut domum: sed vt dies dicitur, & certamen. quibus esse non vt substantia quadam factum est, sed in generatione semper, aut corruptione finitum, sed semper alterum post alterum*. Hæc operatio cęli est motus sempiternus, est ens successiuum, cuius partes simul

Ens permanens, successiuum.

3. phys.

mul manere est impossibile. Licetus hanc vocem *immortalitatis* transtulit in vocem *æternitatis*, non quidem accepta æternitate successiua in motu, ac tempore sempiternis; quę æternitas non potest esse tota simul. Accipit verò æternitatem aliter sub falso nomine Aristotelis scribens. *Ex Aristotele Dei opus est æternitas, quæ est quid totum simul actu infinitum*. Aristoteles in text. citato de cęlo accipit æternitatem motus, ac temporis, cuius partes non possunt esse simul, non possunt esse actu acceptæ: quòd infinitum semper habet rationem partis, non totius iuxtà 3.Phys.63.64. Quare & ipsam æternitatem, & operationem Dei accipit, contra quàm Aristoteles accipiat in isto textu. *Licetus cõtra Arist.*

3 Illa propositio. Vnumquodque cuius est opus, est gratia operis, non potest esse vera de primo fine, cuius gratia sunt cætera, ipsum non est gratia alterius. Vt 2.Metaph. 8. & 9. sed & in 12. metaph. 52. separatum bonum est veluti Dux, qui non est propter ordinem, sed ordo propter ipsum. Quare comparando Deum primum ex vna parte, & omnia Dei opera ex alia, erroneum est, & in Theologia, & in Philosophia Aristotelis asserere, quòd Deus sit gratia operis sui. Hinc Simplicius indicauit eam propositionem esse veram in ijs, quæ sunt propter alterum, quale est pseudo Deus, cęlum scilicet. *Applicatio erronea.*

Recognitio LVI.

LIcetus in libro 1.de Pietate cap.6.pag.46. instituit contra Doctores Angelicum, & Subtilem ostendere, quòd Deus non agit ex necessitate naturæ secundum Aristotelem: sed in Deo esse voluntatem, & Deum agere liberè tùm ad intra, tùm ad extra contendit.

1 Obseruo in prolixo illo cap. nunquam afferri aliquem textum Aristotelis in quo sit, vel nominata libertas, vel voluntas.

2 Obseruo in Aristotele reperiri, & libertatis, & voluntatis nomina: nunquam tamen Licetus voluit, aut valuit explicare ipsum *quid nominis* libertatis, vel voluntatis ex Aristotele, sed aliena significata ingerit; nempè quod in Aristotele est, non docet cum Aristotele.

3 In pag.49. proponit quædam dicta tanquam Aristotelica.

falsa citatio

1 Primum, Deus omnia cognoscit. probat ex Poetica cap. 12. sed citatio est falsa, vt supra dixi.

Incerta citatio.

2 Probat allato libro Rhetoricæ ad Alexandrum; falsa citatio. Liber ille Stagiritæ non est, sed alterius Aristotelis, qui ad Alexandrum scripsit, & hoc opus, & librum de Mundo: saltem est liber incertus; sed ex incertis certè non cognoscemus mentem Aristotelis.

falsa citatio.

Secundum dictum Liceti. Quicquid Deus agit, per intellectum agit: citat 12. Metaph, 39. falsa citatio est. Nihil in illo textu de actionibus Dei ad extra, sed de intellectione, qua Deus semper est felix, sicut nos aliquando.

falsa citatio, & applicatio.

Citat secundo 10. Ethicor. cap. 7. & 8. Falsò citatur de Deo: de Dijs tractatio est, quibus negat ipsum agere, & ipsum facere: solùm contemplari indulget, & ea contemplatione tota vita felices, ac beatos esse astruit. Inde igitur probat Licetus Deum agere, vbi Aristoteles negat à suis Dijs agere, & facere.

Incerta citatio.

Tertium dictum. Nihil est Deo validius, vt ab eo Deus cogi queat: Producit librum de Mundo ad Alexandrum c. 7. Liber incertus certam fidem non facit.

falsum, falsa authoritate probat.

Quartum dictum Liceti. *Deus internas sui functiones edit ex necessitate perfecta, & eminenti, seu ex necessitate constantiæ, ac immutabilitatis, quæ non destruit libertatem agentis: quod ibidem docet Aristoteles.* Falsum dictum est, quoniam actus intelligendi ratione, vel natura prior est actu voluntatis, & libertatis. Quod autem antecedit omnem actum voluntatis merè naturali necessitate est elicitum, non ex voluntate,

aut

aut liberè, sed hoc falsum à Liceto probatur per citationem falsi libri.

Quintum dictum. *Deus essentialiter est intellectio, & intelligibile, voluntas, amor. & summum bonum.*

Affert ex 12. Metaph. tex 39. & 51. *Quòd in eis textibus ponantur intellectus, intelligibile, intellectio, verum est. Quòd voluntas, & amor in illis textibus scribantur, est purissima falsitas.* *purissima falsitas.*

Sextum dictum Liceti. Deus Aristoteli mundum condidit. Ad probandum congerit textus 1. de cęlo 33. & 100. 12. Metaph. 38.

In 1. de Cęlo 33. non est dictum, quòd Deus mundũ condiderit, ergo falsa citatio. *falsa citatio.*

In 1. de cęlo 100. asseritur ab æuo immortali ac diuino pendere, & esse, & viuere alijs, videlicet æuiternis; quibus congruit esse, & viuere. De actu condendi, de mundo nihil in textu. *falsa citatio.*

In 12. Metaph. 38. A tali ergo principio cęlum, & natura dependet. Concedo dependentiam: sed quanta disputatio sit, an illa dependentia sit causalis, patet in Scoto 1. d. 8. q. 5. & si concedatur causalis in illis textibus; agitur de causalitate finali primi mouentis in ratione intelligibilis, & amabilis; non in ratione efficientis. quare non verè citatur textus ad propositum de efficiente per intellectum, & voluntatem. Sed nimis longum esset. Omnes citationes conferre, & locos Aristotelis falsò citatos, falsò applicatos, falsò explicatos perspicere. Duos adhuc textus nunc perscrutor.

Septimum dictum Liceti. *Deus creat animas rationales*, vt in 3 Rhetor. cap. 10.

Cupidè arripui textum, vt inuenirem vocabulum *creationis* in Aristotele: de quo vocabulo tanta est mihi lis cum multis peripateticis, & speciatim cum Liceto: at in 3. Rhetor. cap. 10. pag. 714. B. sic ait. *Et mentem Deum lumen accendisse in anima: ambo enim illuminant.* Nec plura de anima

rationali. Tractat Aristoteles de vsu metaphoræ, & verba citata in exemplum adducit, Porrò in exemplis non attenditur veritas, sed manifestatio, vt 1. Prior. sect. 3. cap. 1. car. 226. & 1. Post. 78.

falsa citatio, & applicatio.

Verùm frustrata spes mea est: in textu est actus accendendi, non est actus creandi ab Aristotele scriptus. Tàm falsò Licetus corrumpit textum, vt accendere lumen igneum in lucerna, & accendere lumen mentis in animo sit creare. Accendens præsupponit animum, in quo lumen accendit: ergo non est creatio illa ex nullo præsupposito, quàm in Aristotele volunt; sed quatenus legere licuit Aristotelem, creatio semper est ex subiecto præsupposito, & annihilatio in subiectum postpositum.

Licetus.

Octauum dictum. *Deus animam rationalem infundit corpori (prout in 2. de Generat. Animal. cap. 3.) non ex necessitate naturæ, quæ libertatem tollat, sed liberè.*

Contra. In 2. de Generat. Animal. cap. 3. scriptum est. *Sola mens extrinsecus accedit. sed à quo? an à Deo?* Licetus docet, Aristoteles non docet. Neque in textu est, id quod probandum Licetus assumpserat, nempè *à Deo animam infundi liberè, non ex necessitate naturæ.* Quis ferat se toties ludi, aut illudi in textuum citatione? Hoc non est Ludus, sed Ludibrium.

falsa citatio pro libertate.

Recognitio LVII.

IN lib. 1. de Pietate Aristotelis cap. 7. Licetus probat Deum ita esse in cęlo, vt sit vbique in quauis mundi parte. Quod contradicit Liceti assertis in lib. de 7. Quæsitis, in quo statuit Dei substantiam esse in cęlo tantùm, uon esse in mundo elementari, in quo regio turbida est. Ad quod affert suum Magistrum, idque sæpè repetit ex Magistro suo. Sed in isto libro de Pietate cap. 7. suum Aristotelem citat in pag. 57. lin. 13. *Proinde id præstabilius esse censemus, Deoque tùm decentius, tùm*

magis

magis consentaneum, ita de Deo opinari, vt dicamus potestatem in cælo sedes suas habentem, incolumitatis causam rebus vniuersis præstare, ijs quoque quæ longius ab ea remota sunt, & mox. *Quare augustius id, decentiusque existimandum est, Deum summo in loco ita esse collocatum, numinis vt tamen eius vis per vniuersum mundum pertineat, tùm Solem, Lunamque moueat, tùm cælum omne circumagat; simulque causam præbeat eorum, quæ in terra sunt salutis, & incolumitatis.* Coniector ergo Licetum suo more proponere duo contradictoria, alterum cum Iudæis, & Vorstianis negantibus Deum esse vbique, eumque concludentibus in cęlo. Alterum verò voce proponit, vt Christianis illudat. Sitque Deus in summo loco, non in inferiori. *Affirmat vbique, negat vbique in eodem capitulo.*

Recognitio LVIII.

LIbremus Aristotelica aliqua, in pag. 55. citat 1. de cęlo tex. 96. vbi Aristoteles distinguit modos accipiendi hanc vocem *cælum* scribens.

Vno igitur modo cælum dicimus, substantiam extremæ vniuersi circumlationis, aut corpus naturale, quod in extrema est circumlatione vniuersi: consueuimus enim maximè extremum, & sursum vocare cælum, in quo, & diuinum omne collocatum esse dicimus. *Aristot.*

Rursum autem alio modo corpus continuum extremæ circulationi ipsius vniuersi, in quo Luna, & Sol, & quædam astrorum sunt. Etenim hæc in cælo esse dicimus.

Præterea aliter dicimus cælum contentum corpus ab extrema circumlatione: totum enim, & vniuersum consueuimus dicere cælum. Tripliciter igitur cum dicatur cælum, totum ab extrema contentum circumlatione necesse est ex omni constare naturali, & sensibili corpore: propterea quod neque vllum est extra cælum corpus, neque contingit esse.

Circa primam significationem ait Licetus. *Profectò cæli* *Licetus.*

hu-

huiusce nomine, quod duplici vocabulo circumscribit: Substantiam extremæ vniuersi circulationis, aut corpus naturale quod in extrema est circulatione vniuersi. Duo nobis insinuat, vnum est primum mobile, quod ipse censuit esse firmamentum continens astra fixa nuncupata, esse corpus naturale collocatum, vbi fit extrema circumlatio vniuersi, quæ dicitur motus diurnus: alterum est, quod nomine corporis naturalis non dignatur, sed appellat substantiam, quam innuens attiguam extremæ circumlationis vniuersi detegere nobis videtur cælum empyreum appellatum, quod maximè extremum est, & supra primum mobile, in quo cælo Empyreo collocatum esse dicit omne diuinum, Deum nempè summum cum omnium mentium beatorum choro.

Prima significatio vocabuli *Cælum* secundum textum est *vno modo*, secundum Licetum est duobus modis; vno modo stat pro corpore naturali primo mobili, altero modo pro cęlo Empyreo, quod neque est corpus naturale, neque mobile. Quare Aristoteles non attulit nobis vnum modum, vnamque significationem, vt voluit; sed distinguens æquiuocationem, æquiuocationem commisit. Ideò enim distinguimus significata ęquiuocorum, vt vnumquodque significatum sit vnius rationis, & non æquiuocum.

2 Fallit nos Aristoteles concludens *Tripliciter igitur*, cum dicatur cęlum. dictum enim oportuit, *quadrupliciter* cum dicatur cęlum.

3 Si conferamus in 1. significato primum mobile, in 2. planetarum orbes, in tertio totum vniuersum, includens corpus extremè circumlatum, & omnia inferiora corpora: ista tria significata magis conueniunt inter se, quàm illa duo significata per Licetum excogitata. Etenim hęc tria significata conueniunt in ratione corporis naturalis, in ratione mobilis. Duo autem à Liceto inuecta non ita conueniunt. Igitur multo magis debuit Aristoteles ponere primo loco duos modos accipiendi cęlum; at dixit *vno modo*.

4 In textu ait Philosophus, *extra vniuersum constitutum*

ex

ex corpore extremè circumlato, & inferioribus, non esse aliquod corpus. Propterea quod neque vllum est extra cælum corpus, neque contingit esse: idem repetit in textu 98: Non contingere vllius corporis molem esse extra cęlum. Sic in tex. 100. Si autem cum Liceto diceret extra primum mobile esse empyreũ, iam sibi contradiceret.

5 Licetus peruertit textum. Aristoteles ait. Substantiam extremę vniuersi circulationis: nam extrema circulatio est accidens, substantia istius circulationis extremæ proponitur, vt substantia, & accidens coniungantur. Licetus autem scribit. *Appellat substantiam, quam innuens attiguam extremæ circulationi vniuersi*; non ponit textus *substantiam attiguam*. Sic enim poneret duas substantias, quarum vna tangeret alteram, quæ particula per fraudem adiungitur à Liceto fingente extremam circulationem, vt vnam substantiam; Aristoteles autem substantiam, & accidens suum posuit. Cur autem descripserit cęlum primo modo per duas descriptiones disiunctiuè annotatum est à Simplicio, & Suessano, & alijs. *falsificatus textus.*

6 Rationes, quibus Aristoteles probat extra vniuersum non dari aliud corpus, consistunt in duplici diuisione. Si extra cęlum est corpus, aut est simplex, aut mixtum: & item aut est ibi secundum naturam, aut præter naturam; quæ rationes sicut in textu ponuntur, ita excludunt cęlum Empyreum, sicut quodcunque corpus.

7 In textibus 99. & 100. asseuerat Aristoteles extra cęlum non esse corpus, non locum, non motum, non tempus: ac proinde concludit *neque quæ illic sunt, nata sunt in loco esse*. quod dictum de multis entibus extra cęlum, euincit, non solum Deum esse extra cęlum, sed multa. Quod si propter esse extra cęlum, infinitas Dei connotetur, apud Licetum; iam multi erunt Dij infinitæ essentiæ. Rursus illa entia, quæ sunt in Empyreo, sunt in loco continente, saltem comparatis primo mobili, vt corpore contento, & empyreo vt corpore continente immobili, iam interna superficies empyrei erit

verè

verè locus, quia est primus terminus corporis continentis immobilis, & contra textum, vniuersum erit in loco, atque extra vniuersum erit locus.

Recognitio LIX.

OPtabat Licetus ostendere, Aristoteli notas fuisse diuinas reuelationes. Quanquam Aristoteles naturali lumine excogitatis rationibus proponat, & probet: reuelationes nunquam adhibeat, nimirum sibi, vel non cognitas, vel non creditas. Licetus tamen, vel inuitum Aristotelem vult facere supernaturaliter credentem: probat per 2. de cęlo 34. vbi Aristoteles. *Videre oportet causam dicendi, quæ nam sit, præterea quo pacto se habeat in credendo, vtrum humano modo, an validius.* "Certè credulitas, & fides, quam homines habent, non humano modo, sed validiori, decretis Aristotelis est diuinitus acquisita per reuelationem in somnis, vel etiam in vigilia, per diuinationem, & prophetiam, quam agnouisse potuit in Sibyllis: & re vera cognouisse nostrũ Aristotelem testatur tum sextus Empiricus, tum etiam Patritius," Hæc Licetus.

Licetus car. 78. lib. 1. cap. 11.

Licetus

1 Obseruatio. Quid de Sybillis, & vatibus docet Aristoteles, liquet in sect. 30. Problematum. Probl. 1. refert eos enim in humorẽ melancholicum, cuius effectus cum vino comparat, potiusque à vino diuinationes, quàm à Deo proueniunt.

In sect. 30. Probl. 1. pag. 1013. E. *Multi etiam propterea quod ille calor sedimentis in vicino est, morbo vesaniæ implicantur, aut instinctu Lymphatico inferuescunt; ex quo Sibyllæ efficiuntur, & Bacchæ, & omnes, qui diuino spiraculo instigari creduntur: cum scilicet id non morbo, sed naturali intemperie accidit.*

Sed ad textum 2. de cęlo 34. Licetus mutilatè citat, neque antecedentia, & consequentia confert. Aristoteles procęmium excusatorium facit. in quæstionibus difficillimis.

Forte

Fortè igitur de quibusdam enuntiare aliquid tentare, & de omnibus, & prætermittere nihil videbitur, vtique esse signum, aut multæ amentiæ, aut multæ promptitudinis. Timet igitur Aristoteles, ne vel amens, vel promptulus iudicetur, si de omnibus enuntiare tentet.

Deinde monet lectorem, vel auditorem, vt antequam damnet Philosophum consideret, & causam dicendi, & modum credendi. Nam necessitas integræ tractationis iustè compellit ad dicendum de omnibus, & nihil prætermittendum. Secundò ad modum credendi aspiciendum, vel enim Philosophus requirit fidem humanam ex authoritate, vel ratione probabili, vel validiorem fidem per necessarias rationes, subdens. *Non tamen iustum est omnes similiter increpare, sed videre oportet causam dicendi, quænam sit. Præterea quo pacto se habeat in credendo, vtrum humano modo, an validius. Certiores igitur necessitates, quando quis fuerit assequutus, tunc gratiam habere oportet inuenientibus: nunc autem id, quod videtur, dicendum est.*

In quibus Aristoteles fidem humanam ponit in credendo, ijs, quę sibi videntur: validius credere tribuit certioribus necessitatibus. Sic infra 2. de Cęlo 60. scribit. *Similiter autem, & de alijs dicunt astris, qui dudum ea obseruauerunt à pluribus annis, Aegyptij, & Babylonij, à quibus multam fidem habemus, de vno quoque astrorum.* Est ergo fides humana credere dictis hominum sapientum, & peritorum secundum suas artes. Alia etiam fides est, quæ & conclusionibus demonstratis, & principijs demonstrationum conuenit: de qua in 1. Top. cap. 1. *Sunt autem vera, & prima, quæ non per alia, sed per se ipsa fidem habent.* Et in 1. Post. 16. *Quare siquidem scimus per prima, & credimus: & illa scimusque, & credimus magis, quoniam per illa, & posteriora &c.* In textu 17. ibidem. *Non solùm oportet principia magis cognoscere, & magis ipsis credere, quàm ei, quod monstratur: sed neque aliud ipsi credibilius esse: neque notius his, quæ sunt opposita principijs, ex quibus*

bus erit syllogismus, qui est contraria deceptionis: siquidem oportet scientem simpliciter à credulitate impermutabilem esse. Hinc agnoscimus, & fidem humanam imbecilliorem, & fide humana validiorem, qua oportet hominem à credulitate impermutabilem esse; quę fides validior est de conclusionibus demonstratis, ac de principijs demonstratiuis necessitatem afferentibus, & credibilitatis in propositionibus, & credulitatis in intellectibus.

De hac fide validiore loquuntur verba mutilata à Liceto. *Certiores igitur necessitates, quando quis fuerit assequutus: tunc gratiam habere oportet inuenientibus.* Inuenientibus *inquit*, certiores necessitates credendi,nō autem ait,reuelantibus. Quia de fide habita dictis hominū,& demonstrationibus inuētis ab hominib⁹loquitur,nō de reuelationibus diuinis.Cōsimilis excusatio 2.Metaph.tex.2.ponitur,vbi incrementū musicę ponit dicens. *Si enim Timotheus non fuisset, multum melodiæ nequaquam habuissemus. Si tamen Phrynis non extitisset, ne Timotheus quidem.* Similem quoque excusationem ponit in 2. Elenc.cap.vlt.docens incrementum, & Logicæ, & Rhetoricæ; in principio enim exiles fuerunt scientiæ, & artes: deinde à posteris plura inuenta sunt, quibus ad perfectionem ascenderuut.

Gratiæ igitur habendæ sunt inuentoribus posterioribus, sed et primis quoque; nam principium mole minimum est, virtute maximum, cuius principij virtute posteri excitati sūt ad inueniendum. Quare Aristoteli de cęlo, eiusque difficultatibus, quæ videntur probabilia scribenti, gratiæ sunt habendæ vt primo inuentori: sicut certiores necessitates inuenientibus post Aristotelem, gratiæ erunt agendæ. Hæc Aristoteles, & eius Interpretes in 2. de cęlo text. 34. tangunt de fide humana, & de fide validiori: quarum fides humana est per probabiles, vel authoritates, vel rationes. Fides validior est per necessitates, & certas demonstrationes, vel *quòd*, vel *propter quid*. Ad statuendam fidem supernaturalem

ex

ex diuina reuelatione textus alius est quærendus.

Recognitio L X.

LIcetus itaque in pag.79.ait. *Aristoteles de diuinatione per somnium apertè satis innuit, à Deo mitti somnia, non quibuslibet hominibus, sed optimis, & prudentissimis, inquiens. Et quod de quibusdam sit diuinatio in somnijs, non est incredibile: habet enim aliquam rationem, ideò & de alijs somnijs: similiter vtique quis arbitrabitur: nullam verò rationabilem causam videre, secundum quam vtique fiet, hoc non credere facit: nam Deum quidem esse mittentem, cum alia irrationabilitate, & non optimis, & prudentissimis, sed quibuslibet mittere, inconueniens: ablata verò, quæ à Deo causa, nulla aliarum conueniens esse videtur causa.* Et mox. *Et ideò accidit hac passio quibuslibet, & non prudentissimis; in die enim vtique fieret, & sapientibus, si Deus esset mittens.*

Nimirum his vult Aristoteles, irrationabile esse putare à Deo mitti somnia omnibus hominibus, quicumque somnijs præuident quoquo modo futura, sed solum optimis, & prudentissimis vult à Deo mitti somnia, & etiam in die vigilantibus reuelationes, ac diuinationes: non autem improbis, & fatuis, qui somniantes quandoque præuident ventura: & sanè in sacris litteris frequentissimè legimus à Deo mitti somnia vera viris optimis, & prudentissimis Abimelecho, Iosepho, & multis Prophetarum, non autem improbis & insipientibus. Licetus de more suo cogit sacram Scripturam seruire Aristoteli: & quemadmodum mutilat Aristotelicos textus, sic & sacros. Ait enim à Deo non mitti reuelationes in somnis improbis, & insipientibus. Nec reminiscitur somniorum, quæ Deus misit Nabuchodonosori peccatis grauato: vt narrat Daniel propheta. Non reminiscitur somniorum, in quibus reuelabantur futura certò ministris Pharaonis, & Pharaoni. Non reminiscitur somnij missi ad Madianiten, à quo didicit vir probus

Li cetus.

Daniel.

Gen. 11. & 12.

Iudi. 7.

Gedeon voluntatem Dei, & alia multa. Sed Sacris omiſſis, Ariſtotelica perpendamus.

Obſeruatio prima. Ariſtoteles primò proponit dubitationes, & pro diuinatione per ſomnium, & contra, in 1. cap. in verbis citatis à Liceto. Licetus mirabilis homo, dubitationem accipit pro reſolutione, & Ariſtotelis certam ſententiam concludit ex incertis. Dubitationem proponit pro diuinatione ſic. *Nam quòd omnes quidem, vel plures existimant habere aliquam ſignificationem ſomnia, praſtat fidem, tanquam ab experientia dictum; & quod de quibuſdam ſit diuinatio in ſomnijs, non eſt incredibile, habet enim aliquam rationem. Ideò, & de alijs ſomnijs ſimiliter vtique quis arbitrabitur.*

Contra diuinationem ſcribit, à negatione cauſæ, quia neque cauſa prima, neque cauſa ſecunda videtur ſomnia mittere, dicens. *Nam Deum quidem eſſe mittentem, cum alia irrationabilitate, & non optimis, & prudentiſſimis, ſed quibuslibet mittere, inconueniens: ablata verò, quæ à Deo cauſa, nulla aliarum conueniens eſſe videtur cauſa: quandoquidem eorum, qui ſecus Herculeas columnas, & qui in Boryſthene præuidere aliquos, ſupra noſtram videatur eſſe prudentiam, inuenire originem horum.* Hucuſque dubitatio propoſita eſt pro vtraque parte contradictionis: ſequitur deinde reſolutio in illis verbis. *Neceſſe igitur ſomnia, vel cauſas eſſe, vel ſigna eorum, quæ fiunt, aut accidentia, vel omnia, vel aliqua eorum, vel vnum ſolum.*

quæ hæc irrationalitas?

Obſeruatio ſecunda. At eſt mirabilius, quod eſt ab Ariſtotele negatum lectiſſimus diſcipulorum aſſerit à Magiſtro eſſe affirmatum, & affirmatum apertè. Igitur Philoſophus in lib. de Diuinat. per ſomnium c. 2. ſcripſit. *Omninò autem quoniam, & aliorum animalium ſomniant quædam, à Deo vtique miſſa non erunt ſomnia, neque facta ſunt huius gratia. Dæmonia tamen: natura enim dæmonia, non diuina.*

Arguit Ariſtoteles, à Deo non ſunt miſſa ſomnia in brutis, neque vt bruta diuinent: ergo à Deo non mittuntur ſomnia

nia in brutis, neque gratia diuinationis. Consequentia hęc Aristotelis fundatur super 2.Phys.38. quod vniuersalium causæ sunt vniuersales, & particularium particulares; sed somniare, & somnium commune est in homine, & brutis: atque in brutis Deus non est causa efficiens somniorum, neque diuinatio est finis, gratia cuius somniorum in brutis. Ergo Deus non est efficiens somnia, neque gratia diuinationis sunt somnia. Cum autem causæ sint vel per se, vel per accidens 2.Phys.33. & efficiens per se sit duplex 1. de cęlo 32. *Deus*, & *natura*: Aristoteles somnia refundit in naturam, vti in causam effectricem, vti in causam per se, vel (vt infra) etiam in causam per acciden. Natura verò non est diuina, sed dæmonia. quare & somnia erunt dæmonia, non autem diuina, quasi à scientia diuina diuinatio per somnium descendat. Nam & natura est quædam ratio cognoscendi in rebus cognoscentibus, quare & ratione naturæ in animalibus, siue brutis, siue hominibus, & somnia, & diuinatio per somnium est sæpè: sæpius autem per accidens est, vt somnio tanquam verò correspondeat res significata, prout acutè docet Philosophus in illo capite. Vtcunque hæc secunda pars textus exponatur, prima pars est manifesta. *A Deo vtique missa non erunt somnia, neque facta sunt huius gratia.* Conclusio ista est negatiua, egregius discipulus dicit esse affirmatiuam, quod Deus mittat somnia, ac diuinationem per somnium.

Secundò Aristoteles argumentatur à signo, & specialiter in hominibus inquiens. *Signum autem, valdè enim degeneres homines prauidentes sunt, & rectè somniantes, tanquam Deo non mittente.* Ergo Deus non mittit somnia, neque præuisionem per somnium. *Sed quorumcumque quasi loquax natura est, & melancholica, multimodas visiones vident. Eo verò quod secundum plura, & multifaria moueantur, assequuntur, sicut quidam tota contendentes rapiunt. nam quemadmodum, & dicitur, si multa iacies, alias aliud iacies, & in his hoc accidit.* In naturam, & in casum reijcit rectam præuisionem. Si natu-

ra multas visiones in somnis excitet, à casu est, quod aliqua sit verax.

Tertiò inferius cum in causam, vel naturalem, vel artificiosam multa somnia refudisset, subdit. *Hi verò motus phantasmata faciunt, ex quibus præuident futura de huiusmodi: Et ideò accidit passio hæc quibuslibet, & non prudentissimis. In die enim vtique fieret, & sapientibus, si Deus esset mittens.* Arguměta-
1. *post.* 30. tur Philosophus per dictū de omni posterioristicè. In dicto de omni attenditur vniuersitas tēporū, & vniuersitas subiectorū: ideò & à tēpore argumentatur Philosophus & à subiectis hominibus diuinantibus per somnium; argumentumq; est ad incommodum, & conditionale. Si Deus esset mittens diuinationem per somnium, hæc diuinatio fieret in die, & in prudentibus: consequens est falsum, nam diuinatio per somnum fit nocte, & fit in hominibus ignaris, atque improbis plerumque. Ergo diuinatio per somnium non est à Deo. Argumentum est à negatione consequentis ad negationem antecedentis, scilicet diuinatio per somnum non fit per diem, neque sapientibus; ergo non fit à Deo. Ex his duabus negationibus à Magistro positis, mirabilis discipulus exponit affirmatiuam, Deus mittit diuinationem per somnium sapientibus, & probis. Ego autem non didici hanc Logicam, vt negare sit affirmare, vel vt ex negatiuis concludatur affirmatiua.

Recognitio LXI.

Licetus Licetus in lib. 1. de Pietate cap. 8. pag. 64. lin. antepen. scribit. *Tum speciatim quilibet homo custodem habet sui separatam quandam intelligentiam, quam proprium cuiusque genium vocauit Aristoteles, eique numinis, ac diuinitatis participationem assignauit inquiens (4 Ethic. cap. 2.) Ex impensis autem, quas ho-*
Aristot. *norabiles dicimus, illæ sunt, quæ ad Deorum donaria, ædificationes, & sacrificia pertinent. quæque ad omne denique geniorum numen spectant.* Licetus. Quibus non aliam ob causam Dijs, & ge-

nijs

nijs donaria, & sacrificia vult adhiberi, nisi quia rerum humanarum eos curam, & gubernationem, proindeque prouidentiam habere putauit. Deinde ponens hìc (10. Ethic. cap. 8.) Aristoteles intellectum humanum esse Deo, separatisque infra Deum intelligentijs, quas cum D. Paulo, & Areopagita Deos appellat, maximè cognatum.

1 Obseruatio. Aristoteles trecentis, & eo amplius annis præcessit D. Paulum, & D. Dionysium Areopagitam. Non ergo potuit Aristoteles loqui cum istis sanctissimis Doctoribus. Sed Licetus sacram horum doctrinam profanat, & captiuat in obsequium Aristotelis.

2 Deos istos vocat intelligentias, vel genios. Sed illis sacrificia offerre, & donaria docet. Sacrificium soli Deo debetur: vnde, & Aristoteles, & Licetus Idololatræ sunt, qui cultum soli Deo debitum exhibent, non sanctis Angelis, sed dæmonibus: Hæc sacrificia sacrilega, neque sancti angeli volunt sibi offerri: neque S. Paulus angelis sacrificia offerri docuit, aut sancti Pauli discipulus Areopagita; quia sanctus Paulus religionem Angelorum confutauit: quidam enim colebaut Augelos irreligiosa religione cultu diuino. Absit ergo vt SS. Paulus, & Dionysius istos angelos sacrificijs honoratos, putent esse angelos custodes hominum sanctos, aut Angelos curam vniuersi habentes. Per calumniam ergo Licetus accusat Sanctos, & iniustè Deos sacrificijs honoratos, putat esse angelos beatos. Ex isto loco Aristotelis, & Liceti conuincitur, quòd nomine Deorum intelligunt dęmonia, de quibus propheta. *Omnes Dÿ gentium dæmonia.*

Colos. 2. vbi Lepidius.

Ad idem spectat, quod in pag. 64. ex 10. Ethic cap. 8. concludit Licetus sic: *Quibus Aristoteles asserens Deo carissimos esse homines rectè, honestèque viuentes: decernensque Deos humanarum rerum curam habere: satis apertè declarat, non solum à Deo summo probos homines amari, sed etiam incorporeas alias mentes infra Deum, quos Angelos vocamus, habere curam rerum nostrarum.*

10. *Ethic.* c. 8.

Et

Et in pag.67.& sæpius intelligentias secundum Aristotelem Deos appellat. Sed in pag.29. lin.22. ait ab Aristotele reprobari eos, qui motrices intelligentias Deorum nomine donabant, vnde constantis Magistri est inconstans discipulus.

3 Pertinacia quædam Aristotelis appellando Deos in plurali, & Liceti exponendo in singulari, conferenda est. In lib.1.cap.10.pag.74.ostendere vult Licetus Aristotelem præcepisse hominibus cultum Dei.

Et primò affert attestationem Aristotelis in 1.Magn. Moral.cap.6. *Si quempiam eousque feceris intrepidum, vt ne quidam Deos metuat is iam non fortis, sed demens fuerit.* Timere Deũ comprobat Licetus per timere Deos.

2 Ex 5 Polit.cap.11. *Videri oportet (Principem) ipsum erga religionem Deorum affici vehementer: minus enim formidabunt populi, ne quid contra iustitiam fiat, si religioni deditum illum existimabunt, ac Deorum curam habere. minusque contra illum audebunt insurgere, qui Deos habeat propitios, & fauentes: verumtamen oportet sine improbitate talem videri.*

3. 1.Top cap 9. *Qui dubitant vtrum oporteat Deos honorare, & parentes diligere, pœna indigent.* Addit Licetus. *Nonne sunt hæc duo summa præcepta Decalogi? Ego sum Dominus Deus tuus, qui eduxi te de terra Aegypti, & de domo seruitutis. non habebis Deos alienos coram me, non facies tibi sculptile.* Piget legere, quod Licetum non puduit scribere. Deus in lege sua prohibet *Deos alienos*, & se *vnum* coli iubet. Licetus Aristotelis præceptum Deos, nempè gentium, introducentis, dicit esse præceptum Dei.

Licetus

Exod. 20.

4 Ex pag.75. citat pro cultu Dei 8.Ethic. cap. 14. *Neque enim quod pro dignitate fit, in omnibus est. Sicuti in honoribus, qui Dijs, aut parentibus exhibentur: nemo enim referre his dignam gratiam posset: sed qui pro viribus colit, is esse probus videtur*; 9.Ethic.cap.2. *Honor quoque parentibus, quemadmodum Dijs exhibendus est.* Licetus ex cultu Deorum Dei vnius solius cultum roborat.

5 In pag.76. à 7.Polit.cap.8. Ariſtoteles numerat opera, quæ in ciuitate debent exiſtere. *Primum igitur debent exiſtere alimenta: deinde artes, multis enim inſtrumentis indiget vita; tertium arma, nam qui ſimul in communione viuunt, neceſſarium eſt in ipſis habere arma, quibus, & magiſtratibus parere inobedientes compellantur, & quibus vis propulſetur externa: præterea pecuniarum habendarum facultas quædam, quo illas habere poſſint, & ad proprias indigentias, & ad bellum: quintum, ac primum, circa rem diuinam, cultus, quod vocant, ſacrificium: ſextum quod eſt omnium ſummè neceſſarium, iudicium &c.* Hic locus eſt notandus quoniam *ſecundum Ariſtotelem ſumma diuini cultus in ſacrificio conſiſtit.* Cum igitur Ariſtoteles cultum, & ſacrificia multis Dijs exhibere præcipiat, ſicut in principio huius capitis cum 4.Ethic.cap.2. docuimus: fit vt ſecundum Ariſtotelem multos Deos cultu ſupremo,& eſſentiali colendos dicamus. Quare Licetus in eadem pag. citat ad hoc 7.Polit.cap.9. *Reliquum eſt ex his, qui ſupra numerati ſunt, genus ſacerdotum eſſe, quorum inſtitutio manifeſta eſt: neque enim agricola, neque artifex, neque vilium exercitiorum quiſquam Sacerdos eſt deputandus. Honos enim Dijs eſt à ciuibus impendendus. Sed cum diſtincti ſint ciues in partes duas, hoc eſt in eos, qui arma tenent, & in eos, qui conſultant. Et decens ſit Dijs cultum exhibere, & requiem ſuſcipere eos, qui pro tempore in his laborauerunt, ac defeſſi ſunt: his vtique eſſet Sacrorum cura demandanda.* Semper Ariſtoteles Deorum cultum, & in hoc duo correlatiua, ſacrificium, & ſacerdotium Dijs colendis decernit.

Similia in eodem lib.1.cap.8.pag.65.ponit Licetus ad probandum, quod Deus habet prouidentiam, & citat locum 4. Ethic.cap.2. *Ex impenſis autem, quas honorabiles dicimus illæ ſunt, quæ ad Deorum donaria, ædificationes, & ſacrificia pertinent.* Et in pag.67. repetit textum 8. Ethic. cap. 14. *Neque enim quod pro dignitate fit, in omnibus eſt; ſicuti in honoribus, qui Dijs, aut parentibus exhibetur.* Addit Licetus. *Apertiſſimè Dei*

prouidentiam fatetur (Aristoteles) Deumque rerum humanarum curam habere statuit. Hoc tantum accipimus ex istis citationibus, quod Aristoteles scribit *Dijs*, Licetus *Deum*.

Apud me in lib. 1. aconom. c. vlt.

6 In pag. 67. profert Licetus testimonium ex lib. 2. Æconomicorum cap. 2. *Quum ergo tanta adhibeatur cura pro corporis esca, quid pro liberis, & matre educatrice? Nonne protinus omne studium fuerit adhibendum? Hoc enim solo hominum conditio mortalis per successionem sempiternitatem consequitur; omniaque parentum vota huc tendunt, quamobrem, qui ista negligit, & Deos ipsos videtur negligere, quibus præsentibus sacra fecit, & vxorem duxit.* Sic Aristoteles. At Licetus ita. "Nonne fatetur *Deum* vbique præsentem interesse rebus humanis, ac earum curam, & prouidentiam habere? Nonne statuit ab hominibus Deo sacra fieri debere?" Commutauit *Deos* præsentes in *Deum* præsentem. Sacra facta Dijs, in sacra facta Deo.

Deos.

In 1. acon. cap. vlt.

Deos.

In pag. eadem 67. producit Homerum ab Aristotele laudatum 2. æconomic. cap. 3. *In oratione quoque illa, quam habuit (Vlisses) ad Nausicaam apparet, poetam maximè probare viri, & vxoris pudicam societatem; precatus est enim Deos, vt darent illi virum, & familiam;* Audiuimus Aristotelem precari Deos. Audiamus Licetum. *Quid enim, inquit, opus est homines precari Deum, vt sibi det bona, si Deus humanarum rerum curam &c.* ergo Deos transuertit in Deum.

In 1. acon. cap. vlt.

Dijs.

7 Rursus in 2. Æconom. cap. 4. *In quibus, qui superauerit, maximumque præmium à Dijs consequitur vt Pindarus inquit. Dulce enim sibi cor, & spes mortalium multiplicem alit voluntatem; secundum verò à filijs in senectutem feliciter educari. Quapropter, & priuatim & publicè docet eum, qui vitã gerit ad omnes Deos, hominesque respicere.* Semel atque iterum Aristoteles Deos inculcat. Licetus scribit ad hæc. "Quę sanè perperam dicerentur ab eo, qui non censeret *Deum* cum prouidentia gubernare res humanas."

omnes Deos

Licetus

Amplius Licetus pag. 67. *Verùm & opere confessus est Aristo-*

stoteles, ne dum lingua, Deum habere curam rerum humanarum, dum pro salute generi sui ægrotantis Deo votum fecit, vt apertè testatur Marsilius Ficinus.

Votum quidem nuncupauit Aristoteles, at falsis Dijs, non vero Deo: etenim in testamento Aristotelis apud Laertium legimus. *Et seruari Nicanoris votum, quod pro illo vouimus: animalia lapidea cubitorum quatuor Ioui seruatori, & Mineruæ seruatrici in Stagiris.*

Multos Deos invnum vertẽs peruertit textum.

Licetus in c. 10. etiam *Iouem*, idolum scilicet gentium, dixit ab Aristotele intelligi *summum Deum*, & profanus, leges in Scriptura diuina latas de sacrificijs Deo exhibendis, transfert ad falsum Deum, nempe Iouem.

Iupiter sũmus Deus Liceti.

Sic Licetus pag. 75. textum ex 9. Ethic. cap. 2. rescribit. *Non omnia igitur omnibus esse retribuenda, neque patri omnia. quemadmodum neque Ioui omnia sacrificantur, obscurum minimè est:* "Delectum (adijcit Licetus) victimarum summo Deo in veteri lege offerendarum attingit.„ Ad istam intentionem profanat Scripturam diuinam in obsequium Iouis. Violat Eustratij sensum explicantis textum sic, *Quemadmodum, inquit, non omnia Ioui immolantur; nonnulla enim erant, quæ Ioui sacrificare Græci nefas existimabant, vt canes, serpentes, & alia quam plura; quæ Ioui offerre esse impium videbatur, qui apud Græcos Pater est hominum, Deorumque.* Eustratius exponit de illo Ioue, quem Græci colebant; idolum scilicet externa specie, sed occulta assistentia dæmonem; verum enim est illud. Omnes Dij gentium dæmonia.

Litat Ioui Licetus.

Dæmoniũ Iouem coli pro Deo ab Arist.

Violat D. Thomam in explicatione eiusdem textus scribentem. *Dicit ergo primum, non esse immanifestum, quòd non sunt eadem omnibus reddenda, vnde nec patri sunt reddenda omnia, sicut nec apud Gentiles omnia sacrificantur Ioui, sed quædam alijs Dijs.* Thomas ergo, & Eustratius concordes exponunt de Ioue Deo gentium, & de alijs Dijs. Licetus ambos hos Doctores, & Aristotelẽ ab eis explicatum, transfert in oppositum dicens pag. 76. lin 7. *Non ineptè potuit hic Aristoteles indicare*

Corruptela Arist. Eustratij Thomæ Liceti conuersi-

care longè diuersè cultum exhibendum esse Deo summo, quem Iouem appellat, & alium intelligentijs secundis, quas Deos participatione vocat, vt vidimus ex D.Paulo, & Areopagita.

Igitur Licetus Aristotelem Deos ponentem,&Deos gentiũ inuitũ trahit ad Deum verũ,& ad Angelos, & sicuti superius dictum est, D. Paulum,&D.Dionysium Areopagitam tanquè cultores eorundem Deorum, qui colebantur à gentib⁹, facit.

Vt minus mirum sit, si abutatur cap.8.10.Ethic.in quo textu,& Dij, & Deus ponitur. "Atqui ex intellectu operatur, huncque excolit, atque optimè afficit, is esse Deo carissimus videtur. nam si aliquã rerum humanarum curam *Dij* habent, sicut videtur: consentaneum est ipsos re illa,quæ optima est, atque ipsis maximè cognata delectari, qui est intellectus. Igitur ab Aristotele deducimus & Deos, & Deum,". Nobis tamen vnus est Deus solus,non plures.

4 Obseruatio. Licetus vt Aristoteli asserenti *Deos* multos vnum attribuat,vel inuito, vertit se in omnem faciem.

Et primò. In cap.3.lib.1.de Pietate per Deos multos intelligit tres personas diuinas. Contendit enim contra regulam fidei catholicæ tres personas dici Deos in numero plurali.

2 Per multos Deos explicat intelligentias, quæ sunt Angeli.

3 Vel homines, vel animas separatas Deos exponit à car.110.

4 A car.112.exponit Dæmones appellari Deos.

Sed vnus locus ex lib.7.Polit.refutat priores expositiones & vltimam relinquit. In 7.Polit.cap.17. *Sit igitur cura Magistratibus, nullam neque picturam, neque statuam esse talium rerum imitatricem, nisi apud Deos quosdam, quibus etiam lasciuiã mos tribuit; apud hos permittet lex homines factos, pro se, & filijs, & vxoribus sacra facere.* Qui sunt isti isti Dij lasciuiæ ò Cl. Licete? Num tres diuinæ personæ? Num Angeli Sancti? Non equidem existimo te dicturum, sicut neque homines,aut

ani-

animas sanctas. Sed solum dæmones, aut homines, scelerosos, aut animas talium. Quàm autem turpia, & flagitiosa, & impura sacra apud tales Deos, essent, copiosè nimium scribit Licetus in lib. 2. de Pietate cap. 9. Quod Aristoteles à talium inspectione iuniores, & fęminas prohibeat, laudo. Quod homines factos lege permiserit apud Deos tales sacra facere, non laudo. Poterat duas illas lineas non scribere Aristoteles: poterat scribere etiam, ne homines facti permitterentur talia sacra facere. Sed cessit moribus gentilium, & in hoc dicto, & in alijs, quibus Deos multos colendos, timendos, honorandos docuit.

Recurrit Licetus ad sacras litteras, quæ & Angelos, & homines aliquando Deos vocãt. Atque sacras litteras frequentissimè cogit seruire Aristoteli.

Responsum est ad hoc in Vestigat. 4. de Vnitate Dei. Sed Licetus, quod vel per vmbram pro se facit, arripit; quod contra se facit, non videt. Deus in sacris litteris, vniuocè accepto nomine, est vnus tantùm, implurificabilis, indiuisibilis. Deus æquiuocè, vel per participationem gratuitam, vel per vsurpationem diabolicam, multiplex est in sacris litteris. Quid significetur nomine Dei apud gentes, & Aristotelem declaratum est in Vestigatione citata, & nunc breuissimè dicimus, *Deum esse, qui cultu diuino, hoc est sacrificio, est colendus*. Apud sacras litteras, qui sacrificaueri t, præter quam Domino soli, eradicandus est. Apud Aristotelem multis Dijs sacrificia exhibentur: non ergo Aristoteles loquitur cum sanctis reuelationibus, sed cum gentilium erroribus. Apud Deos luxuriæ sacra facere permittuntur homines iam facti. Qui prius sunt ex habitu temperantes, atque insontes ex disciplina, vt Licetus præsupponit: his magis deberent abstinere à conspectu impudicarum imaginum, & Deorum. Hi tamen fiunt in posterum impudici, idololatræ, sed idolorum luxuriæ.

Cõsiderentur, & quibꝰ sacra fiunt, & pro quibus, & à quibus. Quibus fiunt sacra sunt, *Dij lasciuiæ*, quos Licetus nominauit

uit, non tamen omnes nominauit. Nolo oculos, vel aures Christianorum offendere, monente S.Paulo. *Fornicatio autem, & omnis immuditia, aut auaritia, nec nominetur in vobis, sicut decet Sanctos.* Pro quibus sacra fiunt, *pro se, pro filijs, pro vxoribus.* Quid puritatis ab impurissimis Dijs, & per impurissima sacrificia poterat impetrari pro vxoribus, & liberis? Nam pro se, cum exercerentur sacrilegia turpissima, non est, quod aliquid boni à pessimis Dijs impetrare sperarent. A quibus si quæras: Respondebis, *ab hominibus iam factis*, vt scientes, & eligentes praua agerent, habitum temperantiæ contractum per contrarios actus perderent, & ex pudicitia in omnem se se impudicitię spurcitiem immergerent: nempè corruptio optimi pessima est. Atque ita tota vita homines perseuerarent in sacris Deorum lasciuiæ: rectè inciperent, in malo fine desinerent.

Ephes. 5.

Neque erat spes, vt vel per philosophiam, vel per legem naturæ, aut Moysis ab impetigine carnali, vel præseruarentur, vel subleuarentur. Ingemiscebat Apostolus sub carnis persequutione. *Infelix ego homo, quis me liberabit de corpore mortis huius? Gratia Dei per Iesum Christum Dominum nostrum.* Sed gratia Dei non proficit in illis, qui tota vita propositum habebant perseuerandi in cultu Deorum luxuriæ, hoc est in cultu dæmonum: Omnes enim Dij gentium dæmonia. Nec plura dicam in ista collatione textuum Aristotelicorum cum expositionibus Liceti. Vnusquisque poterit singillatim conferendo cognoscere, qualis sit sublimis Magistri diligens Discipulus: plura conferre esset tempus terere

O.Sub Ped. S.R.E.

Absolutum est opus die 1. Iulij 1655.

TEXTVS EX ARISTOTELE considerati.

EX LOGICA.


EX PHYSICA.

2. Phy-

3.de

EX METAPHYSICA.

EX MORALIBVS.



RECOGNITIO

In Lib. 2. De Pietate Aristotelis.

PRÆFATIO.

DVo sunt officia disputantium, aliud arguentis, aliud respondentis : quorum regulas officiorum multas præscripsit sublimior Philosophorum Aristoteles in 8. Top. Libro. Ad statuendam pietatem Aristotelis, Magistri Liceto singulariter, in priori libro de pietate Aristotelis, Licetus assumpsit onus probandi pietatem, quod est arguentis munus. Verùm tàm infeliciter susceptum impleuit negotium, vt nullatenus Pietatem prætensam probauerit : sed plerunque impietates Magistri propalauerit. Sæpè falsò citans Aristotelem, mutilans, adyciens, interpolans; Sæpè falsò applicans : sæpè falsò explicans. Hoc in superioribus Recognitionibus circa lib. 1. de Pietate ostensum est. Nunc recognoscendus offertur secundus liber de Pietate Aristotelis; in quo Licetus personam induit respondentis ad eas obiectiones, quibus ostenditur impietas in Aristotele : aut saltem in suspicionem Pietas Aristotelis reuocatur.

Recognitio LXII.

LIcetus in lib. 2. de Pietate cap. 1. car. 102. scribit argumentum Francisci Suarez to. 2. Metaph. disp. 30. sect. 16. pag, 145. col. 1. Argumentum est eiusmodi.

"Præterea 4. Top. cap. 5. ait Aristoteles. *Potest Deus, & studiosus praua agere, non sunt autem praui: nam omnes praui secundum electionem dicuntur.* Vbi licet in eo erret, quòd Deo tribuit potestatem prauè eligendi: in eo verò veritati fauet, quòd Deo tribuit potestatem eligendi." *Suarez.*

Licetus.

Licetus. Quam quidem dubitationem multiplici responsione diluere possumus. In primis enim longè mihi aliud est, posse praua agere: quam potestatem sine errore Deo tribuit Aristoteles; & aliud est, posse prauè agere, seu posse prauè eligere, quam potestatem prauè agendi, seu prauè eligendi, falsò dicit ipse vir doctus, Aristotelem Deo tribuere.

Duas verò potestates has, quæ confunduntur à Suarezio, multum inter se distare constat apertissimè apud Aristotelem; qui alibi scribit. Aliud esse iusta agere, & iustè agere, quod agere iusta valeant, qui iusti nondum sunt, ac proindè iustè non agunt. Citat in margine 2. Ethic. cap. 4. Quem textum postea considerabimus.

Prima Obseruatio sit. Licetus octo capitula satis prolixè scribit, vt respondeat ad hunc textum ex 4. Top. loco 64. Callidè tamen noluit ascribere ipsum textum loci 64. ne Lector cognoscat, qui sint praui, & quæ sint praua, de quibus Aristoteles disserit. Nos igitur primò textum afferamus, atque quantum satis est consideremus: vt postea valeamus recognoscere, quæ circa textum clarissimus discipulorum Aristotelis Licetus protulerit.

Arist. 4. Top. loco 64. *Videndum autem, si quid vituperandorum, aut fugiendorum in potestate, aut potente posuit. Vt sophistam, vel calumniatorem, vel furem eum, qui possit aliena latenter surripere: nemo enim prædictorum in eo, quod possit aliquid horum, talis dicitur. Potest enim & Deus, & studiosus praua agere. Non sunt autem huiusmodi, nam omnes praui secundum electionem dicuntur.*

Amplius. Omnes potestates eorum sunt, quæ sunt eligenda; nam prauorum potestates eligendæ, eo quòd Deum, & studiosum habere dicimus eas; potentes enim dicimus eos esse praua agere. Quare nullius vituperabilis erit genus, potestas &c.

Con-

Consideremus, qui ſint praui, & quæ ſint praua nobis ab Ariſt. propoſita: & quare illi dicantur praui, atque adeò vituperandi, & fugiendi.

Praui tres ponuntur *Sophiſta, Calumniator, Fur*. Praua ſunt opera iſtorum. Deſcripſit nobis Ariſtoteles Furem ſolum: vt eadem ratione deſcriberemus Sophiſtam, & Calumniatorem, prout monuere Aphrodiſeus, & Sueſſanus in Commentario illius textus. Sophiſta eſt, qui ex apparenti ſcientia, & non exiſtente, alium fallit, ac decipit, gloriæ, aut lucri cauſa. Quare Sophiſta, quantum in ſe eſt, verum pro falſo, falſum pro vero; bonum pro malo, malum pro bono nititur alteri perſuadere. Calumniator eſt, qui falsò crimen imponit alijs, vnde damnum in honore, vita, rebus, aut publicè aut priuatim inferat, ac proinde amicitias ciuiles diſſociet. Fur eſt, qui aliena bona clam ſurripit. Hi ſunt praui homines, & hi actus praui, de quibus in textu agitur, aſſeriturque, quòd Deus poteſt iſthęc praua agere, & habet poteſtates iſtorum hominum prauorum.

Agitur verò in 4. Top. de prædicato topico, quod eſt *genus*. Si enim propoſita ſit aliqua ſpecies, & ei aſſignetur aliquid pro genere: dantur regulæ iudicandi, an tale genus ſit rectè, vel non rectè aſsignatum. In loco propoſito aſſignantur iſti praui tanquam ſpecies: Sunt enim vituperandi, & fugiendi. Sed ſunt vituperandi, & fugiendi non ratione potentiæ: eo quod poſſint hæc praua agere, vt furari; ſic enim omnes homines eſſent fures, calumniatores, ſophiſtæ. Sed praui ſunt, quia hæc praua, & actu eligunt, & actu agunt. Vnde ſi quis definiat furem ſic: Fur eſt, qui poteſt clam aliena ſurripere, poſuit loco generis poteſtatem, vel potentem; ſed errauit, quia non dicitur fur, qui poteſt clam aliena accipere, ſed qui clam accipit aliena.

Ad probandum igitur, quòd iſti praui ſint, non ex ra-

tione potentiæ, ſed ex ratione actus: Ariſtoteles adducit duas rationes in duabus partibus propoſiti textus. In prima parte eſt hæc ratio. *Poteſt Deus & Studioſus praua agere: non ſunt autem huiuſmodi, nam omnes praui ſecundum electionem dicuntur*. In prima propoſitione potentiam agendi praua tribuit, & Deo, & homini ſtudioſo; in ſecunda negat, quòd Deus, & ſtudioſus ſint praui, quia omnis prauus dicitur ſecundum electionem, quia ſcilicet eligit agere praua, & agit praua. Deus autem, & homo ſtudioſus non ſunt ſecundum electionem tales, quia non eligunt agere praua, neque agunt. Ergo Deus, & ſtudioſus non ſunt praui, Itaque ex ſola poteſtate agendi praua non dicitur quis prauus, alioqui & Deus eſset prauus.

Ex iſta ratione Ariſtotelis colligo, quòd Deus non ſit prauus, neque actu eligat agere praua, vel agat prauè; verè dicit Ariſtoteles, & piè. Quòd dicat, Deum poſse agere praua iſta, puta fallere, atque adeò mentiri, vt ſophiſta poteſt: quòd poſſit falsò crimen alteri imponere, & per conſequens mentiri, ac ſponte nocere, vt calumniator poteſt: quòd poſſit Deus clam aliena ſurripere, vt fur poteſt; hoc & non verè, & non piè dicitur ab Ariſtotele.

In ſecunda parte hæc eſt ratio. Omnis poteſtas, etiam prauorum hominum ad agere praua, eſt eligenda. Probatur. Quod habent, & Deus, & homo ſtudioſus, eſt eligendum: ſed Deus, & ſtudioſus habent eas poteſtates ad praua agere, quas habent praui homines. Ergo omnis poteſtas, etiam poteſtas prauorum hominum, eſt eligenda. Nota particulam *eas* poteſtates prauorum hominum eſse in Deo, & ſtudioſo viro poſitas; *eas* quidem, non numero eaſdem, ſed ratione, vel ſpecie. Qua in re iterum ponit Ariſtoteles, poteſtatem agendi praua in Deo, & praua prædicta: atque poteſtatem, quæ eſt in prauis ſupradictis, ſophiſta, calumniatore, fure. Quamobrem eædem poteſtates ſpecie, vel ratione ſunt *in homine prauo,*

no, in homine studioso, & in Deo secundum Aristotelem. Sed homo prauus habet in se potestatem ad agere praua, & ad agere praue. Homo studiosus habet in se potestatē ad agere praua, & ad agere praue. potest enim à virtute cadere in vitium faciliùs, quàm prauus à vitio ad virtutem exurgere. Deus ergo eandem habens potestatem, quàm habent homo prauus, & homo studiosus: poterit ex consequenti, & praua agere, & praue agere.

Deinde de tali potestate agendi praua loquitur Aristoteles, qualis potestas, si reduceretur ad actum, vt Deus secundum electionem ageret praua: iam Deus esset prauus; sicut & homo studiosus ex tali vsu, esset prauus. At prauus potest praue agere, sicut iustus potest iustè agere ex Liceto. Ergo si potestas Dei reducatur ad actum, iam Deus & esset prauus, & praue ageret, prout Suarez arguebat.

Verum est interim, in textu esse expressum, quòd Deus potest praua agere: non esse expressum, quod praue. Expressum est, quòd Deus habet eas potestates, quæ sunt prauorum hominum ad praua agenda: non est expressum, quod habeat potestates easdem ad praue agendum. Hęc circa textum. Sed tamen benè sequitur, quòd Deus, si habet potestatem ad eligenda, & agenda praua, habeat potestatem ad praue agendum, & eligendum: prout partim est iam probatū, partim probabitur pro Suarez.

Nunc illam particulam à Liceto positam libremus. *In primis longè mihi aliud est, posse praua agere, quàm potestatem sine errore Deo tribuit Aristoteles.* Certè hic errat Licetus contra pietatem fidei catholicæ: errat & Aristoteles, sed longè minus. Indices nobis erunt duo Sancti Doctores, Thomas, & Bonauentura. 2. obser.

S. Thomas in 1. sent. d. 42. q. 2. art. 1. in secundo argumento ad oppositum affert, quòd Deus, & studiosus potest praua agere.

Respondet. *Secundum quosdam, quòd ly* praua *accipiendum.*

dum est materialiter, ut sit sensus: Deus potest facere praua, idest, quæ modò praua sunt; quæ tamen, si ipse faceret, praua non essent.

Vel dicendum, quòd loquitur conditionaliter, ut intelligatur, si vellet. *cuius conditionalis, & antecedens est impossibile, & consequens; & hoc non est inconueniens, sicut hic. Si centum sunt minus, quàm quinque, sunt minus, quàm decem. Idem S. Thomas in 3 d 12. q. 2 art. 1. ex Rabbi Moyse hanc responsionem secundam affert, quòd* si vellet, *posset praua agere*.

At Aristoteles in textu non conditionate, sed absolutè concedit, quòd Deus potest praua agere. quanquam ex doctore, & Hebræo, & Christiano sit impossibile hoc dictum: *Deus potest praua agere.* Error est autem Deo attribuere aliquod impossibile. Idcircò multò magis errat Licetus contra pietatē erga Deū, dū concedit, sine errore Deo attribui potestatem graua agendi: quam neq; Hebræi neque Christiani sustinent; præsertim ista praua, *fallere, calumniari, furari.*

S. Bonauentura in 2. d. 44. q. 1. ad 2. scribit: "Exponunt quidam, quòd Philosophus intellexit de malo pœnæ. Sed hoc planè repugnat eius textui. Et ideò, cum Sacra Scriptura dicat, & omnes expositores Scripturæ concordent, quòd (Deus) nullo modo potest peccare, sicut nec mentiri, nec etiam se ipsum negare.

Dicendum est, quòd illud verbum Philosophi non habet veritatem: nec credo ipsum constituisse magnam vim in verbo illo, pro eo quod dixit hoc, solùm exemplificando, & pertranseundo; & exemplum suum satis sufficiebat ad propositum pro parte, in qua habet veritatem, pro hac videlicet, quòd studiosus potest mala agere, licet hoc non sit, ut studiosus; sed ut potest à virtute deficere."

Quæ S. Bonau. doctrina, & regulæ, & praxi Aristotelis congruit. Exempla enim poni, non quia ita sint, sed quia ita manifestant, asserit Aristoteles in 13. metaphys. sum. 1. cap. 3. in 1. Prior. sect. 3. cap. 1. in 1. poster. tex. 78. Ita quoque

Ari-

Ariſtoteles in praxi facit: vt in 7. Metaph.7. dat exemplum triplicis ſubſtantiæ, ſcilicet materiæ, formæ, compoſiti; vt æs, figuram, ſtatuam. Quorum primum non eſt materia, ſed cōpoſitum;ſecūdū eſt accidens,tertium vnum per accidens, quod in 2.de anima 24. præſtitit, & creberrimè. Itidem, & in 4.Top.loc.64. ad oſtendendum, quòd ex actu, non ex potentia dicatur aliquis prauus, aptum exemplum eſt, quòd Deus non eſt prauus, cum tamen poſſit praua ſcire, eligere, agere. Sed ablata cauſa exempli, non concedit Ariſtoteles, quòd Deus poſſit praua agere. Nunc reuertamur ad expoſitiones Liceti circa textum propoſitum in 4.Top.loco 63.

Recognitio LXIII.

Licetus lib.2. de Pietate Ariſtotelis cap.2.car.103.aliam iniuit rationem defendendi pietatem Ariſtotelis, nempè inducendo æquiuocationem in vocabulum *Deus*. Summa eſt in pag.107.lin.6.*Dum Ariſtote les ait (4.Top.loco 64) poteſt enim Deus, & ſtudioſus agere praua. de duplici hominum genere loquitur;de beato naturali felicitate contemplatiuo, quem Deum appellat: & de felici naturali beatitudine actiua, quem nuncupat ſtudioſum. Ergo per vocabulum* Deus *ſignificatur* homo ſpeculatiuus*: per ſtudioſum ſignificatur homo actiuus.* Hęc Licetus. *Licetus inquit.*

Prima obſeruatio. Ad oſtendendum, quòd homo vocatur *Deus*, ex alienis à Peripato multa Licetus congerit:ex proprijs Peripatetici principis nulla. Vnum locum ex 1. Politicorum mox recognoſcemus. Dum quęrimus Ariſtotelis intentionem, quid probant Platonica, vel Theologica? Ex alienis, aliorum probatur ſententia. Ex Ariſtotelicis dictis, panditur intentio Ariſtotelis. Iſtam quærimus, & ad iſtam ex Ariſtotelicis aſsertis nihil affertur à Liceto. *Alienus à Peripato. Licetus.*

Ob-

2 Obſeruatio. *Deus* eſt nomen commune multis apud Ariſtotelem, etiam Liceto aſsertore in lib. 2. de Pietate cap. 6. Aut igitur *Dei* nomen accipitur pro communi genere, vel quaſi genere Deorum, aut pro ſummo Deorum. Regula ex quarto Metaph. 2. ſumpta eſt. Nomen analogum abſolutè prolatum ſtat pro principali ſignificato. Atqui *Deus* eſt nomen abſolutè prolatum in 4. Top. loco 64. *poteſt Deus, & ſtudioſus praua agere*; idque bis. ergo, vel pro Deo in communi ſtat hoc nomen, vel potius pro ſummo Deo.

Mirabiliſque eſt Licetus; nam in textibus Ariſtotelis, in quibus nec *Deus*, nec *Dij* nominantur; Dei nomen ineſſe ſcribit, vt vidimus in Recognitione 19. ex 12. Metaph. 52. Recognitione 20. ex 12. Metaph. 55. Recognitione 22. ex 12. Metaph. 42. 43. Recognitione 29. ex 8. phyſic. 48. 49. Recognitione 30. ex 12. Metaph. 49. Recognitione 33. ex 12. Metaph. 51. & ſæpè alibi. Rurſus vbi Ariſtoteles, *Deorum* nomen poſuit in plurali, Licetus transfert in ſingulari, vt collegimus in Recognitione 61. quæ eſt vltima prioris libri. Nunc autem in 4. Top. loco 64. adeſt nomen Dei, & adeſt in ſingulari, atque bis eſt nomen hoc repetitum; Licetus non vult intelligere Deum, ſed hominem contemplatione felicem. Totus Ariſtoteli contrarius; vbi non eſt dictum *Dei* nomen, Licetus vult eſſe dictum: vbi dictum eſt, non vult eſſe dictum; ita cuncta in Ariſtotele peruertit; vbi multi vnus; vbi vnus, vel multi, vel nulli Dij.

Ariſtoteli Licetus contrarius.

3 Obſeruatio. Studioſus eſt homo virtute præditus: quia verò duplex eſt vita, duplex virtus, duplex felicitas, nimirum ſpeculatiua, & actiua cum Ariſtotele; ſequitur, vt nomen *ſtudioſus*, vel ſtet pro communi genere viuentis ex virtute: vel maximè ſtet pro viuente ex uirtute ſpeculatiua, nam talis eſt maximè homo, & maximè ſtudioſus. Nempe nomen analogum ſtat pro principali ſignificato. Igitur nomen *ſtudioſus* in textu 4. Top. ſtat potius pro ho-

homine speculatiuo, cuius contrarium vult Licetus. Aristoteles distinguit Deum à studioso: Licetus confundit, volens, quòd Deus sit homo studiosus à virtute speculatiua.

4. Obseru. Explicatores Aristotelis per nomen *Dei* apud Aristotelem intellexere significari *Deum*, non hominem; sic Beati Thomas, & Bonauentura citati Recog. 62. Aphrodiseus scripsit. *Boni enim viri vim habent, vt res malas possint efficere: non faciunt tamen, quia nolunt. Communius autem loquutus est, cum dixit, Deos posse efficere res malas. Communius* nimirum iuxta communem vsum vulgi Dei nomen accepit.

Albertus Magnus ait, *Potest & secundum hanc potentiam, & Deus, & studiosus (hoc est virtuosus homo) praua agere:* & infra. *Deum dico secundum definitionem Deorum, qui nihil prauum velle potest; quia prauum velle non est potentia, sed impotentia, & defectus. Studiosum autem dico, qui nobilitate suæ honestatis nihil prauum vult secundum actum, potest tamen praua agere: eo quod (sicut dicit Damascenus) Omne creatum vertibile est secundum electionem, & voluntatem ad minus: increatum autem nullo modo est vertibile.* In quibus Alberti dictis timeo, ne menda irrepserit, dum ait; *Deum dico secundum definitionem Deorum, qui nihil prauum velle potest*. De vero Deo verum est, quòd nihil prauum velle potest: de Diis non item; nam & Iuppiter, & Mars, & Venus, & alii eiusdem farinæ multa praua, & perpetrare potuerunt, & perpetrarunt. Fortè legendum est, *Deum dico secundum definitionem Deorum, non Dei, qui nihil prauum velle potest*. Suessanus aliud legit in Alberto, quod in meo Alberti codice non est.

Suessanus enim scribit in Commentario super 4. Top. pag. 183. *Vtrum verò Deus possit praua agere, Aristoteles dicit, & Alexander probat, quoniam Deus potest bona agere, ergo & mala; quia oppositorum est vna potentia. Et si oc-*

curras: quoniam tunc Deus posset esse prauus; negarent consequentiam, qaoniam posse praua agere per electionem, hoc est, posse eligere praua, arguit, eum fieri posse prauum. Posse verò praua agere potentia communi, quæ est oppositorum, non facit, vt Deus. aliquando sit prauus. vnde Albertus concedere videtur, Deum posse praua agere, *non tamen praua velle: quoniam praua velle est impotentia potius, & defectus. Alij verò dicunt, Deum nec posse praua facere, nec velle praua facere, cum sit per essentiam optimum. Aristotelem verò intellexisse de Dijs gentium, quos posse praua agere, Poetæ affirmant, secundum quorum fortè morem Aristoteles hic loquutus est. Verùm ad theologica te remitto.* Petrus Tataretus in hanc vltimam sententiam subscribit dicens. *Et debet intelligi de illis Dijs, quos antiqui colebant.*

Tatar.

D. Dionysius Carthusianus in 3. sent. d. 12. q. 2. ex variis Doctoribus diuersas affert responsiones, & primam D. Thomæ relatam a nobis. Cui ad marginem annexum est *Verba illa Aristotelis vera sunt de Deo Aristotelico, nequaquam de Deo Christianorum.*

Secunda responsio allata est Alberti in 3. sent. vnde cognoscitur Alberti mens, quòd scilicet Deus non possit praua agere. Affertur responsio Rabbi Moysis, antea dicta.

Vdalricus exponit non de Deo substantialiter, sed per participationem pro homine studioso. Reprobat hoc ipse Carthusianus: quoniam si Philosophus intelligeret de Deo per participationem, non tàm absolutè nominaret Deum. Quare & verba Aristotelis, & communis expositorum sensus per Dei nomen Deum intelligit, cui malè Aristoteles tribuit posse mala agere. Peius Licetus ait, hoc fieri ab Aristotele sine errore; præsertim loquendo de his prauitatibus, fallere, & mentiri, & falsò crimina imponere. Certè Apostolus Heb. 6. 18. ait *Impossibile est mentiri Deum;* quare nec fallere, nec falli potest. Neque

falsò

falsò crimina imponere, dicente ad Rom. 3. eodem Apostolo. *Est autem Deus verax, omnis autem homo mendax.* & verſ. 5. *Nunquid iniquus eſt Deus, qui infert iram? (ſecundum hominem dico.) Abſit: alioquin quomodo iudicabit Deus hunc mundum?* Nam ſi Deus calumniatur, & propter peccatum falsò nobis impoſitum, iram infert: iam ipſe Deus eſt iniquus dupliciter, primò falſum crimen imponendo, ſecundò propter crimen falsò impoſitum, pęnam irrogando. Non igitur poſset eſse iudex mundi, qui tàm iniquus eſset. At eſt iudex mũdi, non ergo mentitur, falsò crimina imponens; neque poteſt hæc praua facere, de quibus Ariſtoteles, & Licetus.

Recognitio LXIV.

LIcetus volens oppoſitionem à Franciſco Suarez factam diſsoluere, vim facit inter praua, & prauè agere ſcribens.

Longè mihi aliud eſt, poſſe praua agere; quam poteſtatem ſine errore Deo tribuit Ariſtoteles; & aliud eſt poſſe prauè agere, ſeu poſſe prauè eligere, quam poteſtatem prauè agendi, ſeu prauè eligẽdi falsò dicit ipſe vir doctus, Ariſtotelẽ Deo tribuere. Licetus.

Duas verò poteſtates has, quæ confunduntur à Suarezio, multum inter ſe diſtare, conſtat apertiſſimè apud Ariſtotelem, qui alibi ſcribit, aliud eſſe iuſta agere, & iuſtè agere: quod agere iuſta valeant, qui iuſti nondum ſunt, ac proinde iuſtè non agunt. Citat Licetus Ariſtotelem 2. Ethi. cap. 4. *Dubitaret autem,* inquit Ariſtoteles, *quiſpiam, quomodo dicamus iuſtos iuſta agendo, temperantia temperantes effici oportere; nam ſi agunt iam iuſta, & temperantia, iuſti iam ſunt, & temperantes. Sicut ſi grammatica, & muſica, grammatici, & muſici iam ſunt. An neque in artibus ita res ſe habet; quippe quum poſſit grammaticum quippiam aliquis facere, vel ex fortuna, vel alio ſuggerente &c.* Quæ poſtea examinabi-

B 2 mus

mus recognoſcendo dicta in iſto textu. Concludit Licetus. *Sic igitur aliud eſt poſſe praua agere, quod tribuit Deo & homini probo philoſophus: & aliud eſt poſſe prauè agere, vel eligere prauè agere. Quod nunquam Deo, aut ſtudioſo, concedit Ariſtoteles.*

Suarez non citat falsò

Prima obſeruatio. Suarez inſimulatur, tanquam falsò citet Ariſtotelem. Non eſt ita, imò quæ citat in textu, veraciter citat: quæ de ſuo adiungit, infert tanquam conſequentia ex citatione: vt ſi Deus poteſt praua agere, & ſecundum electionem. ergo ſequitur, quòd Ariſtoteles concedit, Deum poſſe eligere, & prauè eligere. Si antecedens, & conſequens eſſent idem, poteſt praua, ergo poteſt praua: fieret petitio principii, probando idem per idem; quæ fallacia eſt à Suarez aliena. Arguit ergo, ſi Deus poteſt eligere, & agere praua: ergo poteſt prauè eligere. Negat conſequentiam iſtam Licetus, quoniam longè aliud eſt praua poſſe, & poſſe prauè. Et probat hanc ſuam diſtinctionem, quoniam aliud eſt *agere iuſta, & agere iuſtè.* Similiter, & poſſe agere iuſta diſtinguitur à poſſe agere iuſtè.

2. Top. loco 29.

Hìc primò probanda eſt conſequentia facta à Suarezio, viro in Logicis, atque Metaphyſicis probatiſſimo. Probatur conſequentia per 2. Top. loco 29. *Dicuntur autem coniugata huiuſmodi, vt iuſta, & iuſtus iuſtitiæ: & fortia, & fortis fortitudini. Similiter autem effectiua, & conſeruatiua, coniugata illi, cuius ſunt effectiua, & conſeruatiua; vt ſanatiua ſanitatis, habituatiua habitudinis, eodem autem modo, & in alijs: coniugata igitur talia dici ſolent.*

Caſus autem, vt iuſtè, & fortiter, & ſanatiuè, & habituatiuè, & quæcumque eodem modo dicuntur. Videntur autem, & quæ ſunt ſecundum caſus coniugata eſſe, vt iuſtè iuſtitiæ, & fortiter fortitudini.

Coniugata autem dicuntur ſecundum eandem coniugationem omnia, vt Iuſtitia, iuſtus, iuſtum, iuſtè. Manifeſtum igitur

tur, quoniam vno quouis ostenso eorum, quæ secundum eandem coniugationem dicuntur, vt bono, vel laudabili: & reliqua omnia ostensa, vt si iustitia est laudabilium, & iustè, iustus, iustum laudabilium.

Similia his de casibus, & coniugatis traduntur in 7.Top. loco 1.& 25.& 28.In 4.Top. loc.41.in 3.Top.cap.4. Document.4.& loco 50. Accipiatur pro maiore, quod dictum est in vltimo §.textus citati. *Ostenso vno coniugatorum, & reliqua omnia sunt ostensa.* Sed à prauitate tanquam à forma deriuantur prauus, prauum, prauè. Atque de Deo concedit Aristoteles, quòd Deus potest praua agere. Ergo concedere debet, quòd potest prauè agere: quòd potest esse prauus agens; atque praua eligens, & prauè eligens vti Suarez deducit declarando locum topicum 64.ex 4.Topic.per locum 29.2.Top.Si Deus potest praua agere, & eligere, ergo, & prauè potest.

Suarez rectè infert, malè Licet.

2 Non sunt aliud, & aliud *praua agere, & prauè agere,* quoniam omnia coniugata dicunt vnam formalitatem. Non ergo aliam, & aliam rationem formalem, quòd significat Licetus per *aliud* & *aliud,* Sed praua, & prauè dicunt alium, & alium modum eiusdem rationis formalis.

Licetus confundit rem cũ modo

3 Non ignorabat Suarez, quòd differunt aliquo modo praua, & prauè; sed sciebat ista duo spectare ad eandem coniugationem, & sese mutuò inferre iuxta dictum Aristotelis in Topicis frequentatum; ideò ex eo, quod est posse praua eligere, & agere, conclusit, posse prauè, & eligere, & agere.

Iurgabitur, qui cum omnibus iurgia exercet, Licetus, nam Aristoteles in 2.Ethic.cap.4. docet. Qui iusta agunt. non continuò iustè agere.

Respondeo pro Suarez, adducere inconueniens, non est soluere. Debuerat summus discipulorum Aristotelis hanc in Magistri sui dictis repugnantiam præuidere, & prouidere, ne gloriam Magistri obscuraret apparens contradictio.

Licetus pro Arist. non prouidit nõ vidit

Non

Non præuidit, non prouidit: quia nec vidit.

2. Obſeruatio. Rurſus praua agere, & prauè agere differunt, ſeu diſtant modicè, quia ſunt eiuſdem coniugationis, & ſe mutuò inferunt. Iuſta agere, & iuſtè agere: ſimiliter ſunt eiuſdem coniugationis, & ſe inferunt. Sed quia Suarez ex diſtantibus argumentatur: à Liceto reiicitur. Cum autem ipſe Licetus probat, quòd praua, & prauè agere differunt, ex eo quòd iuſta, & iuſtè agere differunt: argumentatur à maximè diſtantibus. Agere iuſta, & iuſtè pertinet ad virtutem iuſtitiæ: Agere praua, & prauè ad vitium, vt iniuſtitiam. Quamobrem Licetus ad probandum de vno contrario recurrit ad maximam diſtantiam alterius cõtrarij. Scribente Ariſtotele in 10. Metaph. 13. *Cum autem contingit inuicem differre, quæ differunt, & plus, & minus: eſt etiam quædam maxima differentia, & hanc dico contrarietatem*. Ergo multò magis reprehendendus eſt Licetus, qui argumentatur à maximè diſtantibus, quàm Suarez, qui arguit à minimè diſtantibus.

Præterea, Reſponſio Liceti non eſt ad propoſitum. Non enim quærimus, an agere praua, & agere prauè: aut an agere iuſta, & agere iuſtè ſint eadem, vel diſtincta. Nec item quærimus, an poſse praua, & poſse prauè, atque poſſe iuſta, & poſse iuſtè ſint eadem, vel diſtincta. Sed eſt diſputatio inita de ſubiecto, an idem ſubiectum, quod poteſt praua, poſſit etiam prauè agere. An ſubiectum, quòd poteſt iuſta, poſſit iuſtè agere. Certè ægrotare, & ſanari non ſunt eadem: neque poſse ægrotare, & poſse ſanari ſunt eadem. At verò ſubiectum, quod ægrotabile, aut ſanabile eſt, ſiue humor, ſiue ſanguis, vnum, idemque eſt cum 11. Metaph. ſum. 4. cap. 1. ac 3. phyſ. 10. Non ſequitur itaque, ſi poſse praua, & poſse prauè ſint diuerſa: quod in eodem ſubiecto eſse non poſſint. Quinimò Licetus ipſe aſserit, quòd idem homo poteſt prius agere iuſta, poſterius agere iuſtè. Hinc Suarez arripiet argumentum à ſimili ex dicto

Li-

Liceti: ſicut idem homo poteſt prius iuſta, poſterius iuſtè; ita poterit prius praua agere, poſterius prauè agere. atque ideò idem ſubiectum poteſt vtrunque: quare cum Deus, & ſtudioſus poſſint praua agere prius, poterunt etiam poſterius prauè agere. Inſuper ex 10. Metaph. 14. contraria ſunt in eodem genere, in eodem ſuſceptiuo, & ſub eadem potentia, quòd ſi contraria mediata ſint, tùm media, tùm extrema ſunt in eodem genere, & in eodem ſubiecto, quod mutatur ab extremo ad medium, à medio ad extremum, per 10. Metaph. tex. 22. 23. Nunc autem agere prauè, & agere iuſtè ſunt actus contrarii contrariorum habituum, puta iniuſtitiæ, & iuſtitiæ: quorum media ſunt poſse praua, poſse iuſta. Si igitur Deus poteſt praua, & prauorum hominum habet poteſtates fallendi, calumniãdi, furandi: poterit Deus, & ſtudioſus à medio ad extremum ire, ſcilicet ab agere praua, ad agere prauè. Quamobrem diſputando de identitate ſubiecti, in eodem ſubiecto poſsunt conuenire diuerſæ formæ, vel ſucceſſiuè, ſi repugnant, vel ſimul, ſi non repugnant. licet Licetus cum fallacia accidentis arguat, & reſpondeat de identitate, ac diuerſitate actuum, vel potentiarum ad actus: taceat de identitate ſubiecti, in quo, & actus, & potentiæ ad actus conueniunt, vel poſsunt conuenire.

2. Praua, & prauè agere ſunt quodãmodo diſtincta, propter quam diſtinctionem arguere ab vno ad alterum, non eſt petitio principij. Sunt tamen eiuſdem coniugationis per 2. Top. loc. 29. Vt propter hoc Suarez legitimè arguat. Arguit quidem à minimè diſtantibus, & reprehenditur à Liceto. Licetus autem ad probandum, quòd poſse praua, & poſse prauè diſtinguantur, confugit ad contrarium, ſcilicet ad iuſtitiam, cuius coniugata ſunt poſse iuſta, & iuſtè, ſcilicet arguit à maximè diſtantibus ſecundum 10. Metaph. 14 nec tamen vult reprehendi.

Denique arguo. De quolibet verum eſt affirmare, aut ne-

negare. Si Deus potest prauum agere, & praua talia, vt fallere, calumniari, furari, quæro. An posit ista agere iustè, an iniustè: rectè, aut non rectè? Si dicat iustè, dicit contra Aristotelem asserentem ista non posse benè fieri. Ergo nec iustè, nec rectè fieri possunt. Igitur Deus non potest ista nisi prauè agere, & prauè eligere, prout iure infert Suarez. non iure negat Licetus.

2. Ni cõ. c. 6.

3. Obseru. Ad hæc Licetus non benè discernit virtutem à vitio. Ad studiosè agendum multa requiruntur: ideò & difficilè est agere rectè, & recta; sed ad vitiosè, & vitiosa agenda facilis est via. Rectè Aristoteles in 6. Top. loc. 4. *Facilius, inquit, est quodlibet fecisse, quàm rectè fecisse.* Hinc in 2. Nicomac. cap. 5. car. 27. F. ostendit Aristoteles non esse sufficiens ad virtutem moralem dicere, vt quis vitet defectum, aut excessum, aut lætetur, & doleat magis, & minus. *Nam quando oportet, & ob quæ, & erga quos, & huius causa, & vt oportet hæc facere, medium est, atque optimum: id quod est ipsius virtutis,* & infrà. *Peccare multis modis possumus (malum enim est infiniti, vt Pythagorici coniectabant; bonum autem finiti) rectè agere vno verò modo tantùm licet: atque idcirco illud facile, hoc difficile est. Facilè siquidem est à Scopo aberrare, sicut ipsum attingere difficilè, ob id igitur excessus, & defectus vitij est, virtutis mediocritas. Nam*

Simpliciter bonus est, sed malus omnimodè.

Bonum est ex integra causa, malum ex singulis defectibus: quare bonitas moralis est integritas omnium circumstantiarum, quas recta ratio dictauerit debere inesse actui, vel agenti in eliciendo actu suo. Cum ergo Aristoteles in 2 ad Nicomachũ cap. 4. vt quis iustè agat, requirit, vt agens sit sciens, eligens, & ex habitu firmo agat: non debet Licetus ad hoc, vt quis prauè agat, & iniustè, tres conditiones requirere. nam ad prauè agendum non requiritur, vt homo sit iniustus, licet ad iustè agendum requiratur, vt sit iustus. Dicat hoc Aristoteles in 4. Eudem. cap. 4. car. 297. E.

Sed

Sed quoniam fieri potest, vt is, qui iniustè agit, nondum tamen sit iniustus: quibusnam iniustè factis, iam iniustus est in vnoquoque genere?

In 5.Nicom.cap.10. car.83.E. *Quoniam verò fieri potest, vt quis, licet iniustè agat; non tamen sit iniustus: qualianā iniustè facta quispiam committens in vnaquaque iniustitia iniustus continuò esse dicendus est? Fur ne? an adulter? an latro?* Sicut iustus dicitur ex habitu iustitiæ, sic & iniustus ex habitu iniustitiæ. Sed ad iustè agendum requiritur, vt agens sit iustus ex affectu firmo, idest ex habitu: at non requiritur ad iniustè agendum, vt sit iniustus ex habitu.

Sed in 4.Eudem.cap.6.car.300.F. *Vbi verò quis sciens læsit alterum, sed deliberatione non antegressa, iniustè factum est: exempli causa, quicunque, vel ab ira, vel ab alijs affectibus, quæ cum aut necessarij sint, aut naturales hominibus, accidunt; nam qui his impulsi lædunt alterum, & qui his peccant: iniuriam illi quidem faciunt, & hæc sunt iniustè facta, nondum tamen propter hæc iniusti, neque improbi sunt. Non enim malitiosè damnum illatum est. Cum autem consilio capto, & de industria, tùm & iniustus, & improbus est dicendus:* Ergo ex Aristotele iniustè agit etiam, qui non est iniustus: suntque tria per ordinem: primum est iniustum, & iniustè factum: secundum ex deliberatione, & electione iniustè factum: tertium sequitur ex his, vt homo sit iniustus, & improbus. Igitur homo est prauus, qui ex electione prauè, & iniustè agit. At in 6. Top. loco 64. Philosophus de tali agente loquitur, qui si ex electione agat, sit prauus; igitur sic agens ex electione, eligit iniustè, & prauè agere, vt rectè Suarez dixit.

Arguet Licetus, in 2.Ethic.cap.4.ad iustè agendum Aristoteles requirit, vt agens sit iustus ex habitu firmo. In his locis 5.Ethic.cap.10.& 4.Eudem.cap.4.5.6.minimè requirit vt iniustè agens sit iniustus. Ergo Aristoteles sibi contradiceret.

Respondeo. Serò sapiunt Phryges. Prius debuerat ista

conferre diligentissimus discipulorum Aristotelis, & Magistri dicta inter se collata, conciliare. Plus requiritur ad iustè agendum, quàm ad agendum iniustè. Ad agendum iustè præsupponitur, vt agens sit iustus ex habitu; ad agendũ iniustè non præsupponitur, vt sit iniustus. Sed si agat iniustè ex electione, fit agens improbus, iniustus, prauus. At hoc in sequenti recognitione, iterum

4. Obseru. Denique si Licetus considerauisset, quæ praua proponuntur in 4. Top. loco 64. cognouisset ea praua talia esse, vt eligi, & agi non possint, nisi prauè. Sunt enim quidam affectus, & actiones, in quibus excessus, ac defectus sunt mali, mediocritas est bona, & virtutis. Hinc possumus, & rectè, & prauè timere, vel pugnare: rectè, si iuxta medium virtutis: prauè, si cum excessu, vel defectu. At sunt quædam ita prauitati coniuncta, vt nunquam rectè fiant, sed semper non rectè, semper prauè, quia semper cum delicto. In 2. ad Nicomac. cap. 6. car. 28. D. *Neque tamen omnis actio, omnisque affectus mediocritatem admittit. Nonnulli enim sunt affectus, qui statim, vel ipso nomine cum prauitate implicantur: vt maleuolentia, impudentia, & inuidia: & item actiones, vt adulterium, furtum, homicidium. Omnia enim hæc, & huiuscemodi ita appellantur, quia non excessus ipsorum, aut defectus, sed ipsa mala sunt; vt nullo modo possit quispiam in ipsis rectè agere, sed peccare semper necesse sit: neque benè, aut non benè se gerat, dum quatenus, & quando, & quomodo oportet adulterium committit. Sed dum absolutè vnumquodque eorum facit, continuò peccet: perinde igitur est, ac si quis iniustè, ignauè, intemperanterque agendo, ponendam esse mediocritatem, excessumque; & defectum censeat &c.*

quæ non fiăt, nisi prauè.

In istis igitur, quæ semper malè, nunquam benè fiunt, vt iniustè, ignauè, intemperanter, collocatur furtum de quo in 4. Top. Sed deceptor, vt sophista est fure deterior. Fur aufert bona externa, & corporalia: deceptor fallit circa

ca verum in perfectione intellectus, circa bonum in perfectione voluntatis. Sed bona interna animæ sunt meliora externis, & corporeis bonis iuxta 7.polit.cap.1. Calumniator quoque offendit innocentiam, & virtutem personæ: honorē aufert: amicitiam, & publicam ad rectores ciuiles, & priuatas tollit: quandoque etiam, & vitam, & possessa. Quapropter decipere, calumniari, furari nunquam possunt agi, vel eligi iustè, sed semper iniustè, & prauè. Quocirca rectè Suarez attendens, quæ praua proponantur ab Aristotele, ex quibus, & praui iudicantur eligentes, & agentes; verè dixit Aristotelem non errare, quando posuit, quòd Deus potest eligere; sed errare, quando dixit, quòd potest prauè eligere. Nam talia praua, non possunt fieri nisi prauè: & non possunt fieri praui, nisi ex electione, & actione prauè elicita. Licet itaque non dicatur in textu vox *prauè eligere* formaliter, dicitur virtualiter. Si considerentur, quæ praua proponuntur ab Aristotele; & quomodo ex prauè, siue iniustè agere constituantur praui.

Suarez defenditur.

Recognitio LXV.

NVnc recognoscendus est textus à Liceto propositus ex lib.2.Ethic.cap.4.tametsi prolixus. *Dubitaret autem* inquit *quispiam, quomodo dicamus iustos iusta agēdo, temperātia temperantes effici oportere: nam si agunt iam iusta, & temperantia, iusti iam sunt, & temperantes; sicut si grammatica, & musica, grammatici, & musici iam sunt. An neque in artibus ita res se habet: quippe quum possit grammaticum quippiam aliquis facere, vel ex fortuna, vel alio suggerente: tunc tamen erit grammaticus, si & grammaticum aliquid, & grammaticè faciet; hoc est ex grammatica arte, quæ in ipso est. Præterea neque simile hoc est in artibus, & virtutibus: quæ enim ab artibus fiunt, id in se ipsis habent, quòd benè effecta sint. Satis siquidem illud est, vt quoquomodo efficiantur:*

Aristot.

tur: quæ verò ſecundum virtutes fiunt, non ſi aliquo modo ipſa ſeſe habeant, continuò iuſtè, & temperanter aguntur; ſed ſi etiam qui agit, aliquo modo affectus agat: primum quidem ſi ſciens, deinde ſi eligens, atque eligens propter ipſa: tertiò ſi ſtabili, atque immutabili affectu præditus agat. Hæc verò ad alias artes conſequendas connumerari non ſolent: ſed ipſa ſola cognitio ſufficit: ad virtutes autem cognitio parum, vel nihil valet: reliqua non parum, ſed multum, ac totum conferunt. quippe ex eo etiam comparentur, quod ſæpè iuſta, & temperantia aguntur. Res igitur iuſtæ, & temperantes dicuntur, cum fuerint tales, quales vir iuſtus, vel temperans ageret: iuſtus verò vir & temperans eſt, non qui hæc agit, ſed qui etiam ita agit, vt iuſti, & temperantes ſolent.

Prima obſeruatio. Licetus ex iſto textu, in quo dicitur diſcriminari agere iuſta, & iuſtè: vult concludere, quòd ſimiliter differunt agere praua, & prauè. Nec tamen ritè concludit, quoniam ad hoc, vt aliquis dicatur iuſtè agere præexigitur habitus iuſtitiæ, quo agens eſt iuſtus. Exemplum dat Ariſtoteles in artibus, nam in grammatica aliquis poſſet facere quippiam grammaticum, vel ex fortuna, vel alio ſuggerente; tunc tamen erit grammaticus, ſi & grammaticum aliquid, & grammaticè faciet: hoc eſt ex grammarica arte, quæ in ipſo eſt. Itaque Ariſtotele authore, qui habet in ſe artem grammaticam, & grammaticum quid, & grammaticè facit, agendo ſecundum artem. Ergo ad agendum grammaticè in agente requiritur ars grammatica; ſed ad agendum non grammaticè, non requiritur in agente oppoſitum, priuatiuè, aut poſitiuè ipſi grammaticæ: imò ſtante grammatica, agens poteſt agere non grammaticè, vel præter intentionem à fortuna, vel ex intentione, ſi ſciens, & volens contra regulas artis fecerit. Hoc Ariſtoteles in 2.phyſ.82.ſcripſit. *Peccatum autem fit, vt in ijs, quæ fiuat ſecundum artem. Scripſit enim non rectè grammaticus: & propinauit, non rectè medicus me-*

di-

dicamentum; quare manifestum est, quòd contingit, & in ijs, quæ secundum naturam fiunt. In per se agentibus, qui habent habitum artis, fit peccatum: vt grammaticus non grammaticè, medicus non medicè egit; in naturalibus agens præditum habitu naturali aliquando peccat, & non naturaliter agit. Sanè & grammaticus, & medicus contra regulas artis operari potest, vt 8.phys.8. Peccat voluntarius sciens, quando è contrario vtitur scientià. Sed medicus perniciosior est. nam si vel semel sciens, & volens propinet medicinam ad morbum, vel mortem: pęnas dabit grauissimas, si legitimè deprehendatur. Cęterum actiones grãmatici,&medici possunt fieri benè,&non benè. At praua illa, de quibus agitur in 4. Top. loco 64. nobis proposito &2.ad Nicomachum cap.6. non possunt, nisi malè fieri; quare si Deus potest talia praua, potest & prauè: Sicut etiam in 2. phys. 71. & 73. tùm agens physicum, tùm agens non physicum potest physicè mouere: sic agens iniustus, & agens non iniustus possunt non iustè agere, hoc est prauè agere.

2. Obseruatio. Licetus cum Aristotele tres conditiones exigit ad iustè agendum, nempè si agens, & sciens, & eligens, atque eligens propter ipsa: & si stabili, atque immutabili affectu præditus agat. Ad prauè agendum hæc eadem requirit Licetus, sed perperam: nam prauus est ignorans, & quo magis prauus ex habitu euadit, eo magis fit ignorans: vnde & prouerbium est, omnis malus ignorans. Secunda conditio quoque non est necessaria in praua agente, nam virtus, & actus virtutis propter se eligi potest ex 1. ad Nicomachum cap. 5. car. 9.E: sed nemo eligit malum propter se ipsum. Eligit quidem fur praua agere, & prauè, sed non propter se ipsum appetit hoc malum, sed propter bonum vtile. Sophista quoque appetit fallere, atque decipere, non propter se eligens hoc malum, sed propter gloriam, aut lucrum, Calumniator itidem non propter se amat falsò cri-

men

men imponere, ſed propter victoriam de aduerſario, & propter propriam ſecuritatem, nemo enim operatur ad malum aſpiciens.

Hæc ſi applicentur ad Deum, qui habet poteſtatem ad praua agenda, ſicut habent homo prauus, & homo ſtudioſus: quæro, propter quid Deus non poteſt prauè agere, aut quia non ſciens, aut quia non eligens: aut quia non ex firmo affectu, ſiue habitu. Si primum dicat, loquetur conſentanee ad conſiderata in Recognitione 35. pag. 39. in fine, quòd Deus non conſideret aliud à ſe, aliàs non idem prorſus eſſet intelligens, & quod intelligitur: ſed tamen hoc hoc non conſiſteret cum dictis de Deo Top. loco 64. Si ſecundum, quia non eligens praua agere propter ſe ipſa; hoc idem eſt verum, & de prauo, & de ſtudioſo homine, ſi praua, & prauè agant. Cum ergo poſſit homo prauus, & ſtudioſus, praua prauè agere, & eligere. Cur non & Deus? Certè eaſdem poteſtates prauorum dicit textus eſſe eligendas, quia tales potentiæ ſunt in Deo, & homine ſtudioſo. Si 3. quoniã Deus habeat firmum affectum ad iuſtè agere: idem affectus firmus ponitur in homine iuſto, & ſtudioſo agente iuſtè: quo non obſtante iuſtus poteſt non iuſtè, poteſt prauè agere,

Fortè autẽ Licetus non concedet hominẽ ſtudioſum poſſe praua agere, ſed per philoſophiam poſſe cauere omnia delicta. Dicit hoc Licetus quidem Cæterum id olet impietatem Pelagianam, quæ aſſerit hominem ſine Dei gratia poſſe cauere quodcunque peccatum, quod in Concilio Mileuitano damnatum eſt, & habetur de conſecratione diſt. 4. cap. vlt. Inde Scotus in 4. d. 46. q. 2. docet nos à nullo malo præſeruari, niſi per miſericordiam Dei pręſeruantem: à nullo releuari, niſi per miſericordiam liberantem. Sed Scotus idem in 1. Prologi ſcitè delineat tales philoſophos dicens. *Tenent enim philoſophi perfectionem naturæ, & negant perfectionem ſupernaturalem. Theologi verò cognoſcunt defectum*

natu-

naturæ, & necessitatem gratiæ, & perfectionum supernaturalium.

3. Obseruatio. Iustè agere æquiuocè accipitur, & inde Licetus hallucinatus est. Primò significat agere cõformiter ad rectam rationem: agere autẽ difformiter à recta ratione, est iniustè agere: Secundò significat perfectè agere. Etenim, qui à principio agit iusta iustè, fortia fortiter, temperantia temperanter: per tales actus frequenter elicitos, acquirit habitum iustitiæ, fortitudinis, temperantiæ. Postquam autem acquisiuit habitum, agit ex habitu actiones consimiles illis, per quas habitum acquisiuit. Verùm à principio, quando est sine habitu, cum labore, & tristitia agit, prout constat ex Aristotele in 2. de Anima 56. & 58. atque in 9. Metaph. 14. Postquam habitus est comparatus, iam, & facilè, & promptè, & expeditè, & delectabiliter agit, nimirùm sine habitu imperfectè, cum habitu perfectè; dicente Arist. 2. Nicomachum cap 2. car. 23. D. *Idem in virtutibus contingit: ex eo enim quod abstinemus à voluptatibus, efficimur temperantes, & effecti temperantes maximè abstinere à voluptatibus possumus: pari ratione in fortitudine, assuescendo formidanda contemnere, & sustinere, fortes efficimur, effecti verò maximè sustinere, ac pati terribilia possumus. Signum autem habituum sit, vel voluptas, vel ægritudo, quæ facta subsequitur.* Ità loquitur Aristoteles in 2. Ethic. à cap. 1. per multa capita, etiam in ipso cap. 4. vbi proponit, quomodo per actiones temperantiæ temperantes efficimur: & rememorat argumentum sophisticum in 9. Metaph. 14. quomodo aliquis exercet opus artis, vel virtutis, cum non habeat virtutem, vel artem: sic in cap. citato per Licetum. *Dubitaret autem quispiam, quomodo dicamus iustos iusta agendo, temperantia temperantes effici oportere; nam si agunt iam iusta, & temperantia, iusti iam sunt, & temperantes.* Quia verò actiones à principio sunt imperfectæ, & remissæ; ideò dicuntur homines agere iusta, & temperata, non tamen *Nicom.*

men

men iustè, & temperanter, quia nondum habent habitum virtutis acquisitum. Quando autem habent habitum, tunc agunt perfectè, & intensè, atque ideò dicuntur agere iustè, ac temperanter. Quamuis actus generatiui habituum, & actus generati ex habitibus sint eiusdem rationis specificæ, vt constat: alioqui actus discentis grammaticam, & actus ex grammatica acquisita non pertinerent ad eandem speciem, quod est absurdum.

Hunc esse Aristotelis sensum in isto textu, & ipsa connexio tractationis reuincit, & ait Scotus, (quem Licetus vocat meritò inclitum virum) in 1.d.17.q.2.sub N. vbi proponit 4. tale argumentum. *Dicit Philosophus 2. Ethic. quod non* *Cap.5.* *habens iustitiam, & si possit operari iusta, non tamen iustè, & ita de alijs actibus; bonitas autem moralis requirit operari iustè, vel fortiter, & sic de alijs. Ergo virtus est tale principium actus, inquantum bonus, quia sine ea non potest esse actus bonus.*

Respondet sub BB. *Ad aliud, quòd sine iustitia non potest quis operari iustè, dico; quod in primo actu, quando est dictamen rectum, generatiuum prudentiæ: & conformatur illi electio alicuius iusti. ibi non tantum operatur iustum, sed iustè opera eligens. Sed debet intelligi, quod non iustè sine iustitia operatur secundum omnem perfectionem, secundum quam possit aliquis iustè operari, quarum vna est delectabilitas, & facilitas in operanco, quod non competit potentiæ non habituatæ, sicut habituatæ.* Hæc Scotus. Vbi constat Aristotelem loqui de *1. Nico.* actu imperfecto elicito à potentia non habituata, scilicet *c.6.car.* elicito cum difficultate, & tristitia: & de actu perfecto eli- *51.A.* cito facilè, ac delectabiliter à potentia habituata. Itaque agere iustè, est agere perfectè, & agere iusta est agere imperfectè. Atq; in isto sensu loquitur textus à Liceto citatus, qui sensus non est ad propositum Suarezij. Quoniam in alio sensu etiam prima electio, qua quis eligit agere iustum est actio iusta, quæ conformis dictamini ipsius prudentiæ. Quamobrem

mobrem prima electio, & prima actio, qua quis vult iustum, est iustè elicita: atque ipsum primum agere iustum, est etiam iustè agere. Imò ipsum iustè agere ex habitu, dependet quodāmodo ex ipso iustè agere ante habitum. Quidquid enim est causa causæ, est causa causati; sed actus priores generant habitū, habitus generat actus posteriores, atq; adeò agerè iustè prius, est causa ipsius agere iustè posterius, hoc est pfectè. Igitur ex ipsis agere iusta, & iustè causatur habitus, causātur & actus agendi iusta, & iustè post habitum. Hunc sensum facilè cognoscet, qui legerit in secundo ad Nicom. cap. 1. *Accedit, quòd ex ijsdem, & per eadem omnis virtus, & acquiritur, & corrumpitur: simili modo etiam ars. ex eo enim quod citharam pulsant, & boni, & mali citharistæ euadunt. eadem ratione quoque ædificatores, & reliqui omnes; nam ex eo, quod ædificant benè, boni: ex eo quod malè, mali efficiuntur. Nisi enim ita esset, nullo opus esset doctore; sed omnes, vel boni fierent, vel mali, Ità igitur in virtutibus quoque est. agendo enim quæ ad commercia hominum spectant, alij iusti, alij iniusti efficimur: agendo, quæ in terribilibus rebus consistunt, assuescendoque, vel confidere, vel timere, alij fortes, vel ignaui euadimus: pari modo in ijs, quæ ad cupiditates, & iras pertinent, temperantes alij, & mansueti, alij iracundi, & intemperantes fieri conspiciuntur. Illi quod hoc, hi quod illo modo in illis se gerunt, & vt vno verbo dicam, ex similibus operationibus habitus fiunt; vnde operationes qualitate quadam præditas oportet reddere: quippe cum ex earum differētijs habitus quoque consequantur.* Comparatio in acquirendis habitibus est inter artem, & virtutem in duobus. Primò in re, sicut ædificando fiunt ædificatores, sic agendo temperatè fiunt temperantes. Secundò in modo, & qualitate ipsius actus, ex ædificare benè, vel malè fiunt ædificatores boni & mali: ita in qualitate actuum virtutis; si quis in commercijs iustè, vel iniustè agit: ex actibus iustis fit iustus, ex actibus iniustis fit improbus. Siquidem ex qualitate actuum generatur qualitas ha-

bituum. Quod ergo Aristoteles de agente perfectè tradidit: Licetus perperam transfert ad agere iustè, simpliciter. Quod est iustè in vno significato, non debuit æquiuocè applicari ad aliud significatum.

4. Obseru. postquam tractauimus, quomodo ex actibus iustè, vel iniustè agendi generetur habitus iustus, vel iniustus: ex ista veritate probandum est à Franc. Suarez rectè deduci, quòd si Deus potest agere, & eligere praua, etiam potest prauè eligere, & agere. Ex 9. Metaph. 7. & ex 8. Metaph. 6. *Hoc est possibile, cui si illius insit actus, cuius potentiam habere dicitur, nihil impossibile erit.* Quę maxima sic solet proferri, Possibili posito in esse, nullũ sequitur impossibile, *vt si possibile est hominem, qui sedet, stare: & hoc ponatur in esse, quod stet, ponitur quidem falsum; sed non sequitur impossibile. Si quis autem dicat aliquid esse possibile, quod nõ erit, id si non ponetur in esse*; reijcit hoc Aristoteles in 9. Metaph. tex. 8. scribens. *Si autem possibile est, quod dictum est, quatenus sequitur, manifestum est, quod non potest verum esse dicere: quod possibile quidem est hoc, non tamen erit. Alioqui, quænam impossibilia sint hoc modo, fugit nos.* Sensus est, quod nisi ponamus in esse id, quòd dicitur esse possibile: non habebimus regulam discernendi possibile ab impossibili. Dicet enim aduersarius, diametrum quadrati posse commensurari costæ, sed nunquam commensurabitur, nec debet dari in disputando, quòd commensuretur. Certè diametrum commensurari est impossibile; sed non ponendo in esse, defendetur tamquam possibile: ergo eodem modo defendetur esse possibile te stare, et diametrum commensurari; quare ne perdamus regulam discernendi, oportet, quòd proponitur vt possibile, ponere in esse. Sic enim ex posito, *te stare*, nihil sequitur impossibile: ex posito, *diametrum commensurari*, sequitur impossibile. Igitur *diametrum commensurari*, ex consequenti impossibili, cognoscimus esse impossibile; & ex non consequenti impossibili, ad *te stare* cognoscitur.

ſcitur *te ſtare* eſſe poſſibile.

Tũc argumẽtor. Si Deus poteſt praua agere, veluti ex electione fallere, & calumniari: ponatur in eſſe, vt Deus hęc praua eligat, & agat: ex hoc poſito, nihil ſequetur impoſſibile; atqui poſito, quòd Deus ſemel praua eligat, & agat: ex illo vnico agere praua non aufertur à Deo poteſtas agendi praua, nam actus ſecundus non deſtruit actum primum, præſertim in ſubſtantia incorruptibili: quinimmo vnus actus inducit diſpoſitionem ad alium ſimilem actum, vt ex frequentatis actibus fit habitus.

Vlterius tunc arguo. Quando aliquis ſciens, eligens, & ex habitu firmo agit praua: non ſolum praua agit, ſed etiam prauè, ſicut Licetus ait de ipſis agere iuſta, & iuſtè. Atqui poſitum eſt, quòd Deus elegit, & egit ſemel praua: & per illum actum eſt magis diſpoſitus ad agenda praua conſequenter, atque adeò ad agendum praua, ſciens, eligens, & ex habitu acquiſito per praua agere. Ergo Deus poteſt, & praua, & prauè agere, poteſt praua, & prauè eligere, vt Suarez benè inferebat, & Licetus malè negabat inferri.

Recognitio LXVI.

LIcetus lib. 2. de Pietate cap. 2. car. 105 probare intendit quòd Dei nomen ſignificet hominem: vt dictum, *Deus, & ſtudioſus poſſunt praua agere*, intelligat dictum ſic: *Homo, & ſtudioſus poteſt praua agere*. Cum igitur Ariſtoteles nominat *Deum*, vult dicere *hominem*; ſic Ariſtoteles in 1. Polit. cap. 2. profert de homine ſocietatem fugiente talia verba. *Qui autem in communi ſocietate nequit eſſe, quique nullius indiget propter ſufficientiam; nulla pars eſt ciuitatis: quare aut beſtia, aut Deus. Natura igitur omnibus ad huiuſmodi ſocietatem eſt appetitus.* *Ariſtot.*

Licetus. *Nimirum homo viuens hanc vitam mortalem, & vitans aliorum hominum ſocietatem ab Ariſtotele dicitur, aut beſtia, aut Deus. Beſtia, ſi fatuus fuerit, aut miſanthropos;*

Deus, si fuerit sapiens, ac eligens sibi vitam contemplatiuam in solitudine.

Prima obseruatio. In 2. Prior. Aristoteles docuit duas syllogismorum species, ostensiuum, & ad impossibile. In quorum formatione syllogismorum insumpsit capitula 11. 12. 13. In cap. 14. discrimen eorum affert, eò quod syllogismus ad impossibile ponit, quod vult tollere. Siquidem in syllogismo ad impossibile ponitur positio aduersarij (quasi sit inconueniens, sed occultũ) vt ex ipsa positione cum alia propositione manifestè vera, vel probata; concludatur incõueniens manifestum. Quo facto à negatione consequentis, vt absurdi manifestè, procedit ad negandum antecedens, quod erat inconueniens, sed occultum: itaque positum est antecedens aduersarii, vt ipsum negetur.

Sic in 1. Politicor. cap. 2. Aristoteles probare vult istã conclusionem: Omnis homo habet naturalem appetitum ad societatem ciuilem. Si ista conclusio non sit vera ex placito aduersarij, detur aliquis homo, qui non sit ordinatus naturaliter ad societatem ciuilem, & arguit ad impossibile. Si aliquis homo non sit naturaliter inclinatus ad societatem, hoc erit, aut quia ille non potest viuere in communi societate, aut quia nullius indiget propter sufficientiam. Si dicatur primum, sequitur, quòd ille erit bestia, quæ ferox non potest cum alijs viuere. Si detur secundum, ille erit Deus, Deus enim propter sufficientiam nullo indiget. At absurdum est, vt homo sit, vel bestia, vel Deus: ergo absurdum est, vt aliquis homo sit ad ciuilem societatem non ordinatus. Vera est igitur nostra conclusio. *Natura igitur omnibus ad huiusmodi societatem, est appetitus.*

Itaque quod Aristoteles infert tanquam consequens absurdum, vt homo sit Deus: Licetus accipit tanquam assertum ab Aristotele. Quod ab Aristotele negatur, à Liceto affirmatur.

Insuper Aristoteles reddit rationem, quare talis esset

Deus,

Deus, quia ſcilicet Deus nullius indiget, prout in 2. Magnorum, Moral. cap. 15. apparet; & à nobis eſt exploratum in Recognitione 35. car. 88. Licetus hanc rationem Ariſtotelis omiſit, quæ procedit ex ſufficientia; & nouam de Licetico capite conſtruxit, quæ procedit ex ſapientia, & electione, vitæ contemplatiuæ in ſolitudine: Veram rationem Ariſtotelis ſuppreſſit, propriam rationem Liceticam expreſſit. Nam ſic Licetus vult formare hominem, qui ſit Deus; non per rationem, vel affirmationem Ariſtotelis: ſed per corruptelam textus mutilando *ſufficientiam*, adijciendo *electionem contemplatiuam*. Ariſtoteles quippe ex deſtructione conſequentis intendit deſtruere antecedens, vt ſtatuat contradictorium antecedentis iſtud: Omnis homo eſt naturaliter animal ciuile, & ſociale, quod erat propoſitum Ariſtoteli in illo capite. Licetus nihil de propoſito Ariſtotelis agit, de proprio ſatagit propoſito. *Mutilat textum, & addit.*

Recognitio LXVII.

Licetus lib. 2. de Pietate cap. 2. car. 102. lin. 12. ſcribit. *Qua(ratione) tùm vitam, & felicitatem contemplatiuam conſtituit eſſe Dei propriam* (10. Ethic. cap. 7.) *aſſeueratque per eam reddi hominem Deo maximè cognatum*, ac 10. Ethic. cap. 8. *ſyngeneſtaton, ideſt congeneiſſimum, vt ita loquar, tùm proprietatem Dei eſſe decernit.*

Prima Obſeruatio. Licetus in 10. Ethic. cap. 7. tribuit Ariſtoteli iſtam propoſitionem. Vita, & felicitas contemplatiua eſt Dei propria. Ariſtoteles totum oppoſitum dicit, etenim probat, tùm vitam, tùm felicitatem ſpeculatiuam conuenire homini; ſi autem eſt communis Deo, & homini, certè non eſt Deo propria. Siquidem proprium eſt, quòd ſoli ineſt iuxta 1. Top. cap. 4. At felicitas contemplatiua non ſoli Deo, ſed etiam homini ineſt, ergo non eſt Dei propria. Legamus Ariſtotelem in 10. Ethic. cap. 7. loquen-

quentem de felicitate ſpeculatiua, quæ eſt operatio ſecundum optimam virtutem.

Ariſtot. *Nam operatio, quæ ex intellectu, eſt præſtantiſsima, aſsiduiſsima, iucundiſsima, ſufficientiſsima inter humanas operationes, optima, quia gratia ſui tantùm.*

Addit. *Ac talis quidem vita præſtantior eſſet, quàm homini conueniat; non enim quatenus homo eſt, ita viuet, ſed quatenus diuinum quid in ipſo ineſt.* Scilicet talis vita homini conuenit, non ratione compoſiti, ſed ratione intellectus, qui eſt in homine. Subiungit tamen Philoſophus eam felicitatem maximè conuenire homini, vt homo eſt. *Quod enim naturæ vniuſcuiuſque eſt accommodatum, id præſtantiſſimum, ac iucundiſſimum vnicuique eſt. ergo etiam homini vita, quæ ex intellectu traducitur: ſiquidem maximè id homo eſt, hæc igitur etiam feliciſsima eſt.*

Cum igitur felicitatem ſpeculatiuam homini Ariſtoteles communicet, citatio Liceti falſa eſt, quòd Ariſtoteles dicat, felicitatem ſpeculatiuam eſſe Deo propriam. doctrina quoq; eſt falſa, quod ſtatuat felicitatem ſpeculatiuam eſſe propriam, ſtatuit quippe eam eſſe communem. *10. Ethi. cap. 8.*

2. Obſeruatio. Citatio ſecunda Liceti eſt in 10. Ethic. cap. 8. vbi cum Ariſtotele docet ex contemplatiua felicitate hominem fieri Deo cognatum; quare ſecunda citatio eſt contraria primæ citationi. In 2. felicitas ſpeculatiua eſt quaſi commune genus Deo, & homini: & in prima citatione dicebatur, propria Deo. Felicitas ſpeculatiua eſt vtique communis Deo, & homini, aliter tamen. *Dÿs,* inquit textus, *beata eſt tota vita, hominibus autem eatenus, quatenus ſimilitudo quædam eiuſmodi operationis, (ſpeculationis) in ipſis ineſt. At cæterorum animalium nullum eſt felix, propterea quod contemplationis particeps nullo modo eſt; quouſque igitur prætenditur contemplatio, eouſque etiam felicitas ſe extendit.* Itaque bruta excluduntur à felicitate, quoniam excluduntur à contemplatione. Deis, & hominibus ineſt felicitas.

Deis

Deis semper, hominibus quandoque.

Hinc elucet, quàm sit efficax argumentũ Liceti, volentis probare, quòd homo sit Deus apud Aristotelem. Si enim aliqua duo sint congenea in omnibus superioribus generibus, ac etiam in proximo genere: non sequitur, vt vnum illorum sit, & dicatur aliud; veluti homo, & brutum conueniunt in generibus remotis, & proximo: nec tamen homo est, vel dicitur brutum, aut contra. Quin potius in tali argumento est fallacia consequentis, ex conuenientia in genere, ad conuenientiam in specie; ità sunt Deus, & homo in ratione vitæ speculatiuæ congenei maximè, nec tamen propterea Deus est, vel dicitur homo, aut homo Deus. Cumq; in 4. Top. loco 64. legamus *Deus, & studiosus potest praua agere*, per nomen Dei intelligit hominem, per nomen studiosi hominis intelliget Deum propter eandem congeneitatem: manebitque eadem difficultas, quomodo Deus potest praua agere, licet sit translatio ex vno nomine ad aliud. in textu erat de Deo. difficultas nunc erit de homine studioso, qui Deus est.

Postremò. Si textus 4. Top. intelligitur de homine, superflua erat inuectiua in Suarezium de vocibus praua prauè, iusta iustè, nam de homine nulla est difficultas, an possit & praua, & prauè.

Recognitio LXVIII.

IN lib. 2. de Pietate cap. 3. Licetus aliud significatum tribuit huic nomini Deus. Significari ait, Animam, intellectu, & voluntate præditam, solà ratione à corpore secretam. Per studiosum intelligit hominem, ex corpore, & anima aggregatum, & virtutibus ornatum. atque in hoc sensu censet Aristotelem esse loquutum, dum dixit. Potest Deus, & studiosus praua agere. Lege Licetum pag. 110. *Licetus probat.*

Prima Obseruatio. Probat ex alienis vt Cicerone, & Macro-

cro-

crobio, quòd anima sic accepta dicatur Deus. Sed hæc probatio est extranea à Peripato.

In pag. 108. Ex primo Metaph. sum. 2. cap. 2. de Aristotele ait, *Qui laudat antiquiores dicentes, Vt se habet Deus in mundo, sic sese habere intellectum in homine*. Non puto posse esse negligentiam magis supinā in declarando textu citato. Sic lego textum. *Quare qui vt in animalibus, ita in natura intellectum in esse causam mundi, totiusque ordinis dixerat, quasi sobrius comparatus ad Antiquiores vana dicentes apparuit. Istas autem rationes, qui palam attigit, Anaxagoram fuisse scimus*. Aristoteles improbat Antiquiores, vt potè vana dicentes: Licetus scribit, quod Aristoteles laudat Antiquiores. Item sententiam Anaxagoræ de intellectu causante mundum, & mundi ordinem: Licetus contra verba textus, & apertissimam veritatem, adscribit antiquioribus.

2. Obseruatio. Nomen *Deus* in textu non est, quamuis res sit: quia intellectus, qui est causa mundi, est Deus. Est ergo similitudo inter intellectum simpliciter, & naturam mundi; atque inter intellectum, & animalia, in quibus inest. Aristoteles ergo approbat similitudinem. At verò si aliqua duo sunt similia, non sequitur, quòd vnum sit aliud: semper enim in similibus cum similitudine est dissimilitudo ex 1. Top. cap. 14.

Quin in 5. Metaph. 21. Idem in substantia, æquale in quantitate, simile in qualitate attenditur. Quia igitur intellectus diuinus, & intellectus humanus sint similes; inferre, quòd intellectus humanus sit Deus, est fallacia figuræ dictionis ex commutatione prædicamentorum, qualitatis in substantiam.

3 Obseruatio. Asserere, quòd anima intellectiua, quæ ex Liceto pag. 110. de Pietate, est eadem cum intellectu, sit Deus: est renouare Alexandri opinionem, quòd intellectus agens sit Deus, & vnus intellectus in omnibus hominibus. Quæ opinio pernitiosa tanquam falsa in theologia, &

phi-

philoſophia in Conc.Later. ſub Leone X. damnatur ſeſſ.8. ſed Licetus non ſemel trāſgreditur illius Concilij ſanctionē.

4 Obſeruatio.Dum anima intellectiua dicitur eſſe Deus: ac totus homo ex anima, & corpore eſſe ſtudioſus:quoniam pars eſt minoris bonitatis, quàm totum: naſcitur opinio inopinabilis, dum enim Ariſtoteles ait: Deus, & ſtudioſus poteſt praua agere, Deus erit minoris entitatis, & bonitatis quàm ſtudioſus: tàm pulchrè exponitur textus.

Poſſent multæ diſſimilitudines oſtendi inter Deum, & intellectum humanum. Intellectus diuinus cauſat mūdum, intellectiua anima non efficit corpus hominis; imò præſuppoſito corpore apto ad recipiendum intellectiuam, intellectiua extrinſecus accedit: intellectus diuinus non informat corpus vniuerſi,anima intellectiua eſt forma informās: Nec plura. Satis eſt in textu citato eam dici ſimilem Deo, non Deum.

Recognitio LXIX.

LIcetus ad pag. 109. Ariſtoteles non ſemel hac ſignificatione tùm Dei nomen vſurpauit,tùm animæ intellectiuæ diuinitatem aſſignauit. In primis enim cum (2.Top. loc.19.)Xenocrates, Animam in corpore degentem nuncupat vniuſcuiuſque genium,his notis.

Similiter autem,& ingenioſum,cuius fuerit genius ſtudioſus: quemadmodum Xenocrates inquit,ingenioſum eum eſſe,qui animam ſortitus eſt ſtudioſam; ipſam enim eſſe cuique, genium. *Ariſtot.*

Licetus, Quem ſanè locum aptius interpretatur Gruchius,quàm Boethus, habet enim ita græcus Codex.(Græca litteris latinis imprimi curauit Licetus, & ſic tranſtulit.) Similiter autem,& felicem eum eſse, cui dæmon ſit bonus; quemadmodum Xenocrates,felicem,ait,eſse eum, cui animus bonus datus ſit: *Deum enim dæmonem eſſe cuique.*

An Boethus, vel Gruchius, vel Licetus melius tranſtulerit textum propoſitum à Liceto, non erit ab re conſiderare. *Veglenſis* Ariſtoteles in dicto loco 19. 2. Top. dat regulam transfe-

E ren-

rendi nomen in orationem: quæ regula magnopere valet ad claritatem, veluti si hoc nomen *Magnanimus* dicatur significare eum, qui magnum habet animum. Sic & vocabulum *Eudæmona* dicit esse eum, cui Dæmon sit *Spudæus* grecè: latinè studiosus.

Nunc referamus per ordinem expositiones.

Versio Boethi in 2. Top. loco 19.

Similiter autem & Ingeniosum, cuius fuerit genius studiosus: quemadmodum Xenocrates inquit, Ingeniosum eum esse, qui animam sortitus est studiosam: ipsam enim esse cuique genium.

Versio Gruchij

Itemque εὐδαίμονα *eum esse, cui dæmon sit bonus: quemadmodum Xenocrates,* εὐδαίμονα *ait esse eum, cui animus bonus datus sit: eum enim dæmona esse cuique.*

Versio Liceti.

Similiter autem, & felicem eum esse, cui Dæmon sit bonus: quemadmodum Xenocrates, felicem ait esse eum, cui animus bonus datus sit; eum enim dæmonem esse cuique.

Prima obseruatio. Licetus approbat Gruchium, neque sequitur intentionem Gruchij. Gruchius vocabulum *Eudæmona* latinè non reddidit, quia re vera ethymologia nominis græci non potest aptè latinè verti. ideò seruauit græcam vocem. Licetus noluit græcam vocem seruare, sed latinè vertit *felicem*. Boethus verò quia Dęmon latinè *Genius* appellatur (teste Liceto ex Apuleio, eadem pagina 109. de pietate Aristotelis) à genio formauit nomen *ingeniosus*, vt ingeniosus dicatur, cui genius sit studiosus. Sicut græcè dicitur, *cui Dæmon sit studiosus*. Gruchius autem, & nomē Eudæmona, & nomen Dæmon transferre noluit. Licetus neq; latinam industriam Boethi, neq; Gruchij græcam originem retinuit: sed ab vtroq; discors esse voluit. vt in neutra lingua appareret, qua ratione nomē transfertur in orationē.

2. Obseruatio. Licetus *Eudæmona* vertit *felicem*, nec aduertit æquiuocationem vocabuli græci. *Eudæmon* quippè

pe appellatur , & *felix*, & *fortunatus*. Felix actiuè sumitur, is enim est felix, qui actiuè elicit operationem secundum optimam virtutem c um 1. Nicom. cap. 7. & 9. neque quisquam est felix ob fortunam ex eodem lib. cap. 10. Fortunatus autem est etiam, qui non agit, sed vel passiue se habet, vel otiatur. In hoc autem textu 2. Top. loco 19. ait Xenocrates illum esse *Eudæmona*, cui datus sit animus bonus, ex versione Liceti. at agere est in eo, qui dat non in eo, cui datur anima, vel animus; datur nanque infantulo, quare falsò transfertur *felix*, vbi nulla actio recta elicitur ab Eudæmone.

3. Fideliter Boethus, quod Aristotelis est *Dæmon*, *spudæos*: & Xenocrates πευχυν σπουδαιαν transtulit spudęus. Spudæus sanè significat studiosum: reuera non significat bonum. vnde melius Boethus, quàm Gruchius, aut Licetus transtul it.

4. Aristoteles dixit Eudæmona, cui Dæmon est studiosus, non dixit animam, vel animum: Xenocratem tamen retulit dicentem, animam esse studiosam: ipsamque animam esse Dæmonem cuique. Fortè non sine ratione aliud Aristoteles ex se, aliud ex Xenocrate retulit.

5. *Psychyn* vertit Boethus *animam*, sicut in lib. de Anima tex. 1. & vbique anima Phychys vocatur, atque eius ethymologia redditur ab Aristotele in 1. de anima 35. Possumus considerare animam in genere, vel quasi genere communem ad vegetalem, sensualem, rationalem, & si fortè animus, & anima in homine coincidant; certè Boethus fideliter conuertit *animam*, quæ est quasi genus. Gruchius, & Licetus transferunt animum, an verè nescio: certè non fideliter verbum verbo reddiderunt pro *anima animum*, pro *spudæo bonum* scribentes.

6. Aristoteles dixit, cui Dæmon sit spudæus. Xenocrates, cui anima sit spudæa. Sed neque authores Aristoteles & Xenocrates: neque interpretes isti, Boethus, & Gruchus

asseruere, quòd anima, vel animus sit Deus. Vult probare Licetus, quòd Aristoteles nominet animam intellectricem vt Deum. Ergo Licetus non citat, quod est in textu; sed quod in suo cerebro est: falsam nimirum citationem corrogat ad falsam suam conclusionem probandam, istam scilicet: Aristoteles Dei nomen pro anima intellectiua vsurpauit.

7. Aristoteles cum Dæmone coniunxit studiosum, Xenocrates cum anima studiosum; quare Licetus separat ab anima, & Dæmone epithetum *studiosum*: quod epithetum Philosophi coniunxerunt? Callidè hoc facit, vt violenter textum discerpat, separando studiosum à Dæmone ab anima, in 2. Top. loco 19. quoniam hoc vtile est ad discerpendum quarti Topicorum locũ 64. in quo Aristoteles Deum à studioso separat. *Deus* inquit, *& studiosus potest praua agere*. Licetus volens per *animam* intelligere *Deum*, non vult animæ dare epithetum *studiosi*, ne confundat primum membrum, scilicet Deum studiosum cum secundo membro. Si enim studiosus est in primo membro, & studiosus in secundo ex 4. Top. iam primũ, & secundũ membrum non separãtur. At Licetus vult separare primũ à secundo. Tã multa errat in pauculis verbis textus, quid in alijs textibus prolixioribus?

8. Veruntamen concedamus, vt animus Liceti sit genius aut dæmõ, vti nunc Liceto placet. Sicut olim placuit eidem in lib. de 7. Quæsitis, quando scripsit, quòd intellectus agens animæ sit Angelus. pro vt annotatum est in obseruationibus contra Licetum lib. 5. errore 4. sit hoc ad placitum Iudaismi nouelli, vel nouellæ hæresis. Profectò etiam si darem, quòd anima sit Dæmon, nullatenus sequitur, vt Dæmon sit Deus. Loquar cum S. Augustino in 8. de ciuit. Dei cap. 14. Qui detexit vaframentum Apulei, prætitulantis *de Deo Socratis* librum, qui erat de *Dæmone Socratis*. Augustinus ita scribit *Apuleius non erubuit, vt de Deo Socratis prænotaret librum, quem secundum suam disputationem, qua Deos à Dæmonibus tam diligenter, copioseque discernit, non appellare*

de

de Deo, sed de Dæmone Socratis debuit. Maluit autem hoc in ipsa disputatione, quàm in titulo libri ponere. ità enim per sanam doctrinam, quæ humanis rebus illuxit, omnes, vel penè omnes Dæmonum nomen exhorrent, vt quisquis ante disputationem Apulei, qua dæmonum dignitas commendatur, titulum libri de dæmone Socratis legeret, nequaquam illum hominem sanum fuisse sentiret. Itaque nomen Dei nequaquam dæmoni, vel animæ competit. Textus græcus 2. Top. loco 19. vocauit animam dæmonem ad aures Xenocratis. Dei tamen nomen Aristoteles, nec homini, nec animæ hominis loco citato 2. Top. largitus est, & falsò citatur textus.

Recognitio LXX.

LIcetus lib. 2. de Pietate cap. 3. car. 109. probat, quòd Aristoteles animam rationalem, quamdiu est in corpore appellat diuinam, & etiam Deum.

Diuinam quidem, tùm vbi agens de partium animæ humanæ coniunctione cum corpore conceptus in vtero 2. de Gener. Anim. scribit: restat igitur, vt meas sola extrinsecus accedat, eaque sola diuina sit: nihil enim cum eius actione communicat actio corporalis. *Licetus*

Tum vbi comparans hominem cum alijs animalibus infit (4. de partibus animal cap. 10.) *Solus enim animalium omnium erectus est homo, quoniam eius natura, atque substantia diuina est; officium autem diuini est intelligere, atque sapere: quod non facilè esset, si vasta corporis moles assideret, pondus enim tardiorem reddit, & mentem, & sensum communem.*

Citat item 10. Ethic. cap. 7. *Si igitur ex actionibus, quæ secundum virtutem fiunt, bellicæ & ciuiles pulcritudine &c.* prolixè. *Ad rem sint ista. Ac talis quidem vita (speculatiua) præstantior esset, quàm homini conueniat: non enim quatenus homo est, sed quatenus diuinum quid in ipso est.* Et infra. *Si igitur intellectus diuinum quid est, si ad hominem respiciamus:*

sic

sic vita, quæ ex intellectu traducitur, si humanæ comparetur diuina etiam ipsa est. Hæc ex Aristotele, Licetus splendidè adiungit dicens. *Dei ergo nomine sæpius Aristoteles egit de humano intellectu, quatenus in corpore degens habet operationem sibi propriam.*

Prima Obseruatio. Duo proposuit ad probandum; primum, anima rationalis in corpore degens ab Aristotele appellatur *diuina*. Secundum, appellatur *Deus*. Et in fine, quoniam Licetus probandum assumpserat Dei nomen fuisse animæ datum: ideò tanquam probatum colligit. *Dei ergo nomine Aristoteles intellectum humanum &c.* Expende, prudens lector tres textus citatos; in eis nanque, nec *Dei* nomen leges: tantum abest, vt sit animæ humanæ, vel menti humanę Dei nomen atributum. In textibus Aristoteles animam intellectricem diuinam esse dixit, Deum esse non dixit; sed Licetus, quod proposuit, non probauit.

Secunda Obseru. De nomine *diuini* quid significet apud Aristotelem, egi in mea Vestigat. *6.* num. 58. *59. 60.* quibus locis attuli textus istos 2. de Generat. Animalium, & 4. de Partibus animal. cap. 10. ad num. 58. Nam tertiam authoritatem ex 10. Ethic. cap. 7. & 8. ad aliud reseruaui sub nu. 117. Ibidem sub nu. *59.* ostendi nomen *diuinus* vix vnquam ab Aristotele Deo esse datum, nisi cum addito aliquo. *Diuinum* enim, vel *diuinus* significat ex duobus comparatis, id quod est præstantius, & in 7. ad Nicomac. cap. 1. *Homines* dicuntur *diuini*, qui virtutem heroicam feritati oppositam habent, vt ex aliorum dictis Aristoteles docet: Homines fieri diuinos ob excellentiam virtutis, & cum Laconibus ob raritatem virtutis vir *diuinus* dicitur.

In 2. de partib. Animal. cap. 10. Homo ex animalibus cognitis, vel solus, vel maximè *diuinitatis* est particeps. 3. de Generat. animal. cap. 10. de cognatis cum ape *Sed defuit his naturæ locuples dotatio. nihil enim, vt apum genus habent diuitatis. Sic in 2. de Cælo 17. Cælum corpus diuinum appellatur,*

tur, quia præcellit subcælestibus. In 2. de Generat. Animal. cap. 3. Corpus animabile *diuinius* elementis, in 1. Phys. 81. Forma *diuinum* appellatur respectu materiæ. Id quod frequens est in Aristotele. Sed animam, & mentem, diuinam vocari præter textus à Liceto allatos dixi cum Aristotele in 1. Magnorum Moralium cap. 2. *Honore, inquit, dignum huiusmodi dico, quod diuinum, quod melius: vt anima, mensque est.* Igitur animam intellectiuam diuinam nuncupari ab Aristotele concedo, & probaui: Deum nuncupari non concedo, quoniam Licetus non probauit.

Recognitio LXXI.

LIcetus in lib. 2. de Pietate pag. 110. lin. 9. scribit. *Qui quidem intellectus humanus cum voluntate realiter est vnum, differunt enim sola ratione, quod ex Aristotele constat intellectui functionem voluntatis atribuente, quæ 3. de Anima 53. iussio est.*

Grandis est controuersia inter Peripateticos, an potentię animæ differant inter se, & ab anima realiter, an formaliter. presertim verò de intellectu, & voluntate accuratè disputant inter se Thomistę, ac Scotistæ. Licetus tantorum iudex sapientum, vel arbiter soluit controuersiam vnico textu Aristotelis allato ex 3. de Anima 53. Quoniam iussio, est functio voluntatis, & eadem tribuitur intellectui: igitur cum intellectus, & voluntas eandem functionem habeant, sunt re vna & eadem potentia, & sola ratione differunt,

Prima Obseruatio. Licetus in 1. de Pietate cap. 1. ex Aristotele ait. *Deum imperare non iubendo;* quam authoritatem in Recognitione 16. examinauimus. Authoritas est in cap. vlt. ad Eudemum, dum Philosophus principem duplicem statuit. *Is autem, inquit Philosophus, duplex est, aliter enim medicina, aliter sanitas imperat: & huic illa destinatur. Sic & in contemplatiuis principatus habet. Neque enim iubendo*

do Deus imperat, sed cuius gratia prudẽtia est. Igitur in Deo nõ est actus iubendi, siue iussio per textum à Liceto probat um in primo lib. de Pietate Aristotelis. Si ergo per textum 3. de Anima 53. nunc citatum, iussio concludit, vt sint idem intellectus, & voluntas, argumentor: In quo non est vnquam actus, in eo nec est potentia: frustra enim est potentia, quæ non reducitur ad actum, vt in 1. de cælo 32. *frustra est calceamentum, cuius non est calceatio*. Igitur in Deo non erit intellectus, aut voluntas, in quo non est iussio, siue functio intellectus, aut voluntatis. At ista conclusio repugnat Liceto, ponẽti in lib. 1. de Pietate c. 6. in Deo voluntatẽ liberam.

Nec oportet cauillari, quòd potentia esse possit aliquando sine actu, nam ex primo ad Nicomachum. cap. 13. Sapiens, & ignarus, dum dormiunt, sunt æquales, neuter enim agit secundum virtutem; cum tamen sine dubio sapiens habeat potentiam naturalem, imò & acquisitam, quæ est habitus, ad actus studiosos. Nam potentia est, quæ aliquando saltem potest reduci ad actum: sed in Deo per textum citatum in vlt. ad Eudemum, nunquam est iussio, aut esse potest. Sic enim in speculatiuis propositiones sunt necessariæ, & vniuersales. Dicere igitur Deus non imperat iubendo, est dicere, quòd Deus non potest iubendo imperare. In quocumque igitur impossibilis est actus pro quouis signo durationis, in eo non est potentia.

2. Obseruatio. Si præter iussionem, intellectus habet aliquem actum secundum, qui non conueniat voluntati, vtpotè intelligere speculatiuum, quod non est iubere; qui actus intelligendi non conuenit voluntati: tunc ex conuenientia voluntatis, & intellectus in iussione, arguere ad identitatem intellectus, & voluntatis est fallacia consequentis, à conuenientia in vno communi ad propria; sicut intellectus, & sensus conueniunt in actu cognoscendi, sed differunt sentire, & intelligere cum 2. de Anima 152. & sequentibus. quare stante conuenientia in communi cognitione,

tione, differunt ſenſus, & intellectus per proprias operationes: ſicut appetitus ſenſitiuus, & intellectiuus, qui eſt voluntas, conueniunt in ratione communi obiecti appetibilis, & in actu communi, hoc eſt in appetitione. Nec propter hoc appetitus ſenſitiuus, & intellectiuus ſunt idem re, & ratione differunt.

Similiter voluntas, præter iuſſionem, aliquem alium actum habet, vt in 3. ad Nicomachum cap. 4. car. 37. F. Appetitus intellectiuus habet duos actus ſecundos, voluntatem, & electionem; voluntas eſt circa finem, electio circa entia ad finem: voluntas eſt etiam impoſſibilium, electio poſſibilium tantùm. Voluntas etiã de cõſtitutis in poteſtate aliena, electio de conſtitutis in poteſtate propria ſolùm. Iuſſio autem non eſt de impoſſibilibus, nec de ſitis in poteſtate aliena. Qui tres actus non conueniunt intellectui. In 6. Nicomac. cap. 2. *Tria*, inquit Ariſtoteles, *ſunt, quæ in anima actionis, & veritatis dominium habent: ſenſus, intellectus, & appetitus; ſed ex his ſenſus nullius principium actionis eſt, id quod perſpicuum eſt ex eo, quod beſtiæ ſenſum cum habeant, actionis participes minimè ſunt. Quod verò in cogitatione eſt affirmatio, & negatio: eſt idem in appetitu perſequutio, & fuga. Quare cum moralis virtus, habitus electiuus ſit, electio verò conſultatrix appetitio: propterea oportet, ſi modò electio proba eſt, vt & ratio ſit vera, & appetitus rectus: & eadem & illa dicat, & hic perſequatur*: Reſtat, quòd ratio affirmat & negat: appetitus nequaquam: ratio nec perſequitur, nec fugit, appetitus vtique: ratio eſt vera, appetitus rectus, & rectificatus à ratione. Denique ratio iubet dicendo, appetitus iubet perſequendo.

Conuenit vtique intellectui iubere vt, in 3. de Anima 53. *Intellectus propter futurum retrahere iubet*. In 1. Metaph. cap. 2. Non præcipitur ſapienti, ſed ſapiẽs præcipit. In primo Magnor. Moral. cap. vlt. car. 212. B. *Rectè verò ita, & iuxta rectam rationem: ita inquam, ſicut recta iuſſerit ratio, ita agat*.

F Iube-

Iubere itaque, conuenit intellectui. ex concessu Liceti, conuenit voluntati, sed longe diuersa ratione. Consulamus 9. Metaph. 10. Cum enim in agente rationali tres concurrant potentiæ: agens rationale potest sequi, scientiam actiuam, vel factiuam: potest etiam sequi oppositum; quia eadem est scientia oppositorum, sicut medicina est sani, & ægri. *quid igitur, simulnè faciet contraria. Hoc verò impossibile &c. necesse est igitur aliud quidam esse, quod dominetur: dico autem, siue appetitum, siue electionem; quodcumque enim appetat principaliter. hoc faciet.* similia dicuntur in eodem lib. text. 12. Quare intellectus iubet per modum consultoris, et indeterminatè ad opposita. voluntas per modum dominantis, & regis determinat, & facit, quod vult, quando vult, quomodo vult. Quando Aristoteles inquit, necesse est *aliud quiddam*, esse, quod dominetur, docet voluntatē esse *aliud* ab intellectu, & alio modo iubere. Si iussio esset vnus actus, & vno modo elicitus, ab intellectu, & voluntate: haberet quandam apparentiam ratio Liceti. Sed nec vnicus tantùm est actus ambarum potentiarum, nec vnico modo elicitus. vnde non rectè concluditur, intellectus & voluntas esse idem re, & sola ratione differre. Etenim differre possunt, vel realiter vel formaliter ex parte rei.

3. Obseruatio. Ex ipso 3. de Anima, constiterit, intellectum, & appetitum differre, non sola ratione. à text. 40. exorditur philosophus de gradu animæ motiuo. In tex. 48. secundum apparentiam duo proponit mouentia progressiuè, intellectum, & appetitum. In text. 50. id corrigit, atque ait, intellectum non mouere, sed appetitum quia si duo mouerent, vtique secundum communem formam mouerent: quare vnum posset mouere sine alio, vt intellectus sine appetitu, quod falsum est. appetitus autem mouet sine intellectu, imò contra intellectum aliquando. quod autem est principium reale mouens progressiuè, & quòd non est principium mouens; nec habet in se formam, qua moueat

profectò non sunt idem formaliter à parte rei, cum non habeant eandem formam.

Ad hæc text. 53. appetitus sunt contrarij ad inuicem, videlicet cum ratio iubet propter futurum retrahere, concupiscentia propter bonum præsens prosequi optat; sed appetitus rationalis consentit intellectui, & est contrarius concupiscentiæ. de qua pugna duplicis appetitus sensualis, & rationalis in text. 58. Illud autem, quod non habet contrarium, non differt sola ratione ab eo, quod contrarium habet in re; sed intellectus non habet contrarium; appetitus rationalis, idest voluntas habet contrarium appetitum, nimirum concupiscentiam, ergo voluntas, & intellectus non differunt sola ratione. Plura suo loco, ac tempore.

Neque isthæc scripsi, quasi velim decidere disputationem hanc inter doctissimos Aristotelis asseclas. tantùm dico, Licetum leui argumento voluisse decernere, quòd intellectus, & voluntas sint idem re: cum Aristoteles in 9. Metaph. dicat hæc esse aliud.

Recognitio LXXII.

Licetus car. 110. cap. 4. Cæterum Dei nomen ab Aristotele, alijsque priscis, quin, & à sacris theologis, & à diuina pagina conceditur etiam Animis hominum à corpore separatis. Aristoteles enim asserit homines ob virtutis excellentiam fieri 7. Ethic. cap. 1. Deos, & Herculem proinde vita defunctum euasisse 7. Eudem. cap. 15. Deum.

1. Obseruatio. In lib. 1. de Pietate Aristotelis cap. 2. à pag. 2. ad 33. Deum vnicum ab Aristotele assertum, asserit Licetus; sic in Recognitione 61. cum Aristoteles profert *Deos* in plurali, Licetus cum corruptela transformat plurale in singulare. Nunc tandem concedit ab Aristotele fuisse plures Deos positos, nempè quia homines fiunt dij, & in particulari Herculem. Sed ne pigeat Licetum, proponentem primum caput. 7. Ethic. legere sexti Ethic. tres vltimas

lineas. *Simile præterea illud est, si quis ciuilem, propterea quod, de omnibus præcipit, quæ in ciuitate sunt, dijs præesse, ac dominari etiam diceret.* De talibus Dijs præcepto ciuilis facultatis factos, vel fictos, Aristotelē asserere, eos Deos esse, concedo; sed sicut impossibile est, vt homines faciant Deos: ita impossibile est, vt ficti illi Dij sint verè Dij: cū tales Dij sint ex errore, vel hominum, qui decipiunt, vel qui decepti sunt: de quibus verè dicimus, *Dij gentium dæmonia.*

2. Obseruatio. Ascribamus textum in 7. Ethic. cap. 1. *Quod si ex hominibus, sicut dicunt, ob virtutis excellentiam diuini efficiuntur: huiusmodi quidam scilicet esse habitus, qui feritati opponitur. nam sicut bestiæ, neque vitium est, neque virtus, ita neque Dei; sed hæc præstantius quid virtute, illa diuersum quoddam à vitio genus est.* Hæc Aristoteles. In qua sententia Licetus non animaduertit *dictum populare*, & *dictum philosophicum* Aristotelis. *Sicut dicunt* scilicet alij, quod homines fiunt Dij ob virtutem, & excellentiam virtutis. Sed Aristotelis dictum philosophicum est, Deum non habere virtutem, sed quid virtute præcellentius. Vah, quod est alienum, tribuit Aristoteli: quod est Aristotelis placitum, prætermittit, & ex alienis placitis probat, quòd homines fiunt Dij. Sed hoc non erat propositum probare de homine; propositum enim erat probare, quòd animæ separatæ à corpore fierēt Dij, vel significarētur nomine Dei.

3. Obseruatio. Quanquam si quærerem à Liceto, vnde probet, quod non homines illos appellarent Deos, sed animas hominum defunctorum? nescio, vnde hoc probaret; nam in 7. Eudem. cap. 15. Neque vocula est de Hercule, quòd anima Herculis post mortem Herculis, esset Deus; sed tantùm reperio, quòd mater Herculis mallet eum esse Deum, quàm Euristei mercenarium. An autem post mortem tantùm esset Deus: An item post obitum duntaxat desineret esse mercenarius Euristei, non liquet in textu.

4. Obseruatio. Illud quærendum à Liceto: erat ne omni-

nibus illis populis nota immortalitas animorum, nec ne? Percontandum etiam, an putarent illi populi, animas defunctorũ de rebus nostris esse conscias, vel sollicitas, aut nostrę felicitatis, vel infelicitatis participes? Nam Arist. in 1. Nicomac. cap. 11. car. 15. A. B. Ambiguè de mortuis loquitur: quo pacto loquutus non est esset si apud populos animorum immortalitas explorata fuisset. Ita Philosophus illic. *Nunquid igitur neq; alius quispiã homo, quoad vixit, felix dicendus est, sed ex sententia Solonis finem spectare oportet? Siq; ita statuendum est, felix ne tunc erit aliquis, vbi mortuus fuerit?*

An hoc absurdum penitus est, præsertim apud nos, qui felicitatem operationem quandam esse dicimus. Ex quo loco in mortuis Aristoteles non ponit felicitatem, quia neque operationem; sed plura in illo libro, quæ fortè sunt de toto composito, non de anima separata. Nunc huic digressioni non est locus, sed recognitioni locorum Aristotelis à doctissimo Liceto propositorum.

Recognitio LXXIII.

IN lib. 2. de Pietate cap. 5. probare vellet Licetus, Dæmonem Dei nomine esse significatum in 4. Top. loco 64. quando dixit Arist. *Deus potest praua agere.* Dei nomen tributum fuisse dæmonibus, Dijsque gentilium ab Aristotele probat, producto textu. 3. de Histor. animal. cap. 20. vbi refert Idoli, fortassis Apollinis, responsum de capro lac habente his verbis. *Maribus magna ex parte, nec bestijs, nec hominibus gignitur lac; fieri tamen potest, vt aliquibus interdum gignatur; nam, & in Lemno insula, capro ex mammis, quas geminas iuxta genitale gerit, tantùm lactis emulgebatur, vt colostra inde conficerent. quod idem etiam proli masculi capri illius euenisse accepimus. Sed hæc ostentis annumeranda potius ducunt, nam & Lemnio illi pecoris domino consulenti Deus, amplius incrementum futurum respondit.*

Imò, & 2. Mag. Moral. cap. 18. Aristoteles accipit pro

vna,

vna, & eadem re Deum,& Dæmonium.

Subiungit Licetus in pag. 113. lin. 3. Dæmones autem posse praua agere,quis ibit inficiat? Aristoteles itaque nunc, vt etiam alias, 2. Mag. Moral. 2. Dei nomine Dæmonem intelligens dum ait, Deum posse praua agere, sententiam profert veritati consentaneam.

1. Obser. Principiò animaduerto,ab Aristotele in 4. Top. loco 64. per Dei nomen non intelligi dæmonme: in cuius rei gratiam singillatim propositiones in textu positas afferã.

Propos. prima *Potest, & Deus, & studiosus praua agere.*

2 *Non sunt autem praui.*

3 *Nam omnes praui secundum electionem dicuntur.*

4 *Prauorum potestates sunt eligendæ.*

5 *Eo quod Deum, & studiosum habere eas dicimus*

6 *Non erit potestas vituperabilis, nec vituperanda: absurdum enim oppositum.*

Notetur secunda propositio. Si per nomen Dei significatur dæmon: erit iste sensus, *Dæmon non est prauus.* qui sensus est manifestè hæreticus: dumque Licetus cupit liberare Aristot. ab impietate,eum impietati hæreticæ astringit.

Tertia propos. similiter sensum heræticum includit, nam omnes praui secundum electionem dicuntur. Deus non est prauus ex Aristotele. Ergo Deus Aristotelicus, non dicitur secundum electionem prauus. Enuntia de dæmone, quòd non eligat praua, & quod secundum electionem non agat praua;propositio est hæretica:imò dæmon ex electione agit praua in textu memorata, videlicet decipere,fallere, calumniari, mentiri. Ergo hæc praua iuxta Liceti expositionem dæmon non eligit, non agit ex electione.

3. Per Licetum, Deus potest praua agere, non prauè: vti dicebat aduersus Suarezium. An non est & hoc hæreticum dicere, dæmonem non posse agere prauè?

4. Quid requiritur,ad iustè,& prauè agere iuxta dictũ Liceti in cap. 1. secundi de Pietate? Requiritur,vt agens sit sciens,

ſit eligens, ſit ſtabili, & immutabili affectu agens. Si Deus non poteſt prauè agere, vt Licetus in citato cap. 1. contra Suarezium contendit: iam dæmon non erit eligens ex ſtabili, & immutabili affectu praua agere. Et hæc eſt noua hereſis, qua aſſeritur, dæmon poſſe mutari affectu, à prauitate & ſecundum rem, & ſecundum modum agendi prauè in contrarium, ſcilicet in probitatem.

Quarta propoſ. Poteſtas dæmonis, qua poteſt agere praua, eſt eligenda; & non vituperabilis ex propoſitione ſexta. Cuius ratio redditur, quia Deus (nēpe dęmō) eā habet. vbi duplex eſt cōſideratio. prima, poteſtas prauè agēdi in dęmone, eſt voce potentia, re impotentia: ſiquidē poſſe praua agere, & eligere eſt poſſe deficere à rectitudine: at poſſe deficere à rectitudine non eſt eligendum, ſed vituperandum.

2. Conſideratio, quæ poteſtas eſt in Deo, eſt eligenda. Sed poteſtas prauorum eſt in Deo, ergo poteſtas prauorum eſt eligenda. Talis ratio eſt erecta ex colligatione 4. & 5. propoſitionis. In qua ratione ſi conſideretur maior, & intelligatur de vero Deo, eſt concedenda; ſi verò intelligatur de dæmone, eſt apertè neganda. Tam multis modis impietates, & errores impingit Ariſtoteli & eius textui controuerſo Licetus, dum nititur Ariſtotelem ab errore eximere.

2. Obſeruatio. De nomine *Deus* aut loquemur ſecundum veritatem, aut ſecundum Ariſtotelem. Deus nanque ſecundum veritatem trifariam accipitur *naturaliter, participatiuè, nuncupatiuè*. Deus ex natura eſt vnicus, & ſolus verus Deus. Deus participatiuè eſt multiplex iuxta participationem donorum ſupernaturalium, vel gratiæ, vel poteſtatis, vel reuelationis.

Deus ex nuncupatione conuenit Idolis vt ligno, vel auro: vt homini repręſentato per idola: vt dæmoni in idolo præſidenti: de quibus eſt illud dictum: *Omnes Dij gentium Dæmonia*. Secundum Ariſtotelem aliter. Nam Ariſtoteles de vero Deo vniuocè accepto exiſtimauit ipſum non eſſe

vnum,

vnum, ſed multos: ita cum Gentilibus, cum quibus teneba t
Deum Lemnium, prout citat Licetus ex 3. de Hiſtor. cap. 20.

3. Obſeruatio. Ex lib. 2. Magn. Moral. producit duo capitula. Licetus primò decimum octauum, deinde ſecundum. in quibus dicitur Dei nomine, dæmonem intelligi, atque Deum, & dæmonem pro eadem re accipi.

Animus exarſit cupiditate explorandi, an citationes veraces, an fallaces ſint, Licetus citat ſecundi libri cap. 18. ſed in eo libro adſunt decem, & ſeptem capitula tantùm. Legi tamen duo poſtrema capitula, & nihil reperi ad propoſitum. Citat libri ſecundi caput ſecundum. Legi primum, & ſecundum, ac nihil reperi. Quid? legerem ne totum illum tàm prolixum, tàm difficilem, & ſi pulcherrimum librum ad inueniendas duas lineas à Liceto productas? Planè, & labore, & iactura temporis, & alijs occupationibus deterrebar. Inſonante tamen B. Hieronymo illud Saluſtianum: labor improbus omnia vincit. Totum librum 2. Magn. Moral. ab Ariſtotele compoſitum relegi. O fruſtrata ſpes, o labor inanis. Vnum ex tribus neceſſe eſt affirmare: Aut ſcilicet in meo libro errore Typographi aliquam partem deeſſe: aut me legere, vel intelligere ſcripta in 2. libro nequiuiſſe. aut denique Licetum fallaciter, & quidem bis citauiſſe. Itaque cum hę duæ authoritates ſint fundamentum quinti capituli in 2. de Pietate; fundamentum ruinoſæ doctrinæ corruit.

Opinabar Licetum erga ſingularem Magiſtrum ſibi delectum, in legendo ſummè attentum, in penetrando ſumme acutum, in exponendo ſummè ſincerum, in citando ſummè veracem; falſam fuiſſe meam opinionem, & ſi pigeat, & pudeat, deprehendo.

Recognitio LXXIV.

Licetus lib. 2. de Pietate cap. 6. pag. 113. ſcribit. *Præterea verò Dei nomen Ariſtoteles non rarò tribuit ſecundis*

dis intelligentijs infra summum Deum; tùm supra cælos omnes, ac (1. *cæli* 100. 10. *Ethic. cap.* 8.) *extra mundum sensibilem degentibus vitam beatissimam.*

Tùm celestia corpora (1. cæli. 22. & 2. cæli 2. 14. & 12. Metaph. 50.) mouentibus.

Tùm etiam vbique (1. de Part. cap. 5. 1. Politic. cap. 1. 7. Politic. cap. 14.) locorum in mundo degentibus. Quod apertè testatur (1. cæli com. text. 32.) Piccolomineus, inquiens, *Censeo Aristotelem dicentem: Deus, & natura nihil frustra faciunt, suo more nomine Dei denotare vniuersum genus separatarum mentium, quarum caput est Deus.* Sic in 8. Physicorum, & in 12. Metaphysicæ, ea quæ protulit de primo motore, dicit debere intelligi, de vniuerso genere separatarum mentium.

Prima Obseruatio. in mea Vestigat. 4. constitui ex intentione Aristotelis multos esse Deos: vnum supremum, alios ei subordinatos. Licetus in 1. de Pietate cap. 2. contra me voluit, quòd Aristoteles vnum duntaxat Deum constituit, deorumque multitudinem sit detestatus. Ast in hoc 2. de Pietate cap. 6. nunc relato, asseuerat idem Licetus Aristoteli esse multos Deos, vnum summum, reliquos inferiores, supra cælestes, cælestes, sub cælestes. En pietatem, quam construebat, destruit; quem destruebat impietatem, construet pro Aristotele.

2. Obseru. Neque in hoc tantùm minus constans videtur Licetus. Etenim In libro 1. de Pietate textum 1. de cælo 22. attulit ad probandũ (vt Recog. 13.) ab Aristot. creditã fuisse istam propositionem *Deus est.* Nunc in 2. lib. cap. 6. pereundẽ textũ, quo probauit Deum esse, probat, intelligẽtias supra celos infra Deũ, esse illos Deos in 1. de celo 22 significatos. *Inconstantia prima.*

2. Cum textu 1. de cælo 32. in 1. de Pietate pag. 1. Deum verum indicari Licetus vult per illud dictum: *Deus nihil facit frustra.* Nunc in 2. de Pietate cap. 6. Deus non significat in illo textu Deum verum, sed genus Deorum. *Secunda.*

Tertia. Cum 1. de cęlo 100. intelligentias supra cælum, infra Deũ (in lib. 1. pag. 36. de Pietate, Recognit. 42.) Trinitatem personarum diuinarum vult intelligi. Consequitur grande absurdum. Intelligentiæ illæ supra cælestes possunt praua, & prauè agere ex isto cap. 6. libri 2. de Pietate. Sed intelligentię illæ supra cælestes sunt tres diuinæ personæ, Pater, Filius, & Spiritus sanctus ex 1. lib. de Pietate pag. 36. Ergo Pater, Filius, & Spiritus sanctus possunt praua, & prauè agere. Heu blasphemiam horribilem, & contra Spiritum sanctum.

Quarta. Cum 12. Metaph. & 8. Physic. citationes odiosè longas retexuit probando, vnum esse Deum in cap. 2. libri 1. de Pietate. Nunc in cap. 6. libri 2. per easdem probat indicari totum genus mentium separatarum.

Quinta. Cum 12. Metaphys. 50. prætendit ab Aristotele refutari eos, qui motores cælorum Deos nominant; quod annotatum est in Recognit. 32. ad pag 73. & 75. Nunc in lib. 2. cap. 6. quod negauit, affirmat; scilicet ab Aristotele Deos intelligi esse motores cælorum. Si Aristoteles in istis locis duo significata sibi aduersantia in eodem textu, & vocabulo coniunxit: sophistica æquiuocatione est abusus. Si verò non, nisi vnum significatùm Aristoteles voluit: inconstans est Licetus, qui multa illi significata vt inconstanti attribuit.

3. Obseruat. Aristoteles in 12. Metaphys. tex. 47. & 48. numerum determinatum mouentium separatorum ponit: de qua multitudine loquitur Piccolomineus nunc à Liceto citatus. Licetus autem de Dijs supercælestibus, vel subcælestibus, nulla Philosophi authoritate, multitudinem determinatam docet, vel docere potest. Aristoteles non vult indeterminatam multitudinem, discipulus Aristotelis prorsus indeterminatam relinquit deorum multitudinem.

4. Obseruat. Licetus excogitauit intelligentias, hoc est Deos, triplicis naturæ, supercęlestes, cælestes, subcęlestes. In libro tamen de septimo Quæsitis pag. 86. lin. 30. pag.

87. lin. 10. Licetus inuexit duas Angelorum naturas, alij quippe assistunt orbibus, alij ministrant. Intelligentias, & Angelos esse idem asseuerat Licetus ferè toto cap. 6. lib. 2. de Pietate. Restat, vt intelligentiarum naturæ tres sint, vna quidem assistens, & mouens cælestes orbes, alia extra, & supra orbes. tertia verò infra cæli orbes, Quomodo autem intelligentiarum possint esse naturæ, & duæ, & tres, Licetus viderit. Ego interim in Recognit. 36. ad pag. 101. reieci propositionem istam Liceti asserentem, Angelos, & intelligentias esse idem.

5 Obseruat. Si nomen *Deus* Deo summo & intelligentijs super cælos, in cælis, sub cælis commune est. Quam ob causam Licetus noluit in 4. Top. loco 64. per nomen Dei Deum summum accipere? In 4. Metaph. 2. & in 12. Metaph. 2. & sæpè alibi fundatur regula: nomen analogum absolutè prolatum stat pro primo, & famoso significato. Dei autem nomē est commune analogum, primò & simpliciter conueniens Deo summo, & primo; cæteris Deis per atributionem ad primum. Ergo prolato Dei nomine absolutè, intelligendus est Deus summus, & primus deorum. Iam verò in 4. Topic. loco 64. à parte subiecti ponitur nomen *Deus* absolutè, & quidem bis. Primo quidem sic. *Potest enim & Deus, & studiosus praua* agere. secundò, nam *prauorum potestates eligendæ, eo quod Deum, & studiosum habere dicimus eas.* An Liceti regula est, scribere contra regulam?

Si Licetus susceptum officium defendendæ pietatis Aristotelicę cupiebat implere, debuerat probare, tùm quod sūmus Deus in isto text. 4. Top. non significaretur, etiā si hoc dicere, esset contra regulam: tùm quòd per nomen Deus intelligerētur supercælestes, cęlestes, subcęlestes Dij minores.

6. Obseruat. Intelligentię istę Dei nomine à Liceto propositę sunt supercælestes; nam de his exponit in eodem cap. 6. 2. de Pietate pag. 113. illud ex 10. Ethic. cap. 8. *Dijs enim beata est tota vita.* Atqui Aristoteles in illo cap. 8. remouet

ab illis Dijs, & agere, & facere. relinquit autem eis ipsum contemplari solummodo, en textum. *At Deos viuere omnes existimant, quare etiam operari, non enim, vt de Endimione dicitur, dormire eos oportet; ei igitur, qui viuit: & actione, & effectione item caret, præter contemplationem quid restat? Quare Dei operatio, cum beatitudine excellat, contemplatiua vtique erit.* Inde argumentor.

In quocumque non est *agere*, in eo non est posse agere praua, aut praue: iusta, aut iuste. In Dijs autem non est *agere*, aut *facere* per 10. Ethic. cap. 8. vbi actiones omnium virtutum moralium denegantur Dijs. Ergo in istis Dijs non est agere praua, siue praue. Neque refert; si dicas; in Dijs non est agere praua, sed est posse agere. Differunt enim agere, & posse agere, sicut actus, & potentia.

Non refert inquam, nam ad placitum Aristotelis, Dij sunt beati ab æterno & in æternum: & à beatitudine intrasmutabiles sunt Dij extra cælum iuxta text. 100. 1. de cælo. Sed & motores orbium cum 12. Metaphys. 43. & 44. sunt per se immobiles. Si autem à potentia ad actum transire possent, vtique essent mobiles, & mutabiles à potentia in actum. Itaque nec in eis est agere praua, nec posse praua agere. Si verò vt Aristotelica recipitur illa sententia 3. Physicorum 32. *Posse ab ipso esse nihil differt in perpetuis:* superuacaneum est distinguere in Dijs esse, & posse, quorum beatitudo perpetua est. In quibusdam Angelis, & aliquando potentia ad agere praua, & praue est ad actum reducta, quod Licetus in citato cap. 6. 2. lib. de Pietate scripsit. Vbi autem hoc Aristoteles scripserit, non dixit. Non enim probat ex Aristotele, Angelos sanctos vocatos esse Deos. Probat ex Platone, ac Theologis, sed extra rem. Probat ex Eugubino Angelos esse intelligentias supercælestes. sed non ex Aristotele. Probat ex Alberto, præstanti quidem Peripatetico, per Dei nomen intelligi Angelum in 4. Top. loco 64. Albertus profectò nec nominat Angelos, nec intelligit.

ait

ait autem Albertus *Deum dico, qui nihil prauum velle potest: quia prauum velle non est potentia, sed impotentia & defectus.* Albertus *Deum* nominat, non intelligentias, vel Angelos. Deum nominat, qui non potest praua velle; quia nullus est in eo defectus; posse praua velle est defectus. Angeli verò multi defecerunt praua, & prauè volendo, omnesque ex sui natura potuerunt praua, & prauè velle. Quæ de gratia & gloria supernaturalibus Licetus ex arat non sunt Aristoteli cognita, scripta, dicta. Illa particula Alberti, *secundum definitionem Deorum* obscurat sensum; nam si de vero Deo sit sermo, Deos dicere non possumus. Si de falsis Dijs, illis non conuenit ista conditio, vt non possint velle praua, sed iam ante hoc annotatum est Recognitione. 63 obseru. 4.

Recognitio LXXV.

Licetus lib. 2. de Pietate pag. 117. lin. 3. ante vltimam scripsit. *Aristoteles, cui non fit vniuersale vllum, sed solum singulare:* produxit pro dicto proposito Licetus.

1 de Gener. text. 40.
7 Metaphys. text. 39.
12 Metaphys. tex. 18.

Lucubremus tertiam hanc citationem. In 12. Metaph. 18. agit Aristoteles aduersus Platonem, qui vniuersalia separata à singularibus inuexit. Contra inquit Aristoteles: *Manifestum itaque est, quòd per hæc non oportet ideas esse; homo nanque hominem generat, singularis aliquem. similiter etiam in artibus.* Alexander Alensis in eum textum ait. *Non est necesse ponere ideas propter generationem: homo enim generat hominem, sicut singularem hominem singularis homo. Quasi dicat ad generandum sufficit ponere hominem sensibilem, & non oportet ponere hominem intelligibilem, & idealem.* Vniuersale consueuit distingui, ante rem, in re, post rem. Vniuersale ante rem est vniuersale separatum perpetuò à singularibus, quale

le Plato ponebat: atque hoc vniuerſale frequenter ab Ariſtotele reijcitur. Tale vniuerſale, nec generat, nec generatur, nec facit, nec fit. Vniuerſale in re eſt natura communis in ſingularibus poſita, vt in Sorte, & Callia: Sortes habet ſuam ſingularitatem diuerſam à ſingularitate Calliç, ſed humanitas eadem eſt in multis, & de multis, vt in Sorte, & de Sorte, & Callia. In 2. Phyſic. 38. docet Ariſtoteles, vniuerſalium cauſas eſſe vniuerſales, ſingularium ſingulares: vt ſtatuarius ſtatuæ, hic huiuſce eſt cauſa. Item in 12. Metaphyſ. 27. docet vniuerſalia in ſingularibus: vniuerſale præter ſingularia reprobat Veruntamen ſcribit. *Eorum quoque, quæ in eadem ſpecie ſunt, ſunt diuerſa (principia) non ſpecie; ſed quoniam, quæ ſingularium aliud, & tua materia, & forma, & quod mouet: & forma, ac mea materia. Vniuerſali verò ratione eadem.*

Sed aſſerere vniuerſalia non eſſe cauſas, vel cauſata eſt ſcientiam deſtruere. In 1. Poſt. 182. *Per ſenſum non eſt ſcire, quia ſenſus eſt ſingularium actu, ſcientia vniuerſalium.* Et in text. 183. *Vniuerſale autem honoratum eſt, quoniam ſignificat cauſam.* Si autem vniuerſale non facit, nec fit: ſcientia de vniuerſali cauſa, & cauſato deſtruitur, quia ſcire eſt cognoſcere cauſam, propter quam res eſt 1. Poſt. 7. Vniuerſale poſt rem, vel in ſpecie intelligibili virtualiter, vel in actu intelligendi actualiter, vel in habitu acquiſito ex actibus intelligendi habitualiter refulget, & fit ab anima rationali. atque hæc ſunt pro prima intentione. Sic & vniuerſale pro ſecunda intentione fit ab anima, nec benè Licetus negat vniuerſale fieri, quod tàm multis in ſignificatis fit: neque caſtè loquitur dicens, Ariſtoteli non fit vllum vniuerſale, ſed ſolùm ſingulare. Quia, & vniuerſale in ſingulari, & ſingulare cum vniuerſali fit. quinimò natura communis eſt ratio prima agendi, & primus terminus intentus per actionem, dicente Ariſtotele in 2. de Anima 34. *Naturaliſſimum eſt in viuentibus &c. facere quale ipſum, animal quidem animal,*

mal,

mal, plantã autem plantã, vt ipso semper, & diuino participent, secundum quod possunt: Omnia enim illud appetunt, & illius causa agunt omnia, quæcunque agunt secundum naturam. Neque assimilatio, & permanentia potest esse secundum numerum, sed secundum speciem, gratia cuius conseruandę generatio est à Deo instututa per 2. de Generat. 60. non itaque solùm singulare fit, sed principaliter vniuersale in singulari intenditur, species vtique, non singulare intenditur.

Secunda citatio corrogatur à 7. Metaph. 35. inquo textu non est ista propositio, vniuersale non fit. *Homo verò, & æquus, & quæ ita se habent in singularibus sunt, vniuersale verò substantia non est, sed totum quoddam ex hac ratione & hac materia tanquam vniuersale. Singulare verò ex vltima materia, iam Socrates est*. Asserit vniuersale esse in singularibus: quòd vniuersale non fiat, est additio Liceti. Cum autem textus ait, vniuersale non est substantia, sed totum quoddam: accipit vniuersale totum, quod non est substantia; idest non est forma ex Alensi, & Aragonio. Vniuersale verò vt homo constat ex materia vniuersali, & forma vniuersale. singulare item, vt hic homo ex hac materia, quę vltima est, & ex hac forma recepta in vltima materia, constat.

Prima citatio. In 2. de Gener. 40. *Quoniam autem vniuersale quidem, non generatur, quæmadmodum nec animal, quod nec homo, nec aliquod est singularium, sed vt hic vniuersale. ita, & illic quantum*. Licetus Magistri sui est indiligens obseruator; non ait Aristoteles, vniuersale non generatur sine addito, sed cum addito: non generatur vniuersale, quod non sit species, vel singulare. Nempè vniuersale separatum quod Platoni placebat, nec generat, nec generatur. Sed vniuersale in singularibus, & generat, & generatur, nec potest generari vniuersale sine singulari aliquo, nec singulare sine vniuersali: quamuis ipsum vniuersale possit, & generari, & conseruari sine singularibus multis, & pridem corruptis, & postea generandis. Vna enim natura specifica, retenta

tenta quidditate, & vnitate sua, perseuerat in multis singularibus, quanquam singularia neque secundum entitatem suam, neque secundum vnitatem maneant.

Denique Aristoteles ait, vniuersale non generatur, quod non sit aliquod singularium: ergo inferre, nullum vniuersale sit, est fallacia à secundum quid ad simpliciter.

Recognitio LXXVI.

IN 2. libro de Pietate cap. 8. pag. 119. Aristotelem, inquit Licetus, Dei nomine praua agere valentis intelligere potuisse cælum. Cælum ab Aristotele appellari Deum, concedo, & in primo lib. Recognit. ad pag. 30. est comprobatum per 2. de cælo 17. & 8. Phys. 64. Mirorque, quòd Licetus in pag. 113. hoc significatum nominis *Deus* prætermiserit, quod probabiliter ostenditur per citatos textus.

Licetus non contentus veris citationibus adaggerat falsam ex lib. 1. de Anima 77. Aristoteles ibi aduersus Empedoclem disputat, volentem, quòd cognoscens in se habeat simplicia principia, & per principia cognoscat alia. Principia secundum Empedoclem sunt, ignis, aer, aqua, terra, & item concordia, atq; discordia. Itaque anima per terram in se existentem cognoscit terram extrapositam, & per ignem intra, ignem extra. Tunc Aristoteles insurgit. *Ex quibus igitur est vnumquoaque horum sit ea cognoscere animam, & sentire, sed compositum, quo cognoscet aut sentiet, vt quòd Deus, aut homo, aut caro, aut os: similiter, autem, & quodlibet aliud compositorum?* Quasi dicat omne cognoscibile, aut est simplex, aut compositum: Empedocles quidem tradit, quo anima cognoscit simplicia, vt igne ignem, terra terram. Sed non docet, quo anima cognoscat composita, puta Deum, puta hominum.

Neque miretur lector, si Deum Aristoteles recenset inter composita. Etenim Empedocles dicebat, Deum esse composi-

positum ex quatuor elementis, atque ex amicitia, seu concordia: nam in componendo Deum, discordiam, seu litem non inducebat.

Propterea in eadem disputatione ad text. 81. aduersus Empedoclem arguit Philosophus, quòd composita mortalia sint composita ex omnibus principijs: vnde anima cognoscat omnia. Deus verò sit insipientissimus, qui solus ignoret discordiam, quia ex discordia non est compositus. Adduco textum. *Accidet autem, & Empedocli, insipientissimum esse Deum, solus enim elementorum vnum non cognoscet, ipsam discordiam. mortalia autem omnia, ex omnibus enim vnumquodque.*

Hunc sensum Aristoteles in 3 Metaph. 15. resonat indagando, an eadem sint principia rerum corruptibilium, & incorruptibilium: reiectisque quorundam placitis, de Empedocle subijcit. *Empedocles nanque, quem quis maximè sibi ipse putaret consona dicere, his quoque idem passus est; ponit enim quoddam principium corruptionis causam, contentionem. Nihilominus tamen, & hæc videbitur generare, præter Deum. dicit enim.*

Ex quibus omnia, quæ erant: quæ sunt, quæque in posterum erunt.

Ac arbores pullularunt, & viri, & mulieres,
Feræ, alitesque, & pisces in aqua nutriti,
Ac Dij longeui. &c.

At etiam absque his patet. Nam si non inesset in rebus contentio, vnum omnia (vt ait) essent. Cum enim conueniunt, tunc extima statuitur contentio: vnde & accidit ei, felicissimum Deum minus sapientem cæteris esse: non enim cognoscit omnia elementa. Contentionem nanque non habet: cognitio autem similis simili.

Terra enim, ait, terram inspicimus &c. Cernimus ex istorũ collatione textuum, quidnam per Dei nomen intelligat Aristoteles, nempe, *Deum Empedoclis* ex quinque principijs

compositum: cælum autem apud Aristotelem non est compositum ex elementis quinque: non ergo per nomen Dei in istis textibus citatis, Aristoteles intellexit cælum. At Licetus asserit non posse nomine Dei ab Aristotele intelligi, nisi cælum. Oraculum diceres assertionem discipuli de magistro: si cum aliqua probatione, si cum aliqua textuum excussione loqueretur.

Recognitio LXXVII.

Licetus probaturus Dei nomine cælum significari pag. 119. proponit. *Insuper dum (8. Metaph. text. 31.) alibi scribit. Sic est vniuersale, vt multa continens, eoquod de singulis prædicatur, & vnum omnia sunt singula, vt homo, æquus, Deus, quoniam omnia animalia.*

Ignosce, candide Lector. In 8. Metaph. Licetus citat textum 31. in quo libro non sunt nisi sexdecim textus. Sed Antonius Andreas in 5. Metaph. super text. 31. exarauit. *Notandum, quòd sicut dictum fuit in 1. lib. & etiam in 3. aliqui antiqui posuerunt corpora cælestia, puta Solem, & Lunam, & alias stellas, esse corpora animata, & quosdam Deos. Alij dixerunt, vt Platonici esse quædam animalia, & dæmones appellabant, & vt* [a] *Dij quidem colebant. Alij autem ponebant quosdam homines deificatos, & esse eiusdem speciei cum hominibus sensibilibus, incorruptibiles tamen, & perpetuos, quos Deos appellabant. Horum autem opinione vtitur philosophus hic, non curans de exemplo computans Deum inter animalia.* Hæc Aragonius.

l. [a] *Deos quosdã.*

Dei nomen in citato textu tria potest habere significata, cælum, dæmones, deificatos homines. Si ex tali nomine ad vnum significatum argumentetur Licetus, incurret sophisma, vel æquiuocationis, vel consequentis, vel vtrunque.

Reco-

Recognitio LXXVIII.

IN eadem pag. 119. lin. penult. Licetus probare volens nomine cæli significari Deum, inquit, *Et alio loco (14. Metaph. text. 3.) oportet autem, vt mensura semper idem cum omnibus sit, veluti si equus mensura equis, & si homo hominibus: quòd si homo, equus, & Deus animal; numerus eorum fortassis animal erit.* Dei vocabulo nil potest, nisi cælum significare quod in animatorum genere collocauit, & homini comparauit.

Corrigatur mendum in fine textus citati, *fortassis animal erit:* legatur, *fortassis animalia erit.* Oportet enim, vt quæ sunt connumerabilia, vel commensurabilia, in vna ratione communi conueniant, secundum quam numerentur, & mensurentur. sic animalia mensurantur animali, & equi equo, homines homine. Legatur 4. Physic. text. 133. Licetus ergo per Dei nomen ait, in textu citato non posse significari, nisi cælum. Qua ratione probat, non posse significari nisi cælum? Nulla. solet enim dicere multa, probare pauca.

Nonne in 12. Metaphys. 39. scribitur, Deum esse optimum animal, & sempiternum? Hoc de Deo summo, si Liceto credimus, dictum est. Ergo non modò cælum, sed etiam Deus summus est animal, quare Deus summus erit mensura animalium.

Nonne ex Antonio Andrea Recognitione præcedenti tria significata vocis *Deus* allata sunt. vt quodlibet illorum in isto textu 14. Metaphys. possit intelligi?

Nonne, Liceto authore, septem res valde diuersæ, vt cap. 8. docet, per Dei nomen significantur? Quodlibet illorum significatorum accipi potest ad explanandum, quem Licetus proposuit, textum, nisi aliud compellat nos dicere, per nomen Dei cælum significari. Planè cælum, & si ab Aristotele dicatur, animatum, & habere vitam: non est animatum, aut viuens vniuocè cum homine, & æquo. Homo, &

equus vitam vegetalem, & sensualem habent, quæ in cælo non sunt. Cælum item non videtur animatum anima formante, sed assistente: homo, & equus anima informante. Si autem relinquatur nomen animalis, & accipiatur nomen viuentis, vt Bessarion transtulit in 12. Metaphys. *viuens* erit genus analogum, & mensura viuentium omnium, erit Deus summus, non cęlum.

Recognitio LXXIX.

Licetus IN lib. 2. de Pietate pag. 119. sic lego; *Hac eadem significatione Dei nomen assumpsit ad indicandum cælum Aristoteles apertius alibi dicens.* (2. *Cæli* 17.) *eorum vnumquodque, quorum est opus, est gratia operis. Dei autem operatio immortalitas est.*

1. Obseruatio. Contradicit sibi Licetus, nam in libro 1. de Pietate pag. 46. textum istum accepit de Deo summo, actu infinito intensiuè, cuius opus est æternitas, quæ est quid totum simul: pro vt Recognitione 59. ad pag. 167. exegi. Nunc hæc eadem verba textus applicat ad cælum, Cælum autem non est Deus summus: non est infinitum intensiuè actu: eius opus non est æternitas illa, neque est quid totum simul. Licetus in præsenti loco non est memor dictorum in libro præcedenti.

2. Obseruatio. Licetus probat, cælum esse Deum ex pluribus locis non probantibus. Ad hoc tamen eodem lib. 2. de Pietate cap. 7. pag. 120. lin. 10. vt cælum intelligat nomine Dei propositi ab Aristotele in 4. Top. loco 64. dum scribitur: Deus potest praua agere, subiungit. *Sin autem Aristoteles Dei nomine cælum intellexit, dum, statuit* (4. *Top. loco* 64.) *Deum, & studiosum agere posse praua, namque cælum Deus est Aristoteli propter participationem intelligentiæ assistentis, quatenus scilicet ex orbe, & intelligentia fit vnum quomodocumque viuens, & animatum, vt ait Aristoteles* (2. *Cæli*

13. & 63. &c.) *Quum igitur superius ostenderimus salua pietate intelligentias habere potentiam agendi praua, iam hoc sensu nunc Aristoteles dicere potuit citra pietatis offensam, Deum hoc est cœlum, agere posse praua*. Sic Licetus.

3. Obser. quia cęli vocabulũ accipi potest, vel pro corpore cęlesti, vel pro aggregato ex corpore, & intelligentia animante: neutrum horum potest in Aristotelis sententia praua agere, aut prauè.

Corpus quidem cęli est agens irrationale, in cuius potestate non est agere, vel non agere: quare neque praua, vel recta, prauè, aut rectè agere. Intelligentia verò siue per se considerata, siue orbi applicata, est per se immobilis, vel intrasmutabilis: est inter illos Deos, à quibus remouet Aristoteles tùm *agere*, tùm *facere*, vt supra dixi.

Nunc de cęlo pro aggregato affero textus. In 2. de cęlo 18. *Nihil præter naturam sempiternum est. Posterius autem est, quod præter naturam existit eo, quod secundum naturam, & excessus quidam est in generatione, quod præter naturam est eius, quod secundum naturam.*

2. cęli 33. *Si nihil vt contingit, aut à casu, in sempiternis esse potest: cœlum verò sempiternum, & circulare.*

2. cęli 36. Cęlum non posse irregulariter moueri, aut ex mouente, aut moto, aut ambobus docens ait. *Nihil autem horum possibile est circa cælum fieri. nam id, quod mouetur ostensum est, quòd primum est, & simplex, & ingenerabile, & incorruptibile, & omnino immutabile. Ipsum autem mouens multò magis rationabile est esse tale: primum enim primi, & simplex simplicis, & ingenerabile, & incorruptibile, ingenerabilis, & incorruptibilis motiuum est. Quoniam igitur, quod mouetur non mutatur, cum sit corpus; nec id, quod mouet, mutabitur, incorporeum existens. Quare & impossibile est lationem irregularem esse.*

2 cęli 37. *Si igitur in primis non est, quod præter naturam est (simplicia enim sunt, & immixta, & in propria regione, &*

nihil

nihil est ipsis contrarium, neque vtique in potentia erit. Sic in textibus Aristoteles.

Si autem cęlum ex intelligentia, & orbe potest praua agere, vt Liceto placet; iam cęlum potest mutari à contrario in contrarium ex 8. physic. 8. sicut peccat voluntarius sciens, quando è contrario vtitur scientia. Erit igitur cęlis sempiternis aliquid contrarium, vt prauitas probitati, quod est contra textus citatos.

Item 9. metaph. 3. Medicina est sani, & ægri: sani per se, ægri per accidens. Quare si agens rationale recta, & rectè agit: hoc erit per se. Si praua, & prauè: erit per accidens. Sed in citatis 2. de cęlo 33. nil vt contingit, aut à casu est in cęlo. Ergo neque id, quod est per accidens.

Rursus. Rectè agere, & recta, est secundum naturam: praua, & prauè præter naturam, veluti traditur in 1. Politic. cap. 5. car. 383. C. *Nam prauorum quidem, aut prauè dispositorum, sæpè inuenietur corpus imperare animo, ex eo quia peruersè, ac præter naturam se habent*. In cœlo autem nil præter naturam est per 2. de cœlo 18. ac 37.

Amplius. Immutabile est cœlum motum, & multò magis immutabile est mouens, vtpote incorporeum ex 2. de cœlo 37. Inalterabile est cœlum ex 1. de cœlo 22. At quod ex recta actione potest in prauam actionem transire, potest mutari ex contrario in contrarium iuxta caput 1. Post prædicamenta. Igitur in cælo non potest esse talis alteratio, vel mutatio, & frustra Licetus in cælos contra Aristotelem ingerit *Contrarium, per accidens, præter naturam, mouens mutabile*.

Ad extremum. Quòd Aristoteles dixerit, intelligentias posse praua agere, est commentum Liceti, non Magistri textus. Quòd in 4. top. sermo sit de cœlo, non est Magistri textus. Quòd cœlum valeat praua agere, non est Magistri textus. Re gerere in cœlum, quod Magister in cœlum non ingessit, non est Magistri textus.

Reco-

Recognitio LXXX.

Licetus in lib. 2. de Pietate intendit probare ex Aristotele, in Deo optimo nullam esse potestatem agendi praua.

1 *Quoniam actio praua non potest esse iuncta felicitati, quia felicitas est actio bona. Deus autem beatitudine excellit ergo non potest agere praua.*

2 Profitetur Deum agere non posse praua; verba Magistri euidentissima sunt. *Deos*, ait, *maximè felices, ac beatos esse existimamus; quod enim prauas cupiditates non habeant, molesta, atque inuidiosa laus est. Si demum omnia percurramus, quæ ad actionem attinent parua, & indigna Dijs esse videbuntur.*

Quare Dei operatio cum beatitudine excellat, contemplatiua erit: & ex humanis ea erit felicissima, quæ huic maximè est cognata.

Prima obseruatio. Nec ratio Liceti, nec Aristotelis verba conficiunt, quòd Licetus vellet. proposuit de Deo optimo probare: ista probant de Dijs, & nimium probant.

Primò, distinguuntur actus, & potentia; felicem actu, non agere praua, vel prauè in sensu composito, verum est. neque enim idem est simul, aut esse potest simul album, & nigrum, probus, & improbus: At in sensu diuiso, quod est album, potest fieri, & esse nigrum: tùm pro diuersis instantibus, tùm pro eodem diuisim. Nam pro quo instanti aliquis est albus sine nigredine, pro eodem potest esse non albus, vel niger, separata albedine. Ita quo momento homo est probus, & felix, pro eodem potest diuisim esse non probus, non felix. Pro sequuturo autem tempore, vel momento res est indubitabilis. Etenim in 12. metaph. 39. cœlo, siue Deo degentia felix est tota vita, nobis paruo tempore. Et in 1. Nicomac. cap. 13. car. 19. E. felix à misero per dimidium vitæ non differt. Quapropter si felicitas est actio in vigilia, in somno talis actio non est, & in vigilia sequenti non necessa-

riò

riò eadem actio felicitatis elicitur, imo felix homo felicitate actiua, & speculatiua præditus, potest aliquid prauum agere. Neque propter vnum actum prauum, aut prauè elicitum perditur habitus, qui est optima virtus. Vna enim hirundo non facit ver. Atque Licetus superius cap. 2. asseruit studiosum contemplatiuum posse praua agere. In cap. 6. ait intelligentias posse praua, & prauè agere, vocat tamen & studiosum hominem, & intelligentias nomine Dei. Quare si per istas, rationem, & authoritatem asseritur, Deũ optimum, quia felix est, non agere praua: non tollitur tamen per positionem actus, ratio potentiæ proximæ, vel remotæ, vniuersalis, vel particularis ad posse praua agere in sensu diuiso.

2. Obseruatio. Consideranda est regula demonstratiua: ex causa communi effectum communem, & ex propria proprium sequi in causis adæquatis, & præcisis. Sed istud prędicatum *felicitas contemplatiua* est commune hominibus, Dijs, atque Deo, & si in diuerso gradu excellentiæ; igitur felicitas speculatiua communis his tribus habet effectum communem adæquatum. Si ad felicitatem speculatiuam sequitur tanquam effectus exclusio, tùm actus agendi praua, tùm potentię, vt posse praua agere. Ergo falsò Licetus dixisset, Deos, & homines contemplatiuos, vtpote felicitate contemplatiua ornatos posse praua agere. Non igitur per felicitatem speculatiuam existentẽ in aliquo subiecto excluditur posse praua agere, ergo neque in Deo per istud medium commune excluditur posse praua agere. Sed inueniendum est medium proprium, per quod à Deo excludatur posse praua agere. Liceti enim, vel ratio, vel authoritas non ponit medium nisi commune, vnde non concludit proprium. Sicut esse animal, non concludit esse grammaticum, aut felicem, quæ duo sunt possibilia in homine, & quandoque actualia: sed per propriam rationem hominis, non per rationem communem animalis.

3 Obseru.

3. Obseru. Addit Licetus pag. 120. in 4. Top. loco 64. quando dicitur: Deus potest praua agere, non intelligi Deũ summum. Nam in 1. de cælo 100. summus Deus, vnde alijs pendet esse, & viuere, non habet prauitatem vllam.

Respondeo, textus iste est de primo, & summo diuino, aptè ergo citatur, sed non satis. Deus dicitur non habere prauitatem: non dicitur, *Deus non potest habere prauitatem*. Negatur actus, non negatur potentia ad praua agere, sed in 4. Top. est sermo de potentia, *Deus*, inquit, *potest praua agere*. Aut confitenda est impietas in isto textu, aut potestas agendi praua est remouenda à Deo.

Recognitio LXXXI.

Licetus pag. 121. lin. 13. lib. 2. de Pietate scribit. *Tertium est, quod Aristoteles hic* 4. *Top.* 64. *potestatem agendi praua dicit esse commune quoddam attributum, quod æquè prædicatur de Deo, & de homine studioso*.

Quum tamen (1. *de Anima tex.* 8.) *constituerit Deo, & homini nihil prorsus esse commune, nec animal, nec aliud vllum attributum, quod communiter prædicetur*.

Prima Obseruatio. Aristoteles dicit, Deum, & studiosum posse praua agere: sed hoc attributum æquè prædicari, vel esse commune Deo, & homini, non dicit. Quæ sunt eiusdem specialissimi, habent speciem, vt attributum commune, quod æquè prædicatur de vno, & de alio singulari, vt homo de Callia, & Sorte. Etenim in 3. metaph. 11. *In indiuiduis non est hoc prius, illud posterius*. Sed alia communia non sunt æquè communia. Cum quadruplex sit vnum, numero, specie, genere, ad vnum siue analogia. Præter vnum specie, quod est commune æqualiter inferioribus; vnum genere est commune, sed ita, vt in omni genere sit vna species perfectior, ceu mensura cæterarum ex 10. metaph. 7. Vnum ad vnum est commune, sed vel cum ordine, sicut numerus prius

dicitur de binario, posterius de ternario. Sic infinitum dicitur posterius secundum prius in 11. metaphys. sum. 4. cap. 2. Vel secundum attributionem, sicuti ad sanitatem sana dicitur corpus animalis, vrina, medicamentum 4. met. 2. Hinc Aristoteles in 7. metaphys. tex. 15. triplex commune ponit *ad vnum*, *secundum vnum*, & *æquiuocè*. Ens, & quidditas non sunt commune æquiuocè, vt illic asseritur, & in 4. metaph. 2. de ente dicitur; atque ens, vel quidditas, est commune nō secundum vnum, vel eodem modo, sed *ad vnum*. Si quid ergo est commune Deo, & homini, illud est commune ad vnum, non æquè commune.

Quoniam verò Licetus negat Deo, & homini esse aliquod prædicatum commune; ostendo rationem entis, & rationem viuentis esse communes Deo, & homini, sicut in Vestigat. 4. docui, Deum esse primum ens, & primum viuens.

Secunda Obseruatio. Licetus ad placitum Aristotelis asserit, Deo, & homini nihil prorsus esse commune. Hoc Liceto repugnat, nam in lib. 1. de Pietate cap. 1. profert duos textus, qui sunt contra ipsum.

Profert 1. Metaph. cap. 2. Deus est causa, & principium quoddam; sed & homo, & alia multa habent rationem causæ, & principij: homo sanè est causa, & principium multarum rerum in actiuis, factiuis, & speculatiuis operationibus.

Profert 7. Eudem. vlt. Deus imperat non iubendó, quemadmodum sanitas, non quemadmodum medicina, idest Deus imperat per modum finis, vt sanitas: non per modum efficientis, vt medicina. Ergo causare per modum finis, est commune Deo, & sanitati. Sed & homo est causa per modum finis: sumus enim, & nos quodammodo finis, & vtimur omnibus tanquam propter nos 2. physic. 24. Igitur causare per modum finis, est prædicatum commune Deo, & homini.

Ad Aristotelem. Ostendo rationem entis esse communem Deo ex 11. Metaph. sum. 2. cap. 1. *Cum autem Philosophi scientia sit entis, prout ens vniuersaliter, & non secundum partem; ens verò multipliciter, & non secundum vnum modum dicatur. Si æquiuocè, & non secundum aliquid commune dicatur, non est sub vna scientia: taltum enim non est vnum genus. Quod si secundum aliquid commune, erit sub vna scientia.* Atqui Philosophia prima dicitur theologia 6. Metaphys. 2. & 11. Metaph. sum. 3. cap. 1. Ergo Deus consideratur in metaphysica, considerantur, & alia entia omnia, & homo. Igitur Deus, & homo in vna scientia considerantur, & secundum aliquid commune. Quid ergo Licetus? estne homo ens, aut non ens? Si dicat non ens, sit ipse Licetus non ens. Omnis homo existens in rerum natura est ens. Sed & Deus est ens, vt in 12. Metaph. 38. de primo principio, quod mouet, & non mouetur exaratum est. *Ex necessitate itaque est ens, pro vt necessitas benè est, & sic principium; Necessarium nanque toties dicitur, quoddam vi, quia præter inclinationem; quoddam sine quo non benè esset; quoddam quod non aliter contingit se habere, sed simpliciter est. A tali ergo principio tùm cælum, tùm natura dependet.* Ergo Deus est ens ex necessitate, & est simpliciter ens, & est necesse esse, atque est simpliciter independens, à quo cælum & natura dependet. Conclusumque est, & Deum, & hominem secundum aliquid commune esse ens.

Nunc ostendo esse viuens. In 12. Metaph. 39. postquam declarata est optima degentia in cælo, & in nobis, sed in cælo sempiterna, in nobis temporaria; & consequenter declarata est nostra intellectio in optimo statu nobis possibili. à nostris ascendit Aristoteles ad Deum. *Si igitur ita benè se habet Deus semper, vt nos aliquando: admirabile est; Quod si magis, adhuc admirabilius est: at ita se habet. Cæterùm vita quoque profectò inexistit. Si quidem intellectus operatio vita*

est, ille verò est actus, actus verò per se illius vita optima, & perpetua est. dicimus itaque Deum, sempiternum, optimumque viuens esse. quare vita, & æuum continuum, & æternum Deo inest. Hoc enim est Deus. Sic Aristoteles à nobis ad Deum arguit: à nostro benè esse, ad benè esse Dei per regulam; Quæcunque perfectiones sunt in ente inferiori, illę sine omni imperfectione ponendę sunt in Deo: sed in homine est benè esse, ac felicitas: est intellectio speculatiua, vt optima operatio: est intellectus vt actus: est vita, est æuum, vt mensura vitæ. Ergo hæc sunt in Deo, sed sine imperfectione optimum esse hominis est paruo tempore, in Deo est sempiternum. In homine operatio intellectus, & felicitas, est accidens, in Deo est ipsum esse. Æuum in homine habet initium, & finē, ęuiq; partes quædā oriuntur, quędam occidunt. in Deo æuum est continuum, & sempiternum. Admirabilis est homo aliquando, Deus est semper & multò admirabilior. Interea prædicatum commune, quod est viuens, & vita in homine statuitur ab Aristotele, statuitur, & in Deo; quamobrem falsò Licetus dixit, nullum esse prædicatum commune Deo, & homini.

Tertia obseruatio. In text. 8. primi de anima obseruo, ita negari animal vniuersale de Deo, & homine, sicut de equo, & cane. Quare secundum arbitrariam Liceti sententiam, nihil prorsus erit commune homini, & equo. At hoc est negare omnia vniuersalia, & consequenter omnia prædicabilia, & prædicamenta. Negare omnem demonstrationem, ac syllogismum: negare omnem scientiam, quia scientia est de vniuersalibus, non de singularibus. Et in 1. post. 182. sentire *necesse est singulare. Scientia verò est in cognoscendo vniuersale. Quare, & si supra Lunam essemus, & videremus obiectam terram, non vtique sciremus causam defectus: Sentiremus enim nunc, quòd deficit, & non propter quid omnino, non enim erat sensus ipsius vniuersalis.* Et infra text. 183. *Vniuersale autem honoratum est, quoniam significat causam,*

qua-

quare de talibus vniuersalis notitia honoratior est sensibus. Sed fortè Licetus dicet; dum mea opinio vincat, pereant omnia siue scientia, siue demonstratio, siue syllogismus, propositio, terminus. Fruatur hac sua victoria: ipse neget omne prædicatum commune, nos confitebimur.

4. Obseruatio. Quando hoc nomen *Deus* proponitur ab Aristotele, vt animal, Licetus (in lib. 2. de Pietate cap. 7.) cælũ intelligit, vt 5. metaphys. 31. In tex. 8. primi de anima planè Aristoteles comparat Deum, & cum animali in communi, & cum speciebus animalis, equo, cane, homine. Igitur & hic si constans esset Licetus, debuisset Dei nomine cælum intelligere. Profectò cælum intellexere, Simplicius, Piccolomineus, Cottunius in illum textum.

5. Obseru. Regula est in Peripato: Non esse accipiendum Aristotelis sensum ex dubitatione, sed ex resolutione. Aristoteles in 1. de Anima 8 dubitationem proponit, vtrum vna sit communis definitio ipsius animę in communi, sicut est animalis in communi; an potius sit alia, & alia definitio assignanda de anima, secundum vnamquanque animam, sicut assignatur altera, & altera definitio secundum vnamquanque speciem animalis, vt altera est definitio equi, altera canis, altera hominis, altera Dei. Subdit rationem dubitandi; *animal autem vniuersale* (autem, nos legimus, Piccolomineus transfert, enim) *aut nihi est, aut posterius. similiter autem, & si quod commune aliud prædicetur.* In qua ratione nihil dicitur speciale de Deo, & homine, quod non dicatur de quocunque alio; neque dicitur absolutè, quòd vniuersale nihil sit, sed cum disiũctione, aut est nihil, aut posterius.

6. Obseruatio: quocunque tandem se vertat Licetus negando, aliquid esse commune Deo, & homini: non euitat impietatem ex 4. Top. loco 64. Nam si posse praua agere, hoc est, decipere, & mentiri: falsa crimina imponere, & mentiri: item furari inest Deo, & homini secundum aliquid commune, vti textus reboat; ergo Deus potest pra-

ua

ua agere. Si autem non ineſt ſecundum aliquod commune prædicatum. cum in textu dicatur, Deus poteſt praua agere, iſtud poſse ineſt Deo ſecundum aliquid proprium Dei. Itaque Deus ſecundum ſuam propriam conditionem poteſt praua agere, & praua talia in textu commemorata, quæ non poſsunt, niſi prauè fieri.

Recognitio LXXXII.

POſtremò ad remouendam hanc impietatem ex 4. Top. loco 64. Licetus in cap. 8. lib. 2. de Pietate car. 121. ſummarium facit, inquiens.

Tot itaque nominibus veram ſententiam protulit Ariſtoteles aſſerens 4. Top. loco 64. Deum, & ſtudioſum agere poſſe praua, ſiue Dei nomine ſignificet.

1 *Viros contemplatiuos, vitam agentes procul ab hominum conſortio.*
2 *Siue rationalem animam in humano corpore degentem.*
3 *Siue rationalem animam à corpore ſeparatam.*
4 *Siue dæmonem*
5 *Siue intelligentiam.*
6 *Siue cælum.*

Cum Ariſtoteles hoc aſſertum non de ſummo Deo pronuntiauerit, quem non ſemel, apertè ſtatuit carere omni prauitate, prauiſque cupiditatibus.

1. Obſeruatio. Poſtulo, an Dei nomine Ariſtoteles ſimul ſignificauit illa ſex, vltra ſummum Deum: an ſignificauit determinatè aliquod vnum ex illis. Si primum detur, Ariſtoteles accuſabitur, vt magnus ſophiſta, qui tanta cum æquiuocatione doceat. Idque contra regulas proprias in 1. de cælo 110. traditas. Tradidit quippe, nomen æquiuocum, etiam ſi conſtitueret enuntiationem veram in omnibus ſuis ſignificatis, non eſſe proponendum indeterminatè, ſed loquendum eſſe in ſignificato determinato, ne

animus lectoris maneat indeterminatus; æquiuocatio etenim est Primus, Publicissimus, & Vsitatissimus locus sophystarum ex 1. Elenc. cap. 1.

Si autem Aristoteles, vt iustum est, accepit actu significatum vnum determinatum: erant Liceti partes, illud vnum significatum, actu Aristoteli tribuere; sed probare illud significatum fuisse actu acceptum. Quando enim tàm sæpè ait, Aristotelem, *potuisse* hoc, vel illo modo intelligere vocabulum Deus, Licetus est Doctor Potentialis, non actualis; docet non quid Aristoteles senserit, sed quid sentire potuerit. Hoc secundum non quærimus, sed primum, nimirum, quid nam actu determinatè significauerit Aristoteles dicens, Deus potest praua agere. quæ potentia, si ponatur in actum, iam Deus erit prauus, sophista, calumniator, fur. Magna audet Licetus, volens defendere Aristotelem: sed magnis ausis non respondent vires. Meminerit Horatianum illud.

Sumite materiam vestris, qui scribitis æquam
Viribus: & versate diu, quid ferre recusent
Quid valeant humeri.

Voluit quidem liberare Aristotelem à nota impietatis, nec potuit. Singillatim sunt considerati modi à Liceto propositi: considerati sunt simul collecti; & semper eadem manet difficultas de nomine Dei semel, atque iterum absolutè prolato.

Qui voluerit aliquem excusationis colorem pro Aristotele, vel dicat cum Doctore Seraphico ab Aristotele gratia exempli, non gratia veritatis esse scriptum. Vel distinguat cum Themistio, quædam ab Aristotele dici populariter, quædam philosophicè. In 4. Top. populares Deos posuit, qui possunt praua, & prauè agere vt Iuppiter, & Mercurius. Philosophicè autem Aristoteles, Deos suos posuit intransmutabiles à bono: quare eos nec agere, nec posse agere praua. Illos autem Deos, quos Aristoteli tri-

buit

buit Licetus tanquam intelligentias subcælestes, non recipio. Monui quidem in Vestigat.4.cap.5.num.15.Aristotelem in 1.de Partibus animal. cap. 5. Deos in casa furnaria asseruisse, non ex se, sed retulisse ex Heraclito. Tot, ac tanta octo capitibus congessit Licetus, & multò plura ex rebus ab Aristotele alienis ad eliminandam suspicionem impietatis ex lib.4.Top. An profecerit satis dictum.

Recognitio LXXXIII.

PRima quidem accusatio impietatis accepta est à Francisco Suarez. Secunda nascitur à Ioanne Dunsio Scoto Doctore Subtili. In prima Prologi Scotus ad N. probat necessitatem scientię reuelatæ, & infallibilis circa finem nostrum, & media pro fine consequendo. In reuelatis pura veritas, nullus error est. In his, quæ philosophi excogitarunt de fine hominis, ac de medijs, veris dictis falsa miscuerunt, prout S. Augustinus aduertit. Annectit Scotus sequentia. "In hoc enim errabant Philosophi, quia & si aliqua de virtutibus vera tradiderunt, tamen falsa miscuerunt secundum authoritatem præcedentem Augustini, & patet ex eorum libris. Improbat enim Aristoteles politias dispositas à multis alijs 2. polit. sed nec illa Aristotelis est irreprehensibilis.

7. Politic.1. vbi docet, Deos esse honorandos: *decet*, inquit, *cultum exhibere Dijs*.

Et ibidem: *lex nullum orbatum tradit nutriri*.

Et in eodem libro cap.15. dicit, *quòd oportet fieri abortum in casu*. Quæ etiã in 2.Prologi attigit Scotus §. *de sexto*.

Ego autem, quoniam videbam quosdam per æquiuocationes vocabuli *Deus* declinaturos primam accusationem de cultu Deorum, sicuti fecit Licetus in octo capitulis præcedentibus; vt quando Aristoteles nominat Deum, non intelligat Deum: vt quando Deos ponit Aristoteles, Licetus

Deum.

Deum reponit: ſicuti Recognit.61.annotatum eſt.

Ideò pro Scoto ad omne ſubterfugium præcludendum adduxi textum è 7 Politic. cap. 17.Sic Ariſtoteles: *Sit igitur cura magiſtratibus, nullam neque picturam, neque ſtatuam eſſe talium imitatricem: Niſi apud Deos quoſdam, quibus etiam laſciuiam mos tribuit. Apud hos permittet lex, homines factos pro ſe, & pro filijs & vxoribus ſacra facere.* Quod Ariſtoteles prohibuerit, ne quid obſcænum adoleſcentibus, aut mulieribus audire, aut videre permittatur: rectiſſimè prohibuit. Sed quòd hominibus poſt vigeſimum annũ iam maturis, lege permiſit facere ſacra apud Deos luxuriæ,& pro ſe. ipſis viris,& pro filijs,& pro vxoribus; nõ rectè legẽ sãciuit Conatur Licetus à pag.120. ad pag.138.varijs modis excuſare Ariſtotelem: ſed quò magis excuſat, eò magis accuſat. Deos laſciuię per totum vitæ tempus colere, apud Deos illos ſacrificare, orationes fundere pro ſe, pro filijs, pro vxoribus, error eſt, & impietas.

Eſſetque prorſus comburendus titulus Liceti in lib.2. de Pietate cap. 9. Talis eſt titulus: *Ariſtotelem impietatis damnandum non ita* eſſe, *quòd lege permiſerit adultos omnes pro ſe, liberis, & vxoribus* ſacra *facere apud Deos quoſdam, quibus mos laſciuiam tribuit.*

O peruerſum,& impium iudicium. Licetus iudicat non eſſe damnandum eum, qui Deis laſciuię ſacra facere lege permittit. Iudicium iſtud eſt contra primum Dei præceptũ. *Non habebis Deos alienos coram me.* Nullos Deos alienos permittit Deus, quantò minus permittet obſcænos Deos?

Qui volet turpiſſimos Deos,& eorũ turpiſſima ſacra legere, legat Licetum loco citato,&non ſolum iudicabit ſummę impietatis Deos laſciuos, & ſacra illorum; ſed etiam iudicium Liceti, qui tantas legerit ſpurcitias, & iudicauerit lege permittendas. Neque vllus defenſioni locus, quin teterrimæ tenebræ infernales duarum linearum inficiant, & obſcurent præcedentia, & ſequentia pudicitiæ lumina. Quo

circa si quis illas duas deleret lineas de libro Aristotelis, diceretque ab eo non fuisse conscriptas, quoniam antecedentibus, & sequentibus repugnant: sed ab aliquo malè sano fuisse in textum Aristotelis intrusas, plausibilius diceret. Planè Donatus Acciaiolus in expositione super septimũ Politicorum, aut non habebat in suo textu illas lineas: aut omnino eas tacuit. Si non erant, iam aditus patet ad Aristotelem tuendũ. Nã quo magis conatur Licetus laudare pietatem, & pudicitiam erga adolescentes, & fęminas: eo magis in adultis impudicitia prostituta, & luxuriæ idololatria emergit: opposita iuxta se opposita magis sese detegunt.

Nec disciplina pręcedens in adolescentibus vsque ad vigesimum annum iuuat; nimis facilè dediscimus bona pudicitiæ, & addiscimus lasciuiæ mala: procliues nimirum in libidines sumus. Habitus acquisitos continentiæ per viginti annos, vel duo actus exercendi sacra obscęnissima destruent. Falsò Licetus, & impiè vult, quòd homines viribus philosophiæ possint à criminibus præseruari, præsertim in exercentibus ipsos actus criminosos. Nec plura dicam in re fędissima: legantur in Recognit. 61. tres vltimæ paginæ. Et legatur contra Licetum Sacri Concilij Tridentini sessione 6. decretum, quòd nec per legem naturæ, nec per legem Moysi possit homo iustificari: quòd non possit
Sap. 9. 10 sine speciali Dei auxilio peccata cuncta cauere.

Licetus hæc in fine capitis. *Obscæna illa sacra conclusit infra fanorum caulas, & abdidit in delubrorum latibulis, ea vix permittens solùm viris ætate maturis, qui ob disciplinam philosophicam à tali labe non coinquinantur.* Vana est disciplina philosophica, quæ obscænos, sacrilegosque actus exercentes, putat non coinquinari.

Recognitio LXXXIV.

Licetus lib. 2. de Pietate cap. 10. tertiam accusationem pietatis Aristotelicæ proponit his verbis. *Reprehendi vide-*

videtur in eo quoque philosophus, vt obseruat in Præfat. lib. de anima Suessanus, quasi pietatem erga Deum violauerit, quòd Moysi contradicere voluerit de tempore creationis hominum &c. Duæ sunt oppositiones, vna de temporis initio, altera de creatione hominis, & productione mundi.

Incipiamus à mundi initio. Potest autem esse disputatio de possibili, & de facto. Moyses quidem vti historicus loquitur de facto scribens: In principio fecit Deus cęlum, & terram. *Fecit* verterunt 72. Interpretes: *fecit* legerunt omnes Patres Gręci, & Latini, etiam S. Augustinus. At S. Hieronymus transtulit: *In principio creauit Deus cælum, & terram:* quæ lectio nunc seruatur in vulgata. In vtraque translatione ponitur Deus, certo durationis initio fecisse, seu creauisse cælum, & terram. Quare in duratione mentali, vel imaginaria potest proponi, quòd ante initium: neque, cælum, neque terra erant, neque vllæ mundi sensibiles partes. Siquidem Moyses narrat Genesim mundi sensibilis: vnde mundus sensibilis ab æterno non fuit, sed à certo durationis initio, siue illa duratio sæculum, siue tempus nominetur.

Quàm autem certum sit, Deum ab æterno fuisse in actuali existentia, nihilque aliud à Deo actu extitisse in Recognit. 13. car. 15. retuli, & nunc refero. S. Thomas 1. p. q. 61. art. 2. ait, *Solus Deus Pater, Filius, & Spiritus sanctus est ab æterno: hoc enim fides catholica indubitanter tenet, & omne contrarium, vt hæreticum est refutandum.* S. Bonauentura 2. d. 1. q. 6. fundam. 4. *Aliquid aliud à Deo esse æternum, est hæreticum, & reprobatum in Concilio Senonensi de Ideis, quæ ponebantur mediæ inter Deum, & res.*

Ergo ponere mundum sensibilem, aut motum eius, aut tempus, aut motores fuisse ab æterno, aut Deum fecisse, vel mouisse aliquid ab æterno, est impium, & contra fidem catholicam.

Percontemur à Liceto, quid in hac re senserit Aristote-

les. Respondet in libro 2. de Pietate pag. 143. à lin. 27. *In physicis vbi ex mente propria æternum naturæ opus constituens, & sine principio fluxisse tempora, & sine termino prolapsura determinans, partem affirmatiuam æternitatis accepit.* Et infra. *Quam opinionem etiam coluit Aristoteles, vbi de (1. Cæli text. 20. & sequenti.) cælo pertractat.* Addā ego. Imò & in 2. de cælo ab initio, in 1. meteoror. in lib de communi motu, in 12. metaph. à tex. 29. & frequentissimè statuit mundum, atque cælum, motum, & tempus, ac motores istorum ab æterno fuisse.

Si itaque propositio contra fidem catholicam: si propositio hæretica sit propositio impia; Licetus istam impietatem in Aristotele non negat. Sed contra theologos defendere eā cupit, scribēs in dicta pag. 143. lin. 32. *Cæterum ita sentiens philosophus, non est dicendus absolutè conuictus à sacris theologis absurdi dogmatis. nec iure potest reprehendi de inconuenienti, & impia doctrina.* Iam reprehendo hanc Liceti assertionem. "Non potest Aristoteles iure reprehendi de impia doctrina, circa mūdi æternitatē:" quare apud Licetum doctrina hæretica, & repugnans doctrinæ, quæ secundum pietatem est, non erit impia.

Licetus.

Secunda obseruatio. Licetus non est talis peritus, qualem Aristoteles desiderat 2. Metaph. cap. vlt. Peritus nanque scit, quibus rationibus, vel probationibus vti debeat scientificus quisque. Theologus non nititur rationibus humanis, sed auctoritatibus diuinis ad credendum: dicente S. Augustino in lib. de Vtilitate credendi cap. 11. *Quod credimus, debemus authoritati: quod intelligimus, rationi*, S. Hieronymus ad Paulinum cap. 7. concinit. *Tolle argumenta cum de fide agitur; pastoribus, & piscatoribus creditur, non dialecticis.* Audiamus nostrum pastorem Moysen initio Genesis: *In principio fecit Deus cælum, & terram*. Ita credimus. Audiamus & piscatorem nostrnm Ioannem cap. 17. scribentem verba Principis, tùm pastorum tùm pisca-

ſcatorum. *Et nunc clarifica me, Pater, apud temetipſum, claritate, quam habui, prius quàm mundus eſſet apud te*. Ita credimus. Hiſce, & ſimilibus paſtorum, & piſcatorum auctoritatibus conuincunt Sacri theologi dogma de æternitate mundi eſse impium. Quia mundus prius non fuit, quàm fuerit; & quando mundus cępit eſse, tunc principium temporis fuit.

Quam anteceſſionem æternitatis ad tempus attigit B. Auguſtinus 12.conf.cap.29.declarans, quo pacto materia ſit prius informis, quàm formata. *Cum verò dicit primò informem, deinde formatam, non eſt abſurdus; ſi modò eſt idoneus diſcernere, quid præcedat æternitate, quid tempore, quid electione, quid origine.*

AEternitate, ſicut Deus omnia.
Tempore, ſicut flos fructum,
Electione, ſicut fructus florem,
Origine, ſicut ſonus cantum.

Itaque Deus eſt æternitate prior omnibus alijs à Deo; qua æternitate à parte ante non erat cęlum, non terra, non quæcumque cęli, ac terræ ambitu concluduntur. Plenus eſt pruritu; plenus tentigine eſt Liceti animus: ſunt & aures plenæ. Vellet rationibus theologorum ſuas rationes, & reſponſiones opponere, ac defendere, quòd Ariſtoteles non eſt conuictus à ſacris theologis abſurdi dogmatis. Non pendit authoritates, ſed floccifacit: rationes conuincentes poſcit. Præuidit Apoſtolus tales, eoſque ſuis coloribus pinxit. *Erit enim tempus cum ſanam doctrinam non ſuſtinebunt, ſed ad ſua deſideria coacervabunt ſibi magiſtros prurientes auribus, & à veritate quidem auditum auertent, ad fabulas autem conuertentur.*

3 Obſeruatio. Diſcriminantur primum ens, & reliqua entia. Primum eſt neceſse eſse cum 12.metaph.38.reliqua omnia ſunt contingentia eſse, quæ & poſsunt eſse, & poſſunt non eſse. Quòd autem ſint, vel non ſint actu, non ca-

dit

dit sub demonstratione, quoniam conclusio est contingẽs, & ex consequenti non potest ex necessarijs demonstrari. Cadit igitur sub narrationem historicam, sicuti Deus, qui nec fallere, nec falli potest sacris scriptoribus reuelare dignatus est. Omnia verò dependentia à primo ente habere rationem contingentis esse, cognoscemus per distinctionem agentis irrationalis, & rationalis, traditam in 2. de Interpret.cap.3.& in 9.metaphy.tex.10.& 12. Agens irrationale, quãtũ est ex se, nõ potest nõ agere suos effectus. Agẽs rationale, est indifferens ad opposita, vt scientia medici, est sani, & ęgri: per eamque medicus potest exhibere medicamentum, & ad sanitatem, & ad ægritudinem. Tale autem agens faciet, quod volet, quando volet, quomodo volet. Atqui primum ens, quod etiam est primum efficiens, est agens rationale, quòd si volet, dabit esse suis effectis: si non volet, non dabit. Quod igitur à tali agente est actu, in historia narrabitur esse, & fortè per experientiam cognoscetur; nunquam tamen ex natura rei demonstrabitur esse, aut non esse.

Denique Licetus pro more suo à re proposita transfert disputationem ad rem non propositam. Docet Aristotelem, aut nõ legisse, aut non nominauisse Moysen, quare nec contradixisse Moysi. Si attenderet ad Socratis dictum, inspiceret Licetus, non quis dicat, sed quid dicat. Aristoteles contra dogma Moysis dicit, & hoc est à pietate alienum, siue nominauerit Moysen, siue secus.

Recognitio LXXXV.

POsthac Licetus pag. 143. pro defendendo Aristotele assertore æternitatis mundi, motus, temporis, hæc profert.

Summi theologorum D. Thomas (1.p.q.43.art.3.contra Gentes cap.43.) & Doctor Subtilis (2.d.1.q.3.) cum magna sectato- *rum*

rum classe contendunt. Potuisse mundum à Deo maximo pendere, ac emanare per creationem antiquam ab æterno. Et mox *Aristotelis opinio de mundi æternitate non est absurditatis conuicta, nec vt inconueniens accusanda.* Licetus.

Nota Lector, hoc iudicium erroneum Liceti, & fidei catholicæ contrarium. *Quam theologorum Coryphæi D. Thomas, & Scotus, & alij multi existimant eam fuisse veram de possibili, possibili autem posito in esse, nullum sequitur absurdum* (8. *physic.* 36.), *nullum oritur inconueniens.*

1. Obseruatio citat falsò D. Thomam 1. p. q. 43. art. 3. Vbi Sanctus Thomas disputat de missione inuisibili Spiritus sancti, nihil de mundo, an possibile fuerit esse ab æterno. Citat item D. Thomam contra Gentes cap. 43. Libri contra Gentes à D. Thoma conscripti sunt quatuor, Licetus non citat librum, vt nesciamus, in quo libro hoc dictum sit à D. Thoma. citat capitulum sine libro.

Citat falsò Scotum, qui in 2. d. 1. q. 3. affert rationes tùm probantes, potuisse aliquid fieri à Deo sine principio durationis: tùm probantes, non potuisse aliquid fieri sine principio durationis. Soluit rationes pro vtraque parte, nec lineam quidem scribit, in qua discernere valeas, an stet pro affirmatiua, vel pro negatiua; At verò in Reportatis super 2. d. 1. q. 4. declinat ad negatiuam, quòd mundus non potuerit fieri ab æterno.

2. Obseruatio. In doctrina D. Thomæ sunt considerandæ duæ propositiones de possibili, duæ de inesse.

De possibili [Possibile est aliquid aliud à Deo fuisse ab æterno
Possibile est omne aliud à Deo non fuisse ab æterno

Primam tenet Doctor Angelicus cum limitatione, vt mundus fuerit ab æterno, seclusa generatione consueta hominum, vti Caetanus notat 1. p. q. 46. art. 2. Secundam expressè ponit eadem q. 46. art. 1. Duas enim ponit cum Caetano assertiones. Prima est. Nihil præter Deum ab æterno fuit. Secunda, Hoc assertum est possibile. Probat.

batque ex voluntate Dei, qui nihil vult ex necessitate, nisi se ipsum. Ergo nihil extra Deum ex necessitate est, sed potest non esse.

Licetus astutissimè prætermittit secundam propositionem de possibili, quod omne aliud à Deo potuit non fuisse ab æterno. Hęc propositio secunda est de fide, sicuti etiam duę propositiones à Caetano allatæ sunt de fide, scilicet Nihil præter Deum ab æterno fuit, & Nihil præter Deum fuisse ab ęterno, est assertum possibile. Ponit Licetus primam propositionem de possibili, quæ in conflictu opinionum est apud theologos. Cur Licetus prætermittit secundam de possibili? Quoniam Licetus cum Aristotele tenet, *vniuersum necessariò fuisse ab æterno*: Et hanc, *vniuersum potuit non esse ab æterno*, tanquam falsam deserit.

Duæ sunt item propositiones de in esse

De inesse { Aliquid præter Deum fuit ab æterno.
Nihil præter Deum fuit ab æterno

Quarum prior propositio est falsa,& hęretica ex 1. p. q. 61. art. 2. Posterior est de fide ex 1. p. q. 46. art. 1. & 2. Licetus priorẽ de inesse prętermittit, tenet enim cõtra fidẽ. videlicet, vniuersum fuisse ab ęterno: quia hoc non est conuictum absurditatis, quia hoc non est in conueniens. Ita Liceto non est absurdum, aut inconueniens ponere propositionem hæreticam, & fidei orthodoxæ contrariam. Posteriorem de inesse prætermittit Licetus, quia est de fide, & est contra Aristotelem, qui tenet, vniuersum fuisse ab æterno.

Solam primam de possibili citat Licetus: sed quam D. Thomas limitatè proponit, excepta scilicet generatione consueta hominum: Licetus sine limitatione refert. Tàm candidæ est conscientiæ, vt si verbulum aliquod sit pro se, illud afferat. Si quid contra se, mutilet. prætermittat. Nec mirum si falsa dogmata falsis, & falsificatis citationibus fulciat. Nec enim aliter potest.

3. Ob-

3. Obſeruatio. Quoniam Licetus à theologis auxilium quærit pro Ariſtotele, Noto, quòd cum à theologis excutitur, an aliquid factibile potuerit eſſe factum ab æterno: S. Thomas affirmat loco à me citato. S. Bonauentura negat in 2. d. 1. q. 2. & ſępè alibi. Gregorius de Valentia tom. 1. theologiæ col. 832. in hanc ſententiam Diui Bonauent. citat, Athanaſium orat. 2. contra Arianos. Baſil. lib. 1. contra Eunomium. Damaſc. lib. 1. fid. cap. 8. Ambroſ. lib. 1. Hexæmeron cap. 3. Qui ſic arguunt. Nulla creatura pura poteſt eſſe æterna. Filius Dei eſt æternus, ergo Filius Dei non eſt, nec poteſt eſſe pura creatura. Quod argumentum innititur in illa maiori. Denique S. Auguſtinum profert. 12. de Ciuit. Dei cap. 15. qui, Angelos, ſi fuere ab æterno, negat creaturas eſſe poſſe. Cum itaque multi, & grauiſſimi theologi teneant, nullam rem à Deo diuerſam fuiſſe poſſibilem ab æterno: Licetus iſtis ſanctis neglectis, vnicam D. Thomæ opinionem accipit, ſed infidè citatam.

4. Obſeruatio. Probare vult Licetus, quòd æternitas mundi non eſt abſurditatis conuicta, nec eſt vt inconueniens accuſanda, dicens: Poſſibili poſito in eſſe, nullum ſequitur abſurdum (8. phyſ. 36.) nullum oritur inconueniens, ſed ęternitas mundi eſt vera de poſſibili iuxta D. Thomam, Scotum, & alios. igitur ex ea nullum ſequitur abſurdum. nullum oritur inconueniens.

Circa rationem iſtam primò aduerto tex. octaui phyſic. mutilatè citari. Textus integer eſt. *Si ergo ponamus poſsibile eſſe, nullum impoſsibile accidit; falſum autem fortaſsis, ſed motum non eſſe, impoſsibile eſt.* Mutilauit tertiam partem hanc. *Motum non eſſe impoſsibile eſt*: quoniam iſta, & à Doctore Angelico, & à Doctore Subtili, & ab omnibus catholicis negatur. Accipit Licetus, quod eſt ſecundum Theologos: non vult accipere, quod eſt contra Ariſtotelem. Verſutè nimirum.

Mutilauit partem ſecundam iſtam: *falſum autem fortaſ-*

sis. Distinguit Aristoteles falsum, & impossibile sæpè, vt in 9. Metaph. text. 8. atque text. 21. sed clarissimè in 1. de cælo text. 119. *Non igitur idem est, & falsum aliquid esse simpliciter, & impossibile simpliciter; te enim non stante, dicere stare, falsum quidem est, non autem impossibile. Similiter autem, citharizantem, non autem cantantem, cantare dicere, falsum quidem est, sed non impossibile. Simul autem stare, & sedere: & diametrum commensurabilem esse, non solum falsum est, sed & impossibile. Non igitur idem est supponi falsum, & impossibile: accidit autem impossibile ex impossibili.* Et in text. sequenti docens ex falso sequi falsum. *Falsum igitur accidet vtique, quia falsum positum est. Sed si non impossibile esset, non vtique, & impossibile esset id, quod accidit.* Itaque ex doctrina Aristotelis, & citato text. 8. phys. 36. Si possibile ponatur in esse, non sequitur impossibile: sed tamen potest sequi falsum, si falsum supponatur. Iam respondebo tanquam Thomista. Possibile est cælum fuisse factum ab æterno, concedo. quid inde? Postulat Licetus, vt ponatur in esse; concedo tanquam Thomista, vt ponatur in esse, quia non est impossibile, neque ex tali posito sequetur impossibile. Sed ipsum positum, idest, *Cælum ab æterno fuit*, est falsum, hæreticum, impium. quare sequitur, quòd Aristotelis assertio, & opinio Liceti, sit falsa, hæretica, impia. Etenim quædam veritates catholicæ sunt de possibili in rebus ad extra, quædam de facto, sicut ista. *Mundus fuit ab æterno, Mundus non cæpit à certo temporis initio.* Si autem Liceti propositio falsa, & hæretica, quæ sequitur, non sit absurda, & inconueniens Liceto: Liceti iudicium erroneum est. Sequitur etenim, si mundus ab æterno fuit: Ergo in principio non fecit Deus cælum, & terram. At ista negatiua est hæresis in primo gradu, quia contradictoria formaliter propositioni expressæ in scriptura. Quare Licetus per textus mutilationem, Aristotelem ab impietate non liberat, sed inuoluit magis.

Reco-

Recognitio LXXXVI.

REprehendebatur Aristoteles, quòd contradiceret Moysi, De tempore Creationis omnium. Probat oppositum Licetus, quia creationem illam à Moyse descriptam Aristoteles physicè, nimirum puro, vel potius impuro naturæ lumine fretus, cognoscere non potuit.

Quam verò philosophus non agnouit creationem, illi certè contradicere nequiuit.

Tum quia Magister non absolutè negauit tempus primę mortalium originis: ast illud apertissimè supposuit, & planè confessus est.

Attulit Licetus vnum textum secundi Politic. cap. 6. *Putandum est priscos illos homines, siue ex terra geniti fuerint, siue ex corruptione aliqua seruati, fuisse ignaros, & imprudentes, vt de terra natis dicitur.*

Attulit alterum text. ex 3. de Generat. animal. cap. 11. *Quamobrem de prima hominum, atque quadrupedum generatione, si quando primum terrigenæ oriebantur, vt aliqui dicunt; non temerè existimaueris, altero de duobus his modis oriri: aut enim ex verme constituto primum; aut ex ouo &c.* Ita Licetus.

Primus textus iniustè, & falsò affertur. citatur in 2. Politic. cap. 6. In meo codice est in 2. Politic. cap. 8. Neque hoc reprehendo, sed tantùm in meo libro indico haberi in dicto cap. 8. pag. 414. Dubitat ibi Aristoteles. Vtrùm damnosum sit, vel vtile ciuitatibus, leges patrias mutare, si sit alia lex melior. Proponit rationes dubitandi pro vtraque parte & primo pro mutatione legũ, arguit ex mutatione, quę in alijs artibus vt medicina, & gymnastica prodest.

2. aliam affert rationem, sed non vult eam sub propria persona proponere, fortè propter irreuerentiam, & asperitatem contra veteres leges, & legislatores, scribit autem sic. *Probari autem hoc dicet aliquis, & in ipsis rebus. Anti-*

Aristoteles in dubitat.

quas enim leges nimirum rudes esse, & barbaras. Armati siquidem ferro incedebant Græci, & vxores emebant inuicem: & quæcunque vetusta iura alicubi extant, penitus rudia sunt, Ceu apud Cumas de cæde lex est, si accusator multos testes inducat ex agnatis proprijs: reum esse cædis, contra quem probatur. Quærunt autem omnino, non patrium, sed bonum omnes.

Putandūq; est, priscos illos homines, siue ex terra geniti fuerint, siue ex corruptione aliqua seruati, fuisse ignaros, & imprudentes, vt de terra natis dicitur, quare absurdum est, in eorum opinionibus persistere velle. Sic in textu.

Affert etiam tertiam rationem, concludens. Ex his ergo videtur, & quasdam leges, et quandoque esse mutandas.

Deinde argumentatur pro parte opposita, quòd leges non sint mutandæ; denique nihil re soluit, sed resolutionem in aliud tempus differt scribens. *Qua propter nunc quidem omittamus considerationem hanc, nam aliorum est temporum.*

Constat ex his Licetum proponere nobis dubitationem pro resolutione, qui est manifestus error.

2. dubitationem ex aliena persona scriptam, proponere tanquam assertionem Aristotelis ad authoritatem.

3. Quædam verba, quæ pro se faciunt afferri à Liceto: antecedentia, vel consequentia; quæ contra se sunt (vt ille de me dicit) callidè dissimulari.

4 Non quæsiuisse locum, in quo Aristoteles dubitationem resoluit: est negligentiæ non dissimulandæ. Sed in 5. Politic. cap. 7. car. 499. dum docetur causa euersionis rerum publicarum, testatur philosophus, Furiorum rempublicam incurrisse, ex vna lege mutata, in mutationem cæterarum legum, & mutationem reipublicæ. Quam rationem, & in dicto loco 2. Politic. pag. 414. attigit, antequam afferret rationes pro vtraque parte. *Siquidem non conducit mutare, fieri autem potest, vt inducatur, aut legum, aut reipublicæ dissolutio, tanquam commune bonum.* Quam rationem etiam attigit dubitando contra mutationem. Vnde & ex

isto

isto loco citato, in quo est dubitatio: & ex loco resoluto 5. Politic. probatum restat, quòd Licetus dubitationem pro parte falsa adducit, tanquam doctrinam veram Aristotelis

Sed siue hæc sint asserta ab Aristotele, siue non, id alij expenderint. Adduco tantùm dictum Liceti pag. 141. lin. 18. *Sat habemus in huius rei confirmationem afferre duo loca, in quibus Aristoteles primorum hominum productionem factam ait, vel ex verme, vel ex ouo, adeoque non fuisse creationem, quæ ex nihilo fit, sed generationem physicam*. Hæc Licetus.

In istis tria sunt consideranda. Vnum de principio temporis, quo producti sunt primi homines; secundum de creatione hominis an ex nihilo, an ex aliquo cum scriptura, & Aristotele; tertium de factione ex nihilo, an fuerit cognita naturaliter ab Aristotele.

1 Obseruatio. Licetus in citatis dictis assignat aliquod tempus primum primæ originis hominum: sed in pag. 143. *Quartus, & postremus locus, inquit Licetus, est in physicis, vbi ex mente propria æternum naturæ opus constituens &c. Aristoteles posuit mundum æternum* (ex isto quarto dicto) & à parte ante, & à parte post. Si igitur naturæ opus est æternum, & homines, atque quadrupeda non fuerant ab æterno, ergo homines, & quadrupeda non sunt opus naturæ. Cuius igitur, & quando?

Deinde, si ab æterno fuit mundus: & animalia, atque homines non fuerunt ab æterno, sed à certo initio temporis: ergo per totam infinitatem durationis à parte ante inferior hic mundus fuit sine perfectissima specie sua, hoc est sine animalibus terrigenis, & sine hominibus. Quis autem ex Peripateticis concedet, præter quam Licetus, mundum ab æterno fuisse, homines non fuisse?

3 Si homo cępit à determinato initio temporis, etiam si in infinitum generentur homines, & animæ humanæ ab illo initio finito de nouo fiant: nunquam erit actu infinitus

animarum numerus. Siquidem infinita impossibile est pertransire 1.post. 19. 2 met. 13. Hac igitur positione posita, nulla necessitas erat Liceto, fingendi animas rationales actu infinitas esse ab æterno, & in æternum: neque item erat necessitas constituendi animas ante corpora; quæ duo ad Aristotelis mentem ponuntur à Liceto in suo Libro de animorum immortalitate.

Si tamen Aristoteles asseruit primam originem hominum ex verme, aut ouo, immediatè, mediatè ex terra: laudo in Aristotele hæc duo, & quòd homines primos dicat ex terra formatos, quãuis hoc in solo primo homine dicere sit verius. Quòd item dicat, primam hominum originem esse à certo temporis initio. laudo hæc: & vtinam id Peripatetici dicant assertum ex propria mente Aristotelis: nam secunda authoritas ex 3. de Generat. animal. cap. 11. debilior fit per illam clausulam, *vt aliqui dicunt*. Et prima authoritas ex 2. Politic. cap. 6. est cum disiunctiua siue ex terra geniti fuerint, siue ex corruptione aliqua seruati. Disiunctiuæ autem propositionis veritas defendetur ab aduersariis pro secunda parte. quæ consonat cum primo Meteor. sum. 4. cap. 2.

Recognitio LXXXVII.

NVnc est exequendum, quod secundò proposuimus: an creatio hominis sit ex aliquo, vel ex nihilo: quoniam Licetus in pag. 141. dixit creationem esse ex nihilo. Qua in re duplex est error Liceti, alter in scriptura, alter in Aristotele.

In scriptura. Quoniam Moyses narrat hominem à Deo esse creatum, masculum, & fęminam Genesis 1. In cap. autem 2. per recapitulationem explanat, id quod in cap. 1. per compendium historicum scripserat, & inquit. *Formauit igitur Dominus Deus hominem de limo terræ, & inspirauit*

in faciem eius spiraculum vitæ. Mox de muliere; *AEdificauit Dominus Deus costam, quam tulerat de Adam in mulierem, & adduxit eam ad Adam. Dixitque Adam: Hoc nunc os ex ossibus meis, & caro de carne mea; hæc vocabitur virago, quoniam de viro sumpta est.* Ecclesiasticus verò, & replicauit, & explicauit originem primorum hominum in cap. 17. vers. 1. *Deus creauit de terra hominem*, & vers. 5. *creauit ex ipso* (homine) *adiutorium simile sibi.* Ex his duobus omnes alij homines descenderunt. Igitur scriptura sacra narrans propriã productionem hominum primorum, docet eos esse creatos de terra, & de costa; non de nihilo. Fallax igitur est excusatio Liceti docentis, Creationem esse factionem ex nihilo, & istam non fuisse cognitam ab Aristotele; quia prima hominum productio fuit ex aliquo, non ex nihilo, & prima hominum productio est creatio in scriptura sacra.

In lib. de Septimo Quæsitis assumpsit Licetus officium probandi, quòd in scripturis Sanctis reperiatur expressè creatio de nihilo. O quanta cum pompa, & maiestate in vno capitulo adduxit decem, & octo rationes semel, semel octo illarum alio in capitulo repetijt.

Parturient montes, nascetur ridiculus mus.

Licetus nullum locum scripturæ attulit ad punctum difficultatis, quòd creatio construatur cum particula ex nihilo in scriptura. Si non potuit probare verbis Dei, probare voluit verbis proprijs, tanquam verbis nouelli Dei. Distinguat, quæ Dei sunt in sacra scriptura ab his, quæ sunt ipsius Liceti, vt hominis puri, & extra scripturam.

Vna Scripturæ diuinæ authoritas suffecisset: decem & octo rationes Liceti, non valent pro vna authoritate Dei.

In Aristotele quoque errat, quoniam Aristoteles nunquam inuenitur posuisse, creationem esse ex nihilo. In Recognitione 10. id ostendi partim, & Recog. 46. citaui Aristotelis locos. Desiderarunt tamen quidam viri docti Aristotelis authoritates verbatim allatas: quod quidem vtile

est,

est, tùm his, qui libros non habeant ad manum, tùm *ijs*, qui occupationibus præpediti, non possunt quærere textus sparsos. Hoc itaque loco id præstabo.

Obseruo tamen primo à nobis præcognosci oportere, quænam verba græcè, latinè significent creare.

Igitur S. Athanasius in symbolo, quando dicimus: *Increatus Pater, increatus Filius, increatus Spiritus Sanctus*, pro dictione latina *Increatus* in græco habet *actistos*, à verbo *Ctizo*, quod significat *creo*.

Quando subdimus in Symbolo: *Pater à nullo est factus, nec creatus: Filius à solo Patre est, non factus, nec creatus: Spiritus sanctus à Patre; & Filio non factus, nec creatus.* Pro dictione latina *creatus* in græco adest vocabulū *didimiurgumenos*: à verbo *Dimiurgeo*, quod item significat *creo*.

In Aristotele legendo, reperi verbum *ctizo* per *ι*. in 2. Politic. cap. 6. & significat possideo. Ctizo per *ι* reperi saltem semel. At verbum dimiurgeo græcè reperi frequenter in Aristotele, & sępè ab interpretibus esse conuersum latinè in verbum *creare*. In productione naturali, morali, artificiali, & affero authoritates Aristotelis ad verbum.

In productione naturali.

1. In 2. de partibus animalium cap. 1. car. 1116. E. *At verò cor, quia venarum initium est, & vim creandi sanguinis primam obtinet.* Creandi δημιουργοῦσαν

2. Primo de Generat. animal. cap. 18. pag. 1224. A. *Quod si quid eam postea creat, id causa similitudinis fuerit, non secessio ipsa.* Creat δημιουργεῖ

3. 1. de Genera. Animal. cap. 18. car. 1226. E. *Sed ab agente, creatriceque tantùm virtute, velut à fabro, non à materia.* Creatrice δημιουργοῦντος

4. 2. de Gener. Animal. cap. 4. car. 1254. C. *Animal corpus est animatum, ad quod instituendum fœmina semper materiam præbet, mas vim creandi.* Creandi δημιουργεῖ.

5. 4. de Genera. Animal. cap. 3. car. 1310. B. *Motus autem,*

qui

qui creant soluuntur in propinquos. Creant δημιουργοῦσι.

6. 4.de Generat.Anima l.cap.1.car.1306.*B.* *Quod non ab eo superatur, à quo conditur, siue creatur; id in contrarium mutari necesse sit.* Conditur. Creatur. δημιουργοῦντος

In productione morali.

7. Ex 2.Polit.cap.vlt.car.425.B.*Et horum quidam solummodo legum authores fuerunt.* Authores grecè dicuntur dimiurgi, quod non minus eleganter verteres creatores legum, vel conditores legum. δημιουργοὶ

8. Eodem cap.car.426.F. *Fuit quoque Pittacus legum conditor.* δημιουργός.

In productione artificiali.

9. Ex 3.Polit.cap.2.car.423.C.scribit Aristoteles ex Gorgia Leontino, *Larisseos esse, qui ab artificibus eorum fiunt.* Pro artificibus, est δημιουργῶν. Lambinus vertit consonantius ad græcum. *Larisseos esse, qui à Larisseorum effectoribus procreati sunt,* procreati concordat cum voce dimiurgon.

10. 7.Politic.cap.4.car.539.C.*Vt enim cæteris artificibus, puta textori.* Artificibus δημιουργοῖς

In his omnibus locis Aristoteles vocem *dimiurgeo* affert ad significandum principium productiuum, seu effectiuum: semper tamen ex aliquo, nunquam ex nihilo.

Tandem in 3.Polit.cap.2.car.429.D.ex versione Lambini, & impressione Lugdunensi sic lego. *Nam ne fieri quidem potest, vt natum esse ex ciui patre, aut ex ciui matre ad eos, qui primi vrbem habitarunt, aut condiderunt accommodetur,* Condiderunt κτισάντων. Κτισάντων à verbo κτίζω In versione impressa Aureliæ Allobrogum legimus. *Etenim neque possibile congruere definitionem illam primis conditoribus, aut habitatoribus, vt ex patre, matreque ciuibus sint exorti,* sed in græco opposito modo se habent vocabula: & græcum ctisandon ab Interprete accommodatur habitatoribus, cum textus conditoribus attribuat. Hoc interim est ad propositum, quòd verbum *ctizo* etiam apud Aristotelem significat *condo,*

M vel

vel *creo*, sed ex aliquo: nam condere vrbem, siue quantum ad mœnia, siue quantum ad ciues, non est ex nihilo.

In quibus omnibus exemplis, tanquam testibus clarissimis probatum est, quòd creare apud Aristotelem est producere de aliquo principio *ex quo*, vel in esse naturali, vel morali, vel artificiali. Qui autem sciens, & volens recedat ab Aristotele, ac dicat, quòd creare, est facere ex nihilo; is mihi videtur non Aristotelicus, sed desertor Aristotelis.

Recognitio LXXXVIII.

TErtium nobis propositum erat, considerare, an Liceti dictum sit verum, quo asserit. Factionem ex nihilo naturali lumine, ab Aristotele cognitam non fuisse. In cuius gratiam aduerto philosophum in 1. Elenc. cap. 1. excusare se, si nomina, vel orationes aliquando plura significent. *Nam nomina quidem finita sunt, & orationum multitudo, res verò numero infinitæ sunt: necesse est igitur plura eandē rationē, & nomen vnū significare.* Propterea necesse est ne decipiamur, vel decipiamus vocū significationes determinatas proponere, ac determinatè accipere. Verba *facere*, & *fieri* ab Aristotele frequēter alio, & alio modo sumuntur, prout alijs, & alijs rebus applicantur. *Agere*, & *facere* tanquam contradistincta ponuntur in homine; quibus correspondent scientia actiua, & factiua; necnon prudentia, & ars, vt in 1. Mag. Moral. cap. vl. & latè in 6. ad Nicomachum Sed *agere*, aut *facere* in hoc significato remouentur à Dijs. in 10. Nicomac. cap. 8. Remouentur & à brutis in eodem lib. & cap. Verùm in libris de histor. animal. vt in 8. cap. 1. tùm factiones, tùm actiones brutis attribuuntur. Facere quandoque distinguitur ab ipso generare. Facere enim est artis, generare naturæ. Verùm facere aliquando significat generare vt 2. de anima 34. Naturalissimum est viuen-

tibus

tibus, *facere quale ipsum*. In 1. Vestigat. mea distinxi factionem specialem, & generalem, vt illic legi potest. Nunc apud Philosophum distinguo ipsum facere contra creare. Facere est commune, & ad producere ex aliquo, & ad producere ex nihilo rei factæ. Facere ex aliquo in 1. physic. tex. 64. *Omne quod fit, semper compositum est:* hoc autem fit, & resoluitur in materiam, & formam. Tale fieri est ex vna parte præexistente, quæ est materia: & ex altera parte non præexistente, quæ est forma. De isto fieri scribitur eodem lib. tex. 82. *Si enim fiat, subijci aliquid oportet primum, ex quo inexistente fiat; hoc autem est ipsius (materiei) natura. quare erit antequam fiat. Dico enim materiam primum subiectum vniuscuiusque, ex quo fit aliquid, cum insit.* Fieri ex nihilo est fieri ex nulla parte præsupposita: de quo faciendi modo legimus in libro de Xenophane. *Quare si omnia, quæ in opinionem veniunt, & apparent, non rectè existimantur. nihil fortasse conuenit, vt huic etiam opinioni, & dogmati acquiescamus, quod Nihil ex nihilo fieri statuit; quippe cum vna etiam quædam ex non rectis hæc opinio sit, quam ex sentiendo quodammodo, cum in multis essemus, existimauimus.* Igitur quinque titulis hanc propositionem: *Nihil fit ex nihilo*, reprobat. Primus. *Non esse rectum dogma*, 2. *Non rectè existimatum*. 3. *Nihil conueniens habere*. 4. *Non quietare mentem*. 5. *Non esse propriam suam*, idest Aristotelis, nec à se existimatam simpliciter, sed quodammodo, cum in multis esset. Qui autem negat vnum contradictorium, ex necessitate alterum concedit. atqui Aristoteles negat istam vniuersalem negatiuam: *Nihil fit ex nihilo*, & negat tanquam non rectam opinionem. Igitur ex necessitate debet concedere contradictoriam particularem affirmatiuam, *Aliquid fit ex nihilo*. Quamobrem fieri, & facere extenditur ad ex aliquo, & ex nihilo secundum Aristotelem. Vnde concludes; falsò dici à Liceto, quòd Aristoteles non cognouerit factionem ex nihilo naturali lumi-

4. meteo. su. 1. c. 4.

ne. Idipſum in libro de Zenone reijcit. *Ac primum quidem etiam iſte, non ſecus, ac Meliſſus, ſumit, id quod fit ex eo, quod eſt, gigni. At enim quid obſtat, quin neque ex ſimili, neque ex diſſimili, id quod fit, ſed ex non ente exiſtat?* Dixit autem Meliſſi placitum fuiſſe illam propoſitionem: omne, quod fit, fit ex ente, & nihil fit ex nihilo. Quoniam liber de doctrina Xenophanis fuit à Meliſſo ſcriptus. Vnde Simplicius in 1.phyſic.ad tex.6.car.6. col.2. & ſæpius oſtendit, quæ ſcripta ſunt in libro de Xenophane, ea fuiſſe ſcripta à Zenone, & Meliſſo. quod agnoſcet, qui contulerit relata à Simplicio, cum relatis in lib. de Xenophane, quæ à Meliſſo ſunt ſcripta: & in libro de Zenone, quæ ſunt à Zenone ſcripta, Plura ad probandum idem ſcripta ſunt in 1. Veſtigat. Cognouit igitur Ariſtoteles aliquid poſse fieri ex nihilo, & aliquid poſſe fieri ex aliquo. atque ipſum creare, ſemper poſuit fieri ex aliquo, ſiue in naturalibus, ſiue moralibus, ſiue artefactis, prout præcedenti Recognitione patuit, patebitque magis ex proximè dicendis in obiectionibus.

Obiectio I.

DVæ ſunt obiectiones, vna prætendit, oſtendere librum de Xenophane non eſſe Ariſtotelis. Altera, oſtendere meam, quam tradidi doctrinam de factione ex nihilo, eſſe reprobandam. Nunc primam obiectionem expendamus.

Prima obiectio eſt. Librum de Xenophane non eſſe Ariſtotelis, quoniam in referendis Heſiodi carminibus aberrat.

In primo enim verſu mutat duas dictiones, adiungit vnam, & corrumpit verſum. Verſus relatus in libro de Xeno-hane tanquam verſus Heſiodi talis eſt.

πρῶτον μὲν πάντων, φησί, χάος ἐγένετ' αὐτὰρ.

Prima vox πρῶτον *primum* in Hesiodi carmine non est, sed est *protista*, quæ vox in carmine heroico, nequit in primo loco collocari, nisi vltima eius littera (α) elidatur ab alia subsequente: propterea Hesiodus eam non posuit in primo, sed in secundo pede.

Deinde in libro de Xenophane est vox παντων *omnium* quæ etiam dictio in carmine Hesiodi non est, quamuis in aliqua latina versione Hesiodi legatur. Et cum hac ipsa dictione παντων retulit Aristoteles in 1. Metaph. cap. 4.

Tertiò, erratum est, quoniam in libro de Xenophane ponit verbum ἐγένετ᾽ Hesiodus autem scripsit γένετ᾽.

Denique opponitur versus primus Hesiodi.

Ἤτοι μεν πρώτιςα χάος γενετ᾽ ἀυταρ ἔπειτα.

Nam liber de Xenophane, primam etiam voculam Ἤτοι prætermisit, atque falsò citauit per omissionē, additionem, peruersionem versus citati.

Respondetur. Aristoteles tribus locis citauit sensum Hesiodi, & aliquam partem carminum eius; atque est animaduertendum, aliquid præponi ab Aristotele de suo, tanquam pręparationem ad verba opportuna Hesiodi sumenda: Aliquid colligi à se, tanquam collectionem ex Hesiodi sententia.

Primus locus Aristotelis est in 4. phys. 6.

Secundus in 1. Metaph. sum. 2. cap. 2.

Tertius in libro de Xenophane tex. 22.

Prima citatio est in 4. physic. 6. talis. *Videbitur vtique, & Hesiodus rectè dicere, cum facit primum ipsum chaos.*

ποιήσας πρῶτον τὸ χάος λέγει γοῦν

πάντων μεν πρώτιςα χάος γενετ᾽ ἀυτὰρ ἔπειτα.

Γαῖ᾽ εὐρύςερνον.

quasi oporteret primum fuisse receptaculum. In qua citatione est præparatio ad citandum Hesiodum. *Cum fecit primum ipsum Chaos. Dicit enim.*

Collectio sensus vltimò fit. *Oporteret primum fuisse rece-*

pta-

ptaculum . In hac tamen citatione adſunt voculæ *proton*, & *pandon*, quæ viro docto huic fecere negotium.

Secunda citatio eſt in 1. Metaph. ſum. 2. cap. 2. *Suſpicaretur autem aliquis Heſiodum primum hoc quæſiuiſſe, & ſi quis alius amorem, aut deſiderium in entibus, vt principium poſuit, ſicuti Parmenides, &c. Heſiodus verò, ante omnia fuiſſe chaos: deinde terram ſpatioſam, atque amorem, qui inter omnes immortales elucet, Tanquam oportunum ſit, vt in entibus aliqua cauſa inſit, quæ res ipſas moueat, atque coniungat.*

Ησιοδος δε

παντον μεν προτιςα χάος γενετ' ἀυταρ ἔπειτα

Γαὶ ευρυςερνος &c. Η' δ' ἥρος

Hic quoque adeſt præparatio ad verba Heſiodi citanda; *ſuſpicabitur autem*. Adeſt collectio *Tanquam oportunum*.

Tertia citatio eſt in lib. de Xenophane.

Iam verò Heſiodus

Primum ante omne aliud, inquit, Chaos extitit, inde patenti
Pectore cunctorum ſedes firmiſſima tellus,
Atque amor, is cunctis ſpecie immortalibus anteit;
Ex quibus alia, ait, genita fuiſſe: ipſa autem hac ex nihilo.

πρῶτον μεν παντῶν, φησὶ, χάος ἐγένετ' αυταρ ἔπειτα,

Adeſt hic quoque præparatio ad verba Heſiodi. *Iam verò Heſiodus, Primum omnium, inquit.* Adeſt collectio, in qua ſenſum Heſiodi aptat ad propoſitum, quoniam alia dicit genita ex iſtis primis, chao, & amore. Prima autem ipſa iam non ex aliquo alio, ſed ex nihilo.

Ex iſta triplici citatione ſoluitur argumentum. Ariſtoteles ter citauit Heſiodi verſiculum: nulloque in loco poſuit vocem verſiculi hanc Ητοι. Si ex hac citatione, quæ falſa prætenditur, in prima voce verſiculi arguas librum de Xenophane non eſſe Ariſtotelis; eadem ratione ex indice Ariſtotelis expungere oportet libros phyſicos, & me-

taph.

taphyſicos, vt conuictos falſæ citationis.

Similiter in lib. 1. Metaph. ad verſus Heſiodi adiunxit vocabulum πάντων, atq; in 4. phyſic. impoſuit & vocem πάντων, & vocem πρῶτον. Hinc rurſus libri phyſici, ac metaphyſici nō erunt Ariſtotelis, ſicut arguitur liber de Xenophane. Quòd ſi propter detractionem, vel appoſitionem non reijciuntur libri phyſici, aut metaphyſici: propter eaſdem prorſus notas, nec liber de Xenophane erit reſpuendus. Præſertim cum Ariſtoteles, & præparatione, & collectione vſus ſit, in quibus non citat verba. Nam in citatione carminum aliqua refert ad verbum, ſed pauca: pleraque ad ſenſum.

Quæ autem de verbis *egeneto, & geneto* ſunt errata, illa ſunt à viro erudito corrigenda. Facilius clauam de manu Herculis extorqueas, quàm librum, aut ſcriptum, aut impreſſum ſine mendis librarij, vel typographi inuenias. Hac in re lectoris prudentia imploratur, vt errores præcaueat ſimiles, & emendet. Quam ob cauſam laudo eximiam fidem Ioannis Bernardi Feliciani, qui in his tribus libris de Xenophane, Zenone, Gorgia: nihil corrigere, ſupplere, minuere, mutare voluit; ſed quales inuenit, tales impreſsit. Sperans nimirum fore, vt aliquis alius codex eorundem librorum reperiretur: vnde poſſent non ex interpretis, aut lectoris iudicio, ſed ex collatione codicum à poſteris hæc opuſcula emendari.

Porrò tres hos libros eſse Ariſtotelis certos probaui auctoritate Diogenis Laertij in lib. 5. de vitis philoſophorum in Ariſtotele car. 316: quo loci tanquam certos libros Ariſtotelis affert

Aduerſus Gorgiam vnum.

Aduerſus Xenophanem vnum.

Aduerſus Zenonis ſcita vnum. Qui teſtis eſt grauiſsimæ authoritatis; Cum eo ſunt Franciſcus Vicomercatus in 2. phyſ. coment. 6. Benedictus Pererius lib. ſuo 4. phyſic. cap. 5. car. 133. & lib. 1, in Geneſim cap. 1. car. 24. Ioannes

Fran-

Franciſcus Picus. Mirandulanus in examine vanitatis lib. 2. cap. 3. Iulius Pacius in epiſtola, qua cenſuram fert de libris Ariſtotelis. Ioannes Franciſcus Patricius lib. 3. Diſcuſſio. peripat. car. 2. fac. 2. Conradus Geſnerus in Bibliotheca. Philippus Bergomēſis ſupplemento Chronicorum in Ariſtotele. Ioannes Bernardus Felicianus græcè, & latinè eruditus, qui & multa in Ariſtotele declarauit; & plura opera Ariſtotelis, inter quæ, & hos tres libros, in latinum tranſtulit. Longa eſset facienda comparatio locorum Simplicij de dictis à Xenophane cum ſcriptis à Meliſso, & Zenone. Sed eam in alium locum reijcio.

Secundum argumentum. Ad idem oſtendendum, ideſt ad reprobandos iſtos libros, adducuntur carmina Heſiodi ſub duplici verſione.

Prima verſio.

"Primò omnium quidem chaos fuit, at deinde
Tellus lato pectore prædita omnium fundamentum ſolidum ſemper
Immortalium, qui tenent iuga niuosi Olympi,
Tartaraque tenebricoſa, in receſsu terræ ſpatioſæ.
Atque amor, qui pulcherrimus inter immortales Deos
Soluens curam, & omnium Deorum, & omnium hominũ
Domat in pectoribus animum, & prudens conſilium.
Ex chao verò Erebuſque, nigraque Nox editi ſunt:
Nocte porrò tàm Æther, quàm Dies prognati ſunt,
Quos peperit vbi concepiſset Erebo amore mixta;
Terra, verò primum quidem genuit parem ſibi
cęlum."

Secunda verſio.

"Principio confuſa chaos sine imagine moles
Extitit, hinc tellus magnis apparuit aruis
Nam prius ipſorum pauimentum facta Deorum eſt
Quondam, qui cęlo ſedes habuere ſupremo,
Tartara dehinc vnà ſunt viſa dehiſcere terra.

Et

Et mox pulcher amor ſurgit, mediuſque Deorum
Cernitur, hic illos forma ſupereminet omnes,
Membra Deus latè ſoluit, diuumque, virumque
Conſilium, atque ipſam domitat ſub pectore mentem.
Deque chao, liuens Erebus, Noxque atra reſultant;
Æthera Nox ipſumque diem* nuſſiſſe putatur; nupſiſſe
Quos Erebo coniux peperit laſciua marito
Tum quoque ſydereum tellus grauis edidit orbem.

Ex his carminibus recitatis aliquis fortaſsè conficiet falsò dici in libro de Xenophane, principiata eſſe ex primis genitis, prima verò ex nihilo: cum nihil tale in his carminibus legatur.

Reſpondeo ſecundum Heſiodum, quæcunque ſunt in vniuerſo ſunt genita: principiata quidem ex primis: prima tria Chaos, Terra, Amor, ſunt genita ex nihilo. Quod in duobus verſibus inuocationis à Mombrino translatæ indicatur.

Dum licet iſta mihi cęli narrate, Colonæ:
Et mundo quæcunque prius ſint ædita rerum.

Sequitur reſponſio muſarum, vel per ſe, vel per poetam.

Principio confuſa chaos ſine imagine moles
Extitit, hinc tellus. Atque in verſ. 8. & mox pulcher amor

Ergo res primo editæ in mundo ſunt *chaos*, *terra*, *amor*, Si autem ſunt res editæ, & non ex alijs prioribus principijs rectè concluditur, quòd tres iſtæ res primæ ſunt editæ, ſiue productæ ex nihilo.

Certè Ariſtoteles in 1. metaph. tex. 12. ſententiam Heſiodi narrans, ſcribit.

Heſiodus quoque primam corporum terram ait eſſe. Sed in textu græco de terra eſt *geneſte* genitam eſſe. ſicut & Aphrodiſeus, & Sueſſanus, & Fonſeca in illum textum explicant. Si ergo terra eſt vnum ex primis, & genita eſt, iam & prima genita ſunt.

Sueſſanus idem in 1. metaph. ſum. 2. cap. 2. tranſtulit ex

græco textum, & item explanauit.

Textus Sueſſani. *Heſiodus verò omnium primum quidem chaos genitum fuiſſe, ſed deinceps terram latam, & amorem, qui omnia immortalia condecorat.*

Comment. Sueſſani. "Hesiodus verò omnium primum quidem chaos, ſcilicet materiale principium *genitum fuiſſe, ſed deinceps* ſecundum principium *terram latam* ex illo, ſcilicet chao, factam. latam verò, vt eſſet receptaculum omnium entium, quæ generantur. Eſt autem terra, quatenus locus, principium, vt in auſcultatorio lib.4. traditur. Quare, terram latam accepit pro ſecundo principio, & amorem qui omnia immortalia condecorat, ſcilicet poſuit tertium principium.„ Si tamen neque Interpreti verſuum Hesiodi Mombrino, neque interpreti textus Ariſtotelici Suesſano creditur. Credatur ſaltem Ariſtoteli, qui in 3. de cęlo tex.2. affert primam opinionem Meliſſi, & Parmenidis, *qui auferebant omninò generationem, & corruptionem. Nihil enim eorum, quæ ſunt, aut generari aiunt, aut corrumpi, ſed ſolùm videri nobis.*

In tex.3. affert opinionem Heſiodi directè contrariam. *Sunt enim quidam, qui aiunt nullam rerum ingenerabilem eſſe, ſed omnes generari; generatas verò has quidem incorruptibiles permanere, alias autem rurſus corrumpi, maximè quidem Heſiodus, deinde & aliorum ij, qui primi de natura diſſeruerunt.* Ergo iudice Ariſtotele, nulla res eſt in natura vniuerſi, quæ non ſit genita: poſteriora quidem ſunt genita ex primis, vt ex amore, & terra cęlum: ex chao, & amore Erebus: ex Erebo nox, & dies. Prima verò ſunt genita, (nihil enim eſt ingenitum in natura) non ſunt autem genita ex alijs prioribus, nec enim eſſent prima, iuxta 1.phyſic.42. Principia non fiunt ex alijs, neque ex alterutris, quia non eſſent prima. Verè itaque Ariſtoteles in lib. de Xenophane colligit ex mente Heſiodi. *Ex quibus alia, ait, genita fuiſſe; ipſa autem hæc ex nihilo.* Agit verò Ariſtoteles

teles de principio *ex quo* interno, non de principio *à quo* externo. Cur autem ex genitis, quædam immortalia, quædam mortalia sint, in 3. Metaph. 15. refert Philosophus causam secundum Hesiodum. Quæ enim gustarunt ambrosiam, & nectar, immortalia: quæ non gustarunt, mortalia mansere.

Simplicius denique super text. tertium 3. de cęlo in Com. 6. cum Aristotele concinit. *Post illos, qui videbantur auferre penitus generationem, proponit eos, qui contrariè dicebant: scilicet omnia generari, & nihil entium esse ingenitum. Omnium autem genitorum hæc quidem incorruptibilia permanent, hæc autem corrumpi; horum authorem autem ait esse Hesiodum, tanquam & maximè primum eorum, quæ ab ipso dicebantur esse, scilicet chaos, faciat genitum, dicens. Equidem primum chaos genitum fuit. Hunc igitur ait maximè omnia facere genita, quia, & primum apud ipsum generari dicitur. Aristoteles autem primos physiologos esse Orpheũ, & Musæum verisimile dicit, qui omnia excepto primo generari dicunt. Palam autem, quòd per fabulas isti theologizantes, generationem vocabant à causis processum: propter quod & primam causam omnes ingenitam seruant. Nam quod generatur necesse ab aliquo semper generari. Et hoc autem insinuauit, quòd prima causa, & supra notitiam, & supra nominationem est.* Huc vsque Simplicius.

Si igitur Hesiodus ponit tria prima, & inter hæc simpliciter primum chaos, deinde terram, atque amorem vt posteriores; & item ponit chaos esse genitum: certè & duo posteriora principia, terra, & amor sunt genita: Omnia itaque sunt genita secundum Hesiodum, sed genita quædam sunt ex primis, atque ista sunt genita ex aliquo: quædam genita sunt ipsa prima, quæ vtique non possunt esse genita ex aliquo, sed ex nihilo tantùm, nisi procedatur in infinitum.

Sicut autem Aristoteles citauit in 4. phys. particulam

primi & secundi carminis musarum, atque tertij. Citauit in 1. Metaph. particulam ex primo versu de chao: particulam secundi versus de terra, & particulam sexti carminis de amore, ostendens se necessaria tangere, non necessaria omittere ex Hesiodi metris. Ita quoque in lib. de Xenophane protulit aliquid ex primo versu de chao, ex secundo de terra, ex vers. sexto de amore, quodq; erat ad propositum conclusit, posteriora esse genita ex tribus primis, tria prima esse genita ex nihilo, nam si omnia sunt genita apud Hesiodum ex 3. de cælo 3. certè ex primis genitis, saltem vnum debet esse genitum ex nihilo. Puto verò chaum, & amorem ex nihilo, terram ex chao genitam.

Quin & Plato in Conuiuio. Phædrum inducit in laudem amoris citare Hesiodum, non ad verbum, sed ad sensum dicens. *Magnus Deus est amor, & apud Deos, hominesque mirandus: cum propter alia multa, tum maximè propter eius originem. Cum enim ex antiquissimorum deorum numero sit. honore dignus apparet. Id autem ex eo constat: quòd parentes amoris, à nullo, vel poeta, vel alio quouis traduntur, sed Hesiodus principio chaos extitisse his verbis asserit: Terra ampla, stabilisque semper omnium sedes, atque amor, post chaos videlicet asserens duo hæc extitisse terram, atque amorem.* Hæc Phædrus. Vnde constat, & Platonem, & Aristotelem in citando Hesiodo sensibus fuisse contentos, verbis quibusdam oportunis allatis. Sic soluta sint omnia, quæ obijciuntur contra librum de Xenophane.

Obiectio II.

SEcunda obiectio est contra factionem ex nihilo, à me ex Aristotele deductam. Ratio verò non est ad rem, sed ad hominem, hoc est ex meis dictis in Defensione Vestigationum. Sic arguitur.

Quòd

Quod fit ex priuatione, non poteſt dici fieri ex nihilo. ſed forma ſubſtantialis iuxta Ariſtotelem 1.phyſ.43. & iuxta conceſsa ab iiſdem authoribus, fit ex priuatione, vt muſicum ex non muſico, ergo forma non fit ex nihilo. Hoc argumentum exiſtimatur ineuitabile.

Fortaſse reſponderi poteſt per tradita in 1. Veſtigat. Forma ſubſtantialis conſideratur quo ad eſse, vel quo ad ineſse. Primò tranſit ex non eſse ad eſse ſui, & hæc eſt factio ex nihilo. Secundò tranſit à non ineſse ad ineſse. Secundus iſte tranſitus eſt à priuatione ad formam in materia inexiſtentem. Prius quidem eſt eſse, quàm ineſse, ſicut omne abſolutum eſt prius reſpectu fundato in ipſo abſoluto. *Eſſe* formæ ſubſtantialis eſt eſse abſolutum; *ineſſe* formæ ſubſtantialis, eſt eſse reſpectiuum, nempe eſt reſpectus formæ ſubſtantialis ad materiam ſubiectam, in qua ineſt. Tunc ad argumentum negatur maior. nam idem quoad eſse poteſt fieri ex nihilo, & quoad ineſse ex priuatione. Quemadmodum communiter conceditur in anima rationali duplex hic tranſitus, ex non eſse ad eſse, quæ eſt factio ex nihilo: ex non ineſse ad ineſse, quæ eſt factio ex priuatione.

2. Reſponderi poteſt, ſub non ente in commnni contineri priuationem, quæ eſt negatio partis formalis in ſubiecto apto: contineri etiam ipſum nihil, quod eſt negatio omnis partis rei factæ. Primo modo compoſitum fit ex affirmatione vnius partis, ſcilicet materiæ, & ex negatione alterius partis, nimirum formæ. Quare priuatio eſt negatio vnius partis rei factæ. Neceſse eſt autem, vt hæc negatio ſit in ſubiecto, velut in vna parte præexiſtente: ſitq; negatio alterius partis, quatenus partis ipſius compoſiti.

Tunc diſtinguo: priuatio, Vt comparatur ad compoſitum, cuius eſt principium, eſt negatio vnius partis. Vt comparetur ad formam ſubſtantialem impartibiliter productam, eſt negatio formæ totius, ac totaliter, vt in exemplo 1.phyſ. 43.

43. musicum fit ex non musico. In quo casu nulla pars ipsius musicæ vel est, vel inest in subiecto. Non est, quia nondum est producta; nec producetur, nisi in subiecto, cum sit inseparabilis à toto. 13. Metaph. sum. 1. cap. 2. Non inest pars quia nondum est. Quamobrem eadem negatio respectu compositi est negatio partis vnius; respectu formæ est negatio omnis partis, quæ negatio est nihil.

Iam ad argumentum. Nego maiorem, quia eadem forma, vt est pars compositi fit ex priuatione; vt est totum substantiale, & ens, & vnum 2. de Anima 7. potest fieri ex nihilo. Rursus nego minorem, quia forma non fit ex priuatione, vt est negatio partis, sed compositum fit ex negatione partis, & affirmatione partis. quo pacto posset concedi maior, sed minor neganda est, quoniam in 1. phys. ostenditur contrarium fieri ex contrario. in simplicibus prius, in compositis posterius. In tex. 43. considerantur simplicia. non consideratur subiectum, de quo nondum tractatum est; at non considerato subiecto, neque consideratur priuatio, sed precisè considerantur musica, & negatio musicæ, quæ est nihil.

Considerantur item prima contraria simplicia. At contraria non sunt subiectum, licet aliàs in subiecto esse dicentur.

Porrò quoniam factio ex aliquo, & ex nihilo in lib. Defens. Vestigationum 2. ad num. 14. & sequentes tractata est, inde plures solutiones dari possunt ad euitandum hoc argumentum ineuitabile.

Respondeo igitur quod fit vel est simplex, vel compositum; si de composito loquamur, maior est vera, minor falsa. Si de forma simplici, maior est falsa, minor non vera: forma enim ut musicum non fit ex priuatione, idest ex negatione vnius partis rei factæ, sed ex negatione omnium partium. Nulla enim pars musici est in termino à quo, scilicet in non musico.

Re-

Respondetur secundò. Priuatio vel integrè accipitur vt significat negationem formæ, & consignificat affirmationem materiæ aptæ: vel diminutè, vt significat solam negationem formæ. Primo modo maior est vera, sed per accidens, nam priuatio accidit materiæ,& compositum fit per accidens ex priuatione. Quia verò fit ex materia, quæ est aliquid, dicitur fieri ex aliquo,non ex nihilo,ratione materiæ, Minor tamen est falsa, nam forma non fit ex materia, vt parte ipsius formæ. Secundo modo falsa est maior, quia sola negatio formæ non est ens, aut aliquid. Quod igitur fit ex sola negatione formæ non fit ex ente,seu ex aliquo,vnde nec sequitur,ergo quod fit ex sola negatione formæ, non fit ex nihilo.

Ad extremum. Priuatio consideretur, vel respectu compositi, & est negatio vnius partis tantùm: vel respectu formæ, & est negatio omnium partium. Primo modo priuatio non est nihil, & quod ex priuatione fit,non fit ex nihilo. Secundo modo priuatio est nihil formæ, & quod sic fit ex priuatione, fit ex nihilo.

Aliæ quoque ex eodem loco possunt elici solutiones, sed istę sufficiant in pręsentia.

Regressio ad Licetum.

QVatuor erant proposita initium temporis mundi, initium temporis hominis, productio mundi, productio hominis.

De productione hominis dictum est, eam esse creationem, quæ est productio ex aliquo, nam primus homo de terra productus est, non factus ex nihilo. Etenim creatio hominis neque in scriptura, neque in Aristotele significat factionem ex nihilo.

De productione mundi. Licetus affirmat Aristotelem ignorauisse factionem ex nihilo, quæ cum Liceto est creatio.

tio. Qua in re est

Primus error Liceti. nam in primo libro de Pietate cap. 4. Licetus asseuerat Aristotelem cognouisse Deum omnipotentem, ac rerum omnium creatorem. Nunc Licetus negat creationem esse Aristoteli cognitam. Si autem non cognouit creationem, planè neque cognouit creatorem, quatenus huiusmodi.

Secundus error. nam Licetus tenetur constituere plura entia ineffecta. Si enim materia prima non est facta de nihilo, quia talem factionem Aristoteles non cognouit. Materia verò non potest fieri ex aliquo cum 1. phys. 82. ac 7. metaph. 26. 32. & item 12. metaph. 12. Igitur materia prima nec est facta ex aliquo, nec ex nihilo: sed est ineffecta, & ineffectibilis. Igitur non est tantùm vnum ens non factum, & factor entium reliquorum omnium. At hoc certè est impium. Nunc impietas hæc in Aristotele ponitur. Quæ impietas negabatur, quando cum 1. metaph. cap. 2. Deus à Liceto dicebatur causa omnium. Quando cũ 1. de cęlo 100. asserebatur à Deo omnibus pendere, & esse, & viuere. Versipellis est Licetus, modò ait, modò negat.

Corollarium. Si qui defendunt pietatem in Aristotele, in eo confitentur has impietates.

1 Deus non est factor omnium.

2 Materia prima non est facta à Deo.

3 Intelligentiæ, & cęli non sunt facta.

4 Mundus fuit ab æterno de facto. Quid sperandum est pietatis in eo, in quo impietatem confitentur pietatis defensores? Necesse est, vt Aristoteles meliores quęrat defensores; Licetus non est bonus aduocatus, præsertim in hoc articulo de factione ex nihilo: in quo Aristoteles super plurimos elucet philosophorum, qui resonabãt illud, ex nihilo nihil fit.

Reco-

Recognitio LXXXIX.

IN libro 2. de Pietate cap. 11. Licetus præoccupat, ne Aristoteles impietatis accuſetur, eo quod librum, qui *Magicus* inſcribitur, ſcripſerit. Talem librum ab Ariſtotele compoſitum, teſtatur Laertius. Sed cum liber ille non extet, neque quid in eo contineretur certò ſciamus, ſiue de bona, ſiue de mala Magia: dicendum eſt cum Ariſtotele in primo ad Nicomachum. Vnuſquiſque benè iudicat, quæ cognoſcit, & is eſt bonus iudex. Qui item iudicat, quæ non cognoſcit: non eſt bonus iudex. Nullum ergo de libro illo feramus iudicium. 1. Nic. 1. i. car. 4. ſ

Recognitio XL.

MOui ego noſtro tempore controuerſiam in Ariſtotele, quòd in lib. 2. Meteor. Palęſtini ſtagni, conditiones tanquã fabuloſas retulerit: quã rem attigi in appendice ad librum de Ortu Iſtri: & iterum in libello, *de fabulis Palæſtini ſtagni*. Licetus in hoc ſecundo libro de Pietate Ariſtotelis cap. 12. eundem tundit lapidem, quem tutuderat in libro de Quinto Quæſitis. Veruntamen in iſto capitulo tot affert authoritates Ariſtotelis, quot in nullo alio loco librorum de Pietate. Etenim ſolet in alijs aliena referre, quoniam Ariſtotelica deſunt. Cur ergo nunc exundant citationes Ariſtotelicæ? Nimirum quoniam eas furatus eſt ex meo libro de fabulis Palæſtini ſtagni; quod in præſentiarum recognoſcere iuſtum eſt, vt coruum alienis plumis fulgentem, coruum, non pauonem eſse appareat.

Sit prima comparatio authoritatum, quas ex me accepit. Prima eſt. In pag. 146. Licetus citat ex libro 2. Meteorsum. 1. cap. 3. *Si autem eſt, ſicut fabulantur, quidam in Palæſtina tale ſtagnum &c.*

O Hic

Hic textus, & in appendice de lacu Palæſtino, & in libro de fabulis Palæſtini ſtagni eſt à me citatus.

2. Pag.149.lin.39.Licetus citat lib. de Admirādis audi tionibus cap.96. Inter ſeptem Eolias inſulas vna eſt, Lipara nomine, in qua ſepulchrum eſse fabulantur.

Ex libro de Fabulis Palæſtini ſtagni ad num.11. pag.56. ſumpta eſt authoritas.

3. Pag.152.affert 2.Rhetor. cap.21. ſed illa authoritas eſt in meo libro Ariſtotelis cap.20.in quo ſermo fit de exēplo argumentatiuo. Exemplorum ergo ſpecies duæ ſunt. Altera, ſi res præteritas dicis: altera, ſi ipſe fingis. Et huius aliud ſimilitudo, paraboli: aliud apologi logoi, ſicut Eſopij, & Libici.

Sed in iſto textu citato non eſt nomen *fabulæ*, de quo quærimus. In capitulo autem 21. quod ego citaui in libro de fabulis pag.57.ad num.12. dixi vocabulum *fabulæ* cum textu: Itemque ſenibus, peritis tamen, & ſententiam, & fabulam congruere, vti Protagoras apud Platonem fabulam narrat.

4. Pag. 153. profert Licetus ſectionem 18. Problem. 3. *Cur homines in loquendo, exemplis, & fabulis potius gaudeant.*

A me ſumit, qui hoc citaui agens de Fabulis Paleſt. pag.49.ad num. 3.

5. Licetus in pag.153. lin. 2. producit à 2. metaph. 14. *Quantam vim verò habeat conſuetudo, leges declarant, in quibus fabuloſa &c.*

At hoc ſumptum eſt ex libro de Fab.Palæſt.ad pag. 43. ſub numero 2.citationum.

6. Pag.156.lin.4. educit à 12. metaph. text. 50. *Cætera verò fabuloſè ad multitudinem &c.*

At non ſine meo libro de Fab.pag.49.ad num.4.

7. Pag.153.Licetus producit lib.6.Hiſtor.cap.31. quòd de Leena fertur, vuluam cum partu emittere, delira fabu-

fabula est.

Idipsum ego proposueram in pag. 58. sub citatione 15. in libello de Fabulis Palæst.

8. Pag. 153 lin. 29. repetit Licetus textum 50. 12. metaph. & exponit.

Istam authoritatem protuli in libello de Fab. pag. 49. ad num. 4.

Confert Licetus authoritatem hanc 12. metaph cum 2. de cęlo tex. 2. & 17 In quibus tamen textibus nunc citatis, nomen fabulæ non sònat. Sed in Recognit. 32. consideraui expositionem super text. 50. 12. metaph. Quæ expositio ibi facta à Liceto, contradicit expositioni, quam nunc facit in paginis 153. 154.

9. Pag. 154. adscribit Licetus ex 1. metaph. sum. 1. cap. 2. magnam partem capituli: vt hanc solam particulam accipiat. *Quare philosophus amator fabularum est quodammodo; eo quòd fabula ex mirandis constat.*

Posueram ego textum istum in libello de fabulis pag. 47. num. 1.

10. In pag. 155. iteratè refricatur auditio de Lipara Insula, & fusè declaratur.

Citaui ego prius hanc auditionem in libello de Fabulis Palæst. pag. 56. num. 11. vt superius notaui.

11. Pag. 157. lin. 15. Fabulam de generatione Iphiclis, & Herculis producit ex libro 7. Hist. anim. cap. 4.

Citaui ego antea istum ipsum textum in libello de Fabulis pag. 59. ad num. 20. quo loco citaui librum 6. Histor. animal. propter errorem codicis Aristotelici Aureliæ Allobrogum excusi. Nam in eo libro adscribitur liber 6. Cum error sit. Corrigatur error, & legatur *liber septimus.*

12. Pag. 157. librum 7. Histor. animal. cap. 6. Vt de Hercule fabulantur, qui inter duos, & septuaginta liberos, fęminam vnam antummodo genuit.

Protuli textum eundem ego in libello de fab. pag. 60.

sub num.20.

13. Pag.157.recolit textum ex lib. Polit.5. cap.10. de Sardanapalo.

Hunc textũ mihi non vendico. Fuit ex inuentione ipsius Liceti propositus,&cõsideratus in libello deFab.ad pag.61

14. Pag.158. adscribit 1.Meteor. sum:4.cap.1. de montibus Riphæis fabulosa.

Recensui ego prius in libello prædicto pag.58.ad n.15.

Quatuordecim textus ex Arist.pro vocabulo *fabulari*, Licetus attulit, imò ex me (qui antea colligendo laborauerам) supresso meo nomine retulit, vno excepto tex.à lib.5.Polit.cap.10.de Sardanapali Fabula,an historia. Ille discipulus est bonæ frugis, qui plurima promit ex Magistro; nullius frugis, qui nulla. Licetus se vnicè discipulum Aristotelis profitetur, Aristotelem per antonomasiam Magistrum appellat. Sed Aristotelis textum ad rem, vnum tantùm prompsit; alios tredecim à me sumpsit. Quantę igitur frugis sit Licetus, lector coniectetur.

Ast obiiciet, quòd in pag.149. citat librum de somno, & vigilia cap.4.ad expositionem, vel rationem de resurrectione Erij Pamphilij. Sed neque in illo textu est vox *fabula*, de qua disquirimus: neque de Pamphili dormitione, aut resurrectione, sed neque Pamphili nomen; ergo oportebit nos ista in textu intelligere, non quia Aristoteles dixerit, sed quia Licetus voluerit.

Secunda comparatio inter me, & sublimissimum discipulorum Aristotelis, (qui summam gloriam Aristoteli comparare se putat, dum eum magistrum sui, hoc est Liceti, titulo ornat, exornat, extollit, exaltat.) est in voce Mithos, & Mitheo. Licetus vnicum tantùm Aristotelis locum inuenit ad explicandum significatum vocis fabula,& fabulor. Ego non discipulus, nec enim tantum mihi arrogo, vt Aristotelem mihi pro Magistro singulariter vendicem, præter citatos locos in prima compara-

paratione, istos quoque quasi flosculos ad rem propositam collegi.

1. In 14.metaph.cap.6. *Quia hi quidem eorum, qui misti fuerunt, nec omnia Fabulosè (dicunt) vt Pharecides, & alij quidam, primum generans optimum ponunt.* *fabulosè*

2. In 4.phys.tex.97. *Sicuti neque ijs, qui in Sardo Fabulosè dicuntur dormire apud Heroas.* *fabulosè*

3. E 2.de celo tex.4. *Quapropter, neque secundum antiquorum Fabulam arbitrandum est sese habere, qui dicunt Atlante quodam ipsi cælo opus esse ad salutem. Videntur enim, & qui hunc sermonem constituerunt, eandem habere opinionem, quam posteri: nam quasi grauitatem haberent, terreaque essent omnia, quæ sursum sunt corpora; substituerunt ipsi Fabulosè necessitatem animatam; neque itaque hoc existimandum est.* *fabulam* *fabulosè*

4. E. libro de communi motu cap.3. *Verùm, qui in Fabulis versantur, & Atlantem pedes in terra habere faciunt: non sine mente hanc Fabulam dixisse videri possint, perinde, ac illis diameter sit, cælumque circum polos torqueat.* *fabulæ* *fabula*

5. A.libro 1.de anima 53. *Tamquam possibile sit secundum Pythagoricas Fabulas, quamlibet animam quodlibet corpus ingredi.* *fabulæ*

6. A 3.metaph.15.aduersus Hesiodum, & consortes, *Sed de his, quæ fabulosè, & sophisticè dicuntur, non est dignum accuratè considerare.* *fabulosè*

7. Ex 2. Polit. cap. 9. de bellatoribus. *Videtur autem, qui primus fabulatus est, non irrationabi liter Venerem Marti coniunxisse, quoniam omnes huiusmodi homines proni sunt ad Venerem.* *fabulatus*

8. Ex 3.polit.cap.13. *Tradunt enim Fabulæ ob huiusmodi causam Herculem ab Argonautis fuisse relictum.* *fabulæ*

9. Cum 1. de partibus cap. 1. *Modo eorum, quæ Fabulæ transire in lapidem narrant.* *fabulæ*

10. Per 6.de Hist.anim cap.35. *Fertur de eius partu ad Fabulam proximè, lupos omnes intra duodecim dies parere.* *fabulæ*

Cuius

fabulosè *Cuius rei causam proferunt Fabulosè, quod Latonam aberrantem totidem diebus ex hyperboreis Delum deduxerint sub specie lupi propter metum Iunonis.*

11. Per 9. Hist. Animal. cap. 1 car. 1043. E. Docet animalium quorundam pugnas. *Pugnat Esalo cum Vulture, Crex cum Galgulo, & Merula, & Vireone; quem ex flagratione procreatum quidam Fabulantur, nocet enim his, & eorum pullis.* *fabulantur.*

12. Item 9. Histor. animal. cap. 35. car. 1061. E. *Cui rei data est Fabula, vt hoc ita accidat aquilæ: quoniam olim, cum homo esset, hospiti iniuriam intulerit.* *fabula*

13. Ad hæc 8. Politic. cap. 6. car. 573. De tibijs. *Fabulantur Mineruam repertricem abiecisse ob deformitatem oris.* *fabulantur*

14. 8. Politic. cap. vlt. car. 575. *Philoxenus facere dithyrambos in Fabulis non potuit.* *fabulis*

15. Admirandam auditionem 96. attuli in pag. 56. libelli de Fabulis Palęstinis. Sed in fine illius citationis adieci. *Sic in auditionibus 76. 79. 80. 93. & sæpius.* Fabulæ vox accipitur pro falsa, & ficta narratione.

16. Denique in 2. Meteor. sum. 1. cap. 3. Aristoteles verbum fabulandi quinquies vsurpat: quater sine dubio fictam, falsamque significans orationem. De Stagno Palęstino quintò subdit. *Si autem est, sicut fabulantur quidam, in Palæstina tale stagnum.* Profectò rationi consentaneum est, idem vocabulum eandem significationem retinere in eodem libro, & capite, quemadmodum ad pag. 80. 81. in libello de Fabulis Palæstini stagni proposui.

Iam liquet, non deesse in Aristotele plurimos locos à me animaduersos, è quibus possumus cognoscere, quid significetur per formalitatem Fabulæ, & eius coniugata. Ex Aristotele Aristotelicas produxi sententias. Licetus quoniam Aristotelica non habuit, aliena congessit. Fęcundus extra Peripatum, sterilis in Peripato. Volens quippe probare, quòd vocabulum *fabula*, græcè *Mithos*, significet

ſicet narrationem veram, ne vnum quidem pro ſe textum Ariſtotelis inuenit, ſed vnum contra ſe; reliquos textus ex meo libello ſuffuratus eſt. Sed facilè eſt ex alienis inuentis diteſcere eum, qui eſt inops ex ſuis. Apte Sueſſanus poſt narratas expoſitiones dictorum Heſiodi, ſed breuiſſimè ſubdit. *Alij dicant, quid velint; nam hoc parum ad nos, qui quærimus Ariſtotelem intelligere.*

Recognitio XL.

Licetus lib. 2. de Pietate cap. 12. à car. 147. tria proponit ſignificata verbi *Fabulari:* primò ſignificat.

1 Loqui ſimpliciter.
2 Vera loqui.
3 Falſa loqui.

Primo ex alienis autoribus profuſiſſimè probat hæc ſignificata.

Deinde Ariſtotelem vſum eſſe hac triplici ſignificatione varijs locis conatur oſtendere: non quidem propria ex inuentione authoritates afferendo, ſed à me allatas contorquendo. Tertiò in 2. Meteorolog. de lacu Palæſtino ait, Ariſtotelem accepiſſe verbum *fabulantes* pro vera dicentes.

Equidem agens de Fabulis Palæſtini ſtagni nolui conſiderare, quæ à Lexico, Calepino, Concordantijs, alijſque authoribus coaceruat Licetus: ne tamen prorſus ieiunus viderer, tres attuli authores, qui data opera deſcriberent, quid intelligant per nomen *fabulæ*. Etenim niſi ita fiat, ſed referantur Scriptores hoc vocabulo Mitheo, vel Mithos vtentes; longa diſputatio habenda eſt, & in examine illius ſcriptoris, & quid ſignificet per vocem, & an propriè, vel figuratè vocem adhibeat. Et rurſus diſputandum eſt de conſequentia, vtrum ex illo Scriptore benè ſequatur id, quod infert Licetus: 3. denique idem labor eſt habendus in applicandis extraneis ad Ariſtotelem. Tres igi-

tur authores adduxi. Primus est.

S. Augustinus tom. 1. Soliloqui lib. 2. dicens. *Siquidem est fabula compositum ad vtilitatem, delectationemque mendacium.* Mendaciumque ex eodem Augustino, lib. contra mendacium cap. 12. est falsa significatio vocis cum intentione fallendi. Ergo iuxta D. Augustini definitionem fabula est narratio falsa, & ficta.

Licetus non cedens veritati, nititur Augustinum in contradictionem ponere, quoniam alibi oppositum dixit. Itaque in pag. 150. lin. 5. huic dicto Augustini opponit dictum in tom. 8. super psal. 118. concione 20. dum explicat illam vocem *fabulationes*. Adscribo ex D. Augustino dicta in concione 20. citata per Licetum, vt appareat sinceritas Liceti.

Augustinus tom. 8. car. 455. F. G. *Quod autem sequitur, Narrauerunt mihi iniqui delectationes, sed non vt lex tua: eas sic transferre voluerunt Interpretes nostri, quas Græci* ἀδολεσχίας *adoleschias vocant; quod vsque adeò vno verbo nequaquam dici latinè potest, vt aliqui delectationes, aliqui fabulationes eas dicerent.*

Statim apparet fallacia Liceti. Quærimus de vocabulo *Mithos*, latinè *fabula*; fugit Licetus ad vocabulum adoleschian, quod latinè vno vocabulo reddi non potest. Sic nobis pro allijs cępas obtrudit.

Infert Licetus. Ergo fabula, & Mithos significat narrationem veram. Quid tibi videtur Lector? si *adoleschia* significat narrationem veram, ergo & *Mithos* significat narrationem veram: tale argumentum est istud. Homo est rationalis, ergo calceus est rationalis. Sed lis oritur noua de significato vocis adoleschia, quam significationem B. Augustinus ita prosequitur.

S. Aug. *Vt non immeritò accipiatur esse quidem illas exercitationes, sed in sermone cum quadam delectatione. Has verò habent in diuersis sectis, ac professionibus, & litteræ sæculares, & Iudæorum, quæ deutereses nuncupantur.*

Con-

Constituens præter diuinarum canonem Scripturarum millia fabularum.

Habet eas & hæreticorum vana, atque errabunda loquacitas. Hos omnes iniquos intelligi voluit, à quibus narratas sibi dicit adoleschias, idest *exercitationes delectabiles* verbis: sed non, inquit, vt lex tua, Domine: quia me in ea veritas, non verba delectant.„Hucusque Augustinus.

Exercitationes delectabiles sunt sæculares, quales sunt narrationes poetarum fabulis plenæ: Fictiones Iudęorum, dogmata vana hæreticorum. In his tribus continentur millia fabularum: quibus, per aduersatiuam *sed*, legis diuinæ veritas obuiat. Quid per fabulas Iudæorum, & hæreticorum intelligit Augustinus, nisi eorum mendacia verbis delectabilibus proposita? Quare in isto loco per Fabulas, vel Fabulationes non intelligit Augustinus loqui vera. Intelligit enim loqui falsa, & ficta, quę cum veritate legis diuinæ non consentiant; Omne verum cum vero diuinitus reuelato consentit, solum falsum dissentit. Igitur S. Augustinus est sibi consentiens in Soliloquijs, & super psalmos; & frustra Licetus tentat ostendere Augustinum esse sibi ipsi contrarium. *S. Augus.*

Secundus author à me citatus est Cicero latinorum vocabulorum peritissimus. Hic in primo lib. de inuentione ait. *Fabula est, in qua nec veræ, nec verisimiles res continentur.* *Cicero.*

Et lib. 2. de diuinatione. *Num igitur me coges etiam Fabulis credere? quæ delectationis habeant, quantum voles: verbis, sententijs, numeris, cantibus, adiuuentur: authoritatem quidem nullam debemus, nec fidem commentitijs rebus adiungere.*

Respondet Licetus pag. 149. lin. 5. *Apud latinos itidem authores fabulor, & fabula totidem habet significata, ceu vox æquiuoca. nam Cicero, qui Fabulam de inuentione lib. 1. dicit, in qua nec veræ, nec verisimiles res continentur (vt vt hoc non*

accipiam) sciens poetarum plerasque fabulas esse de rebus verisimilibus, negansque (2. de Diuin.) se Fabulis credere, vt puta falsis narrationibus.

Tamen alibi Fabulæ nomine seriem rerum verè gestarum in humana vita significat. inquiens de senibus. *Quibus authoritatis præmijs, qui splendidè vsi sunt, ij mihi videntur Fabulam ætatis peregisse, lib. de senectute.*

Stalenus à pub. Cethego admonitus istam dedit conciliationis, & gratiæ Fabulam.

Et ad Atticũ (lib. 13.) Istud in Publio me penè absente conficies, de quo fama sit, scribes, id populus curat scilicet. noui mercedem, arbitror etenim, hæc decantata erat Fabula, sed complere paginam volui: Licetus subdit. *Vbi manifestè Fabulam pro vulgata fama vera de Publio ponit.*

Ita Licetus vult adducere Ciceronem, vt contradicat propriæ definitioni datæ de Fabula. In vanum laborat: nam gratia ficta, fuit à Staleno inuenta, atque adeò Fabula.

Sed locus de senectute, si legatur integer, soluit omnia, quæ Licetus obiicit: ostendens per translationem, ea dici de vita peracta, quæ dicuntur de Fabula decantata: Eritque indagandum, in quo consistat similitudo inter Fabulam actam, & vitam actam. Etenim per 6. Top. loc. 9. Omnes translatione vtentes, secundum similitudinem trãsferunt. Loquatur Cicero. *Quibus qui splendidè vsi sunt, hi mihi videntur Fabulam ætatis peregisse, nec tanquam inexercitati histriones in extremo actu corruisse.* Similitudo in eo consistit, quòd in repræsentandis tragedijs, vel comedijs, atque huiusmodi fabulis, vbi ad vltimum actum histrio peruenit: nihil vltra addere potest, nec impedire, quominus iudiciũ fiat de histrione, benè, an malè Fabulã peregerit. Periti quidem histriones in vltimo actu maximè constant: imperiti corruunt. Ita senes, qui vitam ex virtute duxerunt, & honoris præmia sunt consecuti, eisque splendidè vsque ad vltimum vitæ spiritum vsi sunt: ij vi-

tam

tam rectè egisse iudicantur ex vltimo spiritu, sicut histriones ex vltimo actu Fabulam rectè, aut perperam egisse censentur. Translatio verò est, quando vox à significato proprio ad non proprium transfertur. Significatum proprij dicti; *acta est Fabula, decantata est Fabula*, propriè significat Fabulam ab histrione repræsentatam, & in vltimo actu iudicatam. Sic, & vita hominis per Fabulam, non propriè repræsentatur, sed per iudicium de vltimo actu vitæ, Fabulæ repræsentatæ assimilatur. Quæ sententia Ciceronis congruit cum sententia Solonis, quam Aristoteles retulit in primo Nicomac. cap. 11. & 15. A. Neminem felicem ante obitum dici debere.

Tertius autem author est Suidas in historia, ad vocabulum Mithos pag. 606. col. 1. *Fabula est oratio falsa, veritatem sub imagine repræsentans*. Nec aliud significatum huius vocis ponit, quoniam hoc solùm propriè, non figuratè accipi existimauit. *Suidas.*

Et nota, à me non per extortas consequentias vocabuli *Fabula* significationes proponere; sed definitiones à grauissimis viris ex professo traditas. Aliud est enim de industria rem, & rei vocabulum definire: aliud obiter, seu propriè, seu figuratè vocabulum vsurpare.

Ad hoc testimonium Licetus in pag. 140. lin. 11. ait. *Deinde verò Suidæ, Mitheæ, Logeis loqueris, dicit (vbi Portus lexicographrus in Notis ait. Mitheæ, Ion. pro comm. poet. loqueris dicit à Mithome pro Mitheome, vmæ loquor, dico, subdit immediatè Suidas. Mythysas, Cipon, Mythysas loquutus à Mitheo, o: licet ista non recenseat Volfius in historicis à se collectis ex magno Suidæ volumine, sed solùm quæ statim subiungit in altero sensu Fabulæ Suidas inquiens &c. Mythos, idest Fabula est oratio falsa veritatem sub imagine repræsentans.*

Ad ista Liceti dicam, me librorum integritatem præstare non posse. In meo libro Suidæ non adsunt illa, quæ Suidę Licetus affingit. Si Portus in suo vocabulario id posuit,

fides sit penes authorem. Sed cum Volfius hanc definitionem ponat in Codice impresso Suidæ, & eandem referat Portus in suo Codice: duos testes habemus pro definitione data à Suida, quòd Fabula sit oratio falsa. Quod vnicus testis addit de suo, incertum est. Neque existimo verum esse, quòd Volfius partem Suidæ impresserit, partem omiserit. Posteritas fortasse vtrunque librum nacta, iudicabit.

Ego non recedam à tribus contestibus fabulæ definitionem assignantibus. Licetus pro more suo legat vocabularia, non assignantia quid propriè, quid per tropum, & per quem tropum voces innuant. Descendat Licetus per varios libros vsque ad authorem Maccaronicorum; non habuit poetam magis idoneum, in lingua Ethrusca, quem proferret. Qualis tamen sit is author imæ sortis in vocibus, in phrasibus, in sententijs, & in moribus ex paucis versiculis à Liceto citatis constat. Cum homuncio iste se fingit in Paradisum terrestrem eleuatum, seque medium, nempe in loco honoratiore, ponit inter Sanctissimos viros, summis priuilegiis â Deo donatos Enoch, & Eliam. An humilis, & morigerati, aut benè educati est inter sanctissimos senes, medium se locare?

Maccar.

Paucos alienos, sed solidè hoc dicentes, quod ego dico: præfero multis non definientibus, quod dicunt, sed vtcunque proponentibus.

Recognitio XCI.

Licetus pag. 152. lin. 26. circa secundum Aristoteli verbum idem vsu venisse pariter in hac triplici significatione, ceu verbum ad eas æquiuocum, iam ostendamus.

Certè cuiuis apertum est in lib. Poetices. Aristotelem ferè semper vsum fuisse nomine Fabulæ ad significandum fictum argumentum. In Rhetoricis item fabulas, qui bus ple-

plerunque persuadere conantur oratores multitudinem ad aliquam deliberationem esse fictas, & verisimiles, non item veras narrationes: Liquidò constat ex Aristotele dicente.

2. Rhetoric. cap. 21. Primum igitur de exemplo dicamus, quoniam inductioni simile est: inductio autem principium. Exemplorum ergo species duæ sunt: Altera si res præteritas dicis: altera si ipse fingis, & huius aliud similitudo paraboli: aliud apologi logoi, sicut Esopij, & Libici, quæ pars vltima, & verius, & clarius à Riccobono trans ata est. *Exemplorum verò formæ duæ sunt, nam vna quidem est exempli forma, dicere res gestas; altera verò ipsum fingere, atque huius quidem vna pars est parabola, altera logi, vt Esopici, & Libici.* Ita Licetus

Prima obseruatio. In hoc textu sicut, & in græco non adest vox *similitudo*, neque *Apologi*. Dat Aristoteles exemplum parabolæ à Socrate acceptum, exemplum logi à Stesichoro, & Æsopo, vti de equo, homine, & ceruo: de vulpe, muscis, herinaceo loquentibus, quæ Fabulæ neque veras, neque verisimiles res continent, vti Cicero dicebat. Nam loqui bestias est impossibile, non verisimile.

Concedit tamen Licetus in isto loco 2. Rhetor. in 18 Problematum 3. in 2. metaph. 14. in 12. metaph. 50. Cætera verò Fabulosè &c. in 6. Hist. 31. Aristotelem accipere vocabulum Fabula pro narratione ficta., Et reuera talis est significatio propria.

Sed antequam ad alios locos considerandos conuertar cum triplex apponatur signficatum vocabuli Fabula; inquiro à Liceto, loquitur enim extra rem, nã in textu 2. Rhetor. citato per ipsum, non est vocabulum *Fabula*. Inquiro, inquam, sub qua parte statuat Fabulam, an pro omni oratione, seu vera, seu falsa, vt est loqui simpliciter in primo significato per Licetum proposito; aut sub exemplo vero

cum

cum narrantur res gestæ, & est secundum significatum Liceti, aut sub ficto exemplo, quales sunt parabolæ, & logi in 3. significato Aristotelis.

Si primo modo, quoniam omnis enuntiatio est oratio significans verum, vel falsum per primũ de Interpret. cap. 4. & Fabula in primo significato stat pro quauis oratione, seu vera, seu falsa. igitur omnis enunciatio est Fabula. Ne irascatur ergo Dominus meus Licetus, si ego quæcunque ille scripsit propria, dixero esse Fabulas. At irascar ego, & omnis fidelis, si omnes enunciationes sacræ scripturæ, omnia Decreta Conciliorum, & Pontificum, omnes loquutiones Sanctorum, infamentur hoc titulo *Fabulæ*.

Irascar quoque ego, & omnis Peripateticus mecum, si omnia per Aristotelem enuntiata, tanquam sint Fabulæ obscurentur. Ad hoc inconueniens Licetus deducitur: atque in textu proposito siue exemplum narret vera gesta, siue ficta, exemplum erit Fabula. At verò in eodem 2. Rhetor. cap. 21. cum textu dixi, senibus peritis, & sententiam, & Fabulam congruere, vti Protagoras, vir certè doctus, apud Platonem Fabulam narrat. Hinc falsa est illa loquutio Liceti in car. 153. *Apparebit Aristoteles fictas Fabulas attribuere poetis, & oratoribus, & negare philosophis contemplatiuis*. Quod falsum est, nam, & Socrates, & Protagoras erunt valdè docti, & contemplatiui, eis tamen Aristoteles, & Plato fictas narrationes attribuunt.

Si secundo modo accipiat nomen Fabulæ pro verè dicto. tunc exemplum fictum, vt parabola, & logus erit vera narratio. Quod absurdum est, vt ficta, & falsa sint vera. Igitur exemplum in illo textu, non stat pro loquutione vera, neque ibi Fabula significat loquutionem veram.

Si tertiò ad exemplum in communi, & ad exemplum in prima specie, qua vera gesta narrantur, applicet tertium significatum Fabulæ, quod est falsa loqui, iniuria est, omne

ne exemplum infamari falsitatis, atque primam speciem, quæ vera narrat, falsi damnare. Restat vt Fabulæ nomen ad rem fictam applicetur. Nam & logus Stesichori, & Æsopi sunt Fabulæ. Fabula Stesichori est. Equus contra Ceruum inuocat hominis auxilium; homo sub prætextu auxilij, & frænum equo per fraudem, & seruitutem per vim intulit.

Fabula Æsopi. Vulpes muscis caninis infestata, noluit ab herinaceo eas abigi, timens ne saturis muscis effugatis, nouæ esurientes venirent, & reliquum sibi sanguinis exugerent.

Secunda obseruatio. Cum tria proponit significata vocabuli Fabula, orationem in communi, orationem veram, orationem falsam: confitente Liceto, Fabula est nomen æquiuocum ad tria. Postulo an sit æquiuocum à casu, an à consilio. Si à consilio. Ergo vnum significatum est famosum, & primum: alia significata consequenter dicuntur, vt nomen *homo* primò dicitur de vero homine ex anima rationali, & corpore humano; secundariò, & consequenter homo dicitur de picto, sculpto, scripto, mortuo. Profectò ex tribus definientibus Fabulam, Augustino, Cicerone, Suida; primum significatum erit, falsa, & ficta loqui. Sic Aristoteles, teste Liceto, in poeticis, atque Rhetoricis accepit; & quoniam hi duo artifices subalternantur scientiæ morali, etiam in scientia morali fabula significabit narrationem falsam. Quodnam ergo erit secundum significatum loqui in communi, an loqui vera? Sed loqui vera magis recedit à ratione falsi, & ficti. Ergo non dicetur de vero Fabula, nisi æquiuucè. Narratio in communi quoque, actu, neque falsum, neque verum continet, sed potestate tantùm continet ista, sicut genus continet differentias, species, specierum proprietates. Ergo loquutio in communi vt sic, non habet actu rationem falsi, neque actu potest dici Fabula. Quamobrem dum Aristoteles nomen Fabulæ proponit absolutè, in primo, & famoso signi-

significato ponit. Sicut homine proposito, intelligitur homo in primo, & famoso significato. In speculatiuis quoque, sicut in moralibus Fabula stat pro narratione ficta, sicut constare poterit ex locis citatis de histor. animal. de partibus animal., & multis metaphysicæ, quæ sine dubio sunt scientiæ speculatiuæ. Si denique Licetus dixerit Fabulam esse æquiuocum à casu, à casu ipse loquitur.

Recognitio XCII.

LIcetus probare intendit *Fabulæ* nomen significare narrationem veram: non quidem ex aliquo textu per Licetum inuento, sed per corruptelam iniectam in textus à me citatos.

In pag. 153. lin. 23. *Magister, Quis est hic Magister? Licetus Termaximus Sapientum Magistrum habet? Ipse Magister magistrorum theologiæ, ac philosophiæ inuocat vt Magistrum Aristotelem. O summum decus, summam gloriam Aristotelis. Magister, inquit Licetus in loco nuper allato ex Metaph. bis vtitur voce Fabulæ, primùm ad significandam veram sententiam, 2. ad indicanaum falsum, fictumque sermonẽ aiens.*

Aristot. *Tradita autem sunt quadam à maioribus nostris, & admodum antiquis, ac in figura Fabulæ posterioribus relicta, quòd*

Licetus. *hi Dij sunt, vniuersamque naturam diuinum continet.*

Quam Fabulam veterum, tanquam verum sermonem accipit Aristoteles, etiam alibi. Hęc Licetus

Prima obseruatio. Citat Licetus 2. de cęlo text. 2. & 17. profusè, quia extra propositum; nam in 12. metaph. 50. docet philosophus, motores separatos esse Deos. In 2. de cęlo text. 2. & 17. loquitur de mobili, idest de cęlo, & eius motu æterno: non loquitur de motoribus. Ideò istorum textuum libri de cęlo examen transilio.

Quantum ad textum citatum ex 12. metaph. 50. Licetus non distinguit, quod traditum est: à modo, seu figura, per quam

quam traditum est. Traditum est istud, quòd *hi Dij sunt:* Figura Fabulæ est modus: nec debet Licetus, quòd Aristoteles ait *de re* tradita, attribuere *modo*, seu figuræ tradendi. Est nanque fallacia accidentis propter connexionem figuræ, & rei figuratæ, quod est vnius, alteri attribuere, vt in Æsopi Fabulis distinguuntur Fabula, & affabulatio. Fabula est narratio ficta, & falsa: affabulatio, quæ in figura Fabulæ traditur, est documentum morale, & verum, & graue frequenter. Licet itaque dictum ab antiquis traditum sit verum, figura Fabulæ, in qua traditum est, non est vera.

Pergit Licetus pag. 153. lin. vlt. Deinde propositę Fabulæ priscorum verum sermonem de Deorum existentia, loco, & actione tractanti, philosophus opponit, falsam, fictamque veterum Fabulam de Deorum formis addens.

Cætera verò fabulosè ad multitudinis persuasionem, & ad legum, ac eius quod conferat opportunitatem, iam allata sunt; homini formes namque, ac aliorum animalium nonnullis similes eos dicunt, ac alia consequentia, & similia his, quæ dicta sunt. *Aristot.*

Deinceps Aristoteles apertè separans hasce duas Fabulas antiquorum, primam ait continere verum, atque diuinum sermonem de Dijs inquiens. *Licetus.*

Quorum si quis ipsum solum primum separando accipiat, quòd Deos arbitrabantur primas substantias esse, diuinè dictum putabit. *Aristot.*

Quam diuisionem Fabulæ primæ veritatem habentis, à secunda fictionem referentis ex Aristotele proferunt hoc in loco Themistius, Alexander, Philoponus, & Magnus Albertus, & Auerroes. *Licetus.*

2. Obseruatio. Neque Aristoteles, neque vllus expositorum duas fabulas scribit, vnam veram, alteram falsam, sed hæc diuisio figmentum Liceti est. Item textus vltimo relatus. *Si quis ipsum solum primum separando accipiat, quod*

Deos arbitrabantur primas substantias esse, diuinè dictum putabit. Aristoteles ex duobus propositis, nempe re tradita, & figura Fabulæ, vult recipi solum primum, quòd hi Dii sunt. Figuram Fabulæ deserit, scilicet Fabula falsa est, significatum per Fabulam verum est.

Verùm in Recognitione 32. considerauimus istum textum 12. metaph 50. & expositores, nec est necesse repetere. Nam eundem textum Licetus in sua pag. 29. exposuit, sed quæ in pag. dicta 29. sunt, contradicunt positis in hac pag. 153. & 154.

Primum dictum. Licetus in pag. 29. post scriptum textum infit. *Quis non videt hic Aristotelem apertè fateri Deos gentilium Ammones, Mercurium &c. esse Fabulosos, & à priscis callidioribus, ad ignaram plebeculam in obedientia & obsequio legum inductas.*

Secundum dictum. *Ac eos etiam cautè reprobare, qui motores orbium intelligentias infra Deum sitas, Deorum nomine donabant.*

Tertium dictum. Ait enim talium opiniones esse veluti reliquias corruptæ apud gentes veræ philosophiæ. Igitur in pag. 29. nullam partem approbat in textu isto Licetus. Non primam partem, in qua Deorum nomen antiqui tribuunt intelligentijs mouentibus orbes; quia in secundo dicto ait, quòd Aristoteles reprobat eos, qui motrices orbium intelligentias Deorum nomine donent. At in pag. 153. & 154. tanquam Fabulam veram approbat, quòd hi Dii sunt.

Amplius quod in pag. 154. asserit esse diuinum dictum ab antiquis. In 3. dicto pag. 29. dicit esse reliquias corruptæ apud gentes veræ philosophiæ.

Insuper in pag. 29. contra multitudinem Deorum ab Aristotele positam in hoc textu ex 12. metaph. insurgit, quòd Aristoteles vnum Deum celebrat, & multitudinem Deorum reprobat. Nunc autem in pag. 154. multitudinem Deorum, vt antiquorum dictum verum, tanquam Aristoteli-

felicum assertum approbat. Quapropter Licetus Aristotelis nasum cereum facit, vt modò approbet, modò reprobet, quòd motores cęlorum sint Dij: quod Dij sint multi. Modò Fabula sit falsa, & à calidioribus ficta de toto textu; modò Fabula sit vera, & diuinè dicta, quoad vnam partem textus. Sed Licetus nihil pensi habet, si contradicat sibi ipsi; imò calidè nunc vnum contradictorium ponit, nunc alterum, vt pro libito alterutro vtatur.

3. Obseruatio. In Fabulis, vt attigi, consideratur, & Fabula ipsa tanquam significans, & significatum per ipsam Fabulam. Fabula semper est ficta: significatum Fabulæ potest esse, & verum, & falsum. Hinc elucet Aristotelis textus, in quo aliud est res tradita, alius est modus tradendi; nam per modum, seu figuram Fabulæ ab antiquis tradita sunt quædam. Quænam tradita? Primum quod hi motores separati sunt Dii. Cætera fabulosè dicta, quòd hi Dii sint hominiformes, & brutiformes. Ex istis traditis primum est diuinè dictum, quòd primæ substantiæ, scilicet separatæ sunt Dii. Cætera tradita, sunt fabulosè tradita, & ficta ad vtilitatem legum, & populorum. Clarè patet sententia Aristotelis. Fabulam esse fictam, sed ex traditis per modum Fabulæ, primum esse verum. Cætera esse ficta, & falsa. Quod autem Fabulę sint duæ, vna vera, altera falsa, non est in textu.

Quoniam autem Licetus pro se citat Aphrodiseum, rescribo quædam ex ipso. *Neque vero ipsi tantùm in hac de Dijs sententia sumus; sed à Veteribus etiam, priscisque hominibus in figura Fabulæ accepimus, Deos esse: non alios per Fabulas significantibus, quam hos, qui à nobis asseruntur. Sunt igitur Dij, diuinaque multitudo, qua vniuersam naturam omnemque mundum continent.* Aphrod.

Graphicè Aphrodiseus discernit Fabulam significantem, & Deos significatos. Non asseris Fabulam significantem esse veram, sed significatos Deos verè esse Deos.

Vnde de omnibus traditis per Fabulam ſubiungit. *A quibus, inquit Ariſtoteles, ideſt ab his omnibus, quæ de Dijs fabuloſè traduntur (ſi quis primum illud ſeparauerit) quos ſcilicet nos primas ſubſtantias, Deosque vocamus: & illos quoque Deos cenſuiſſe (putabit diuinè dictum fuiſſe.*

Aphrod.

En ſub traditis fabuloſè comprehendit in ſigno vniuerſali *ab omnibus*, quæ de Diis fabuloſè traduntur, comprehendit inquam, & primum traditnm, & cętera tradita. At ſeparat primum à cæteris tanquam diuinè dictum: cætera tradita omittit tanquam humanam fictionem.

Idem Auerroes intendit, diſtinguens ſermonem eorum, & expoſitionem. quod per ſermonem intendebant, videlicet, Deos eſse primas ſubſtantias, tunc expoſitio erit vera, & apologus conueniens veritati. Aliud ſermo, aliud apologus: aliud eſt expoſitio vera, & veritas per apologum intenta, aliud eſt apologus conueniens veritati.

Sed percontabimur à Liceto, cum ait *duas Fabulas*, quid ei ſignificet in iſto loco nomen *Fabulæ?* propterea quod terminus numeralis requirit vnam rationem formalem communem numeratis. vnde equus, & canis, nec poſsunt dici duo canes, nec duo equi, ſed duo animalia, vel duæ ſubſtantiæ. Si nomen *Fabula* ſignificat narrationem veram: iam ambæ Fabulę ſunt veræ, quòd Licetus negat. Si autem Fabula ſignificat narrationem falſam, ambæ Fabulæ erunt falſæ, quod etiam ipſe negat. Si denique Fabula ſignificat narrationem in communi, quæ eſt indeterminata ad verum, & falſum; erunt iam in textu duæ narrationes, ſed ex vi vocabuli *Fabula* neutra erit, vel vera, vel falſa, niſi cum fallacia æquiuocationis propter tres ſignificationes, ab vna ad alteram tranſeat, vel cum fallacia conſequentis à ratione communi indeterminata arguat ad rationem determinatam. Hoc ideò illi euenit, quia non animaduertit, æquiuocum non poſse numerari. Licetus verò regulas logicas negligit.

Reco-

Recognitio XCIII.

IN libro de Fabulis Palęstinis citaui ex 1.metaph. sum.1. cap 2.pag.47.*Quare philosophus amator Fabularum quodammodo est,eò quod Fabula ex admirandis constat.* Ex admirandis, hoc est, fidem non capientibus, vt Aphrodiseus exposuit. Principium philosophandi est admiratio, finis inuentio veritatis; initio ex mirandis Fabula est, & amata: Fine inuento, apparet falsa, & est exosa. Hæc ibi summatim, quæ si velim toto textu allato considerare,nimium ero prolixus.

Nunc audiamus Licetum. In pag.154. lin.37. super text.citato. Licetus ait. "Ex quibus multa suppetunt argumenta necessariò demonstrantia, nunc Aristotelem per Fabulas intellexisse veras narrationes,non fictas.,,

Prima obseruatio. Planè non credo à Liceto fieri demonstrationes. Sanè Licetus concedit in poetica, & Rhetorica Fabulæ nomen significare narrationem fictam, & falsam; at verò Albertus, Aquinas, Aragonius,Suessanus per Fabulas ab Aristotele nominatas 1.metap.cap.2. exponunt Fabulas poeticas: aut ergo isti non rectè exponunt, aut Aristoteles per nomen Fabulæ intelligit narrationem fictam, non autem vt Licetus putat, veram. Hinc Aphrodiseus dixit Fabulam constare ex admirandis, hoc est,fidem non capientibus, quod est iuxta carmen.

Nam miranda canunt, sed non credenda poetæ.

Prima demonstratio Liceti.

LEgamus patienter demonstrationes istas Liceti, si fortè sint syllogismi in forma: nam omnis demonstratio est syllogismus, & non è conuerso ex 1. Priorum 1. cap. 5. sect.

Prima

Prima propositio. "Quia dicit Fabulas, quarum amator est philosophus, ex mirandis constare, nulla fictionis narratione facta, sed & mirabilia recensens, ait passiones Lunæ, Solis, Eclipses nimirum, atque Stellas, maximè crinitarum, & de generatione vniuersi, quæ passiones absque figmento sunt res tantùm admirabiles.„

Respondeo hanc demonstrationem non esse syllogismum in forma. Ad materiam dico, primam propositionem constare ex duabus cathegoricis, quarum prima est: Philosophus est amator Fabularum ex mirandis constantium. Secunda: *nulla mentione fictionis facta.* Ex hac secunda proceditur ab authoritate negatiuè, & est fallacia consequentis. Prima cathegorica: Philosophus amator Fabularum quodammodo est, eò quod Fabula ex mirandis constat. Accuratus obseruator Licetus mutilauit particulam *quodammodo*, quæ in textu est. Philosophus est amator mirabilium, siue sint vera, & realia, siue fabulosa, & ficta. Est amator simpliciter veri admirabilis, vt passionis Solis, aut Lunæ; Est amator *quodammodo* Fabularnm, eò quod constant ex quodammodo admirandis. quale est illud in primo de partibus cap. 1. in Fabulis narratum, quòd homines conuertantur in lapides. Admirabile verum, est admirabile simpliciter, & amatur simpliciter. Admirabile fabulosum est admirabile secundum quid, & amatur secundum quid. In admirabili vero ipsum *quod* est verum; & ex ignorantia ipsius *propter quid*, oritur admiratio, ex admiratione quæstio, ex quæstione inuentio ipsius propter quid. Inuenta verò causa, cessat admiratio de ipso *quod*, & conuertitur in contrarium. nam sapiens non admiratur passiones Solis, si eueniant: admiraretur, si non euenirent. Quia tamen verum est ipsum *quòd*, & verum est propter quid; Philosophus, qui est contemplator, & amator veritatis, tale admirabile semper amat. In mirabili fabuloso ipsum *quòd* putatur esse verum, sed non est: ignoratur, &

&c ex ignorantia ſequitur admiratio, quæſtio, & inuentio ipſius *propter quid* illud admirabile fabuloſum, eſt falſum. Tunc ſapiens, qui contemplatur, & amat veritatem: non amat ipſum, quod narratur in Fabulis, ſed potius odio habet: nec miratur Fabulam, ſed conuertitur in contrarium, admiraretur quippe, ſi mirabile Fabuloſum eueniret.

Nunc apparet ex prima propoſitione cathegorica Liceti demonſtrationem hanc ſuam procedere à mirabili amato ſecundum quid, ad mirabile amatum ſimpliciter; quare nobis pro demonſtratione porrigitur ſophiſma.

Deinde ſecuuda propoſitio principalis Liceti negatur; quòd mirabilia, ex quibus Fabulæ, ſunt illa, quæ recenſet Licetus, nempè paſſiones Solis, Lunæ, &c. volens enim Ariſtoteles probare concluſionem veram, quod propter admirari ſequitur inquiſitio cauſæ ad fugam ignorantiæ: ponit inductionem veram in parte præcedenti ſic. Ariſtot.

Principio quidem admirando ea, quæ de dubitandis faciliora erant, deinde paulatim vlterius procedentes, etiam de maioribus dubitando, vt de paſsionibus Lunæ, & eorum quæ circa Solem, & Stellas ſiunt, ac de generatione vniuerſi. Qui verò dubitat, & admiratur oſtendit ſe ignorare. In hac parte, nec nomen Fabulæ eſt. Mirabilia iſta, non aſſeruntur nota ex Fabulis. Neque dicitur, quòd Fabulæ conſtent ex iſtis admirabilibus, vt proponebat Licetus. Imò Ariſtoteles concludit ex iſtis veris mirabilibus, & veris admirationibus ignorantiam, vt poſtea concludat, inquiſitionem cauſæ à philoſophis eſſe aſſumptam ad fugam ignorantiæ. Hæc de veris mirabilibus. Nunc de fabuloſis.

In 2. parte addit Ariſtoteles, quòd philoſophus diligit Fabulas quodammodo, quoniam Fabula eſt mirabilis, ſiue ex mirabilibus. Conueniunt ergo in genere, ſcilicet in ratione mirabilis, & mirabile verum, & mirabile fabuloſum: diſtinguuntur in ſpecie, vel quaſi ſpecie, nam admirabile verum in philoſophia vera verè amatur. Mirabile

fa-

fabulosum non amatur, nisi in statu ignorantiæ. Neque vllus expositorum (quod sciam) docuit, quod admirabile verum sit fabula, vel sit inferius ad fabulam. Licetus de suo dicit: quod sub fabularum nomine recenseat Aristoteles mirabilia prima: quod quidem dictum est simpliciter falsum.

Breuiter ad hoc argumentum Liceti negatur secunda propositio, quia nec Aristoteles dicit ex mirandis in sua inductione factis Fabulam constare: neque id verum est. Neque philosophus dicit Fabulas esse simpliciter amatas, vel simpliciter mirabiles.

Fortè aliquis dicet, quosdam ex priscis philosophis per modum Fabulæ poeticæ tractauisse de generatione vniuersi, de Sole, Luna, Stellis, quales Orpheus, Linus, Musæus, Hesiodus.

Atqui tunc oportet, & figuram Fabulæ exuere, & affabulationem sub proprijs verbis quærere, si possibile est; aliàs 3. metaph. 15. dicendum, sicut contra ambrosiam, & nectar. *De his, quæ fabulosè, & sophisticè dicuntur, non est dignum accuratè considerare.*

Demonstratio secunda Liceti.

Licetus: pag. 154

QVia scribit (Aristoteles) æuo suo quoque philosophari mortales ex admiratione. quum tamen Xenocrates, & alij temporibus Aristotelis ex fictis Fabulis philosophiam non aggrederentur.

Respondeo Aristoteles scribit. *Propter admirationem etenim, & nunc, & primò cæperunt homines philosophari.* At non dicit, cœperunt philosophari propter admirationem Fabularum. Arguere autem ab admiratione in communi, ad talem admirationem in specie, est fallacia consequentis, non demonstratio.

2. Aristoteles ait quidem, philosophum esse Fabularum ama-

amatorem, nec tamen ait ex admiratione Fabularum, aut nunc, aut primò cęperunt homines philosophari. Licetus si hoc intendit, textus nouos componit.

3. Xenocrates, & Aristoteles fuere ambo Platonis discipuli, sed Xenocrates sequax, & successor Platonis; Aristoteles ferè aduersarius in dogmatibus. Porrò quàm sæpè Plato fabulas in suis doctrinis inserat, legatur in Platone. Quare et Xenocrates Platonis imitator, non potuit non vti fabulis, vel declarando Platonem, vel etiam imitando. Propter quod hæc secunda pars propositionis Liceticæ, negatur, & de Xenocrate, & de omnibus philosophis Aristoteli contemporaneis; omnes enim passim legebant Homeri, Hesiodi, & aliorum in Græcia florentium poetarum fabulas.

Tertia Demonstratio Liceti.

D*Einceps car.* 155. *Quia Fabulæ fictæ ab Aesopo nihil habent admirandi, sed in ludicro, & cognitu facillimis positæ sunt. quare præter ludicras, quæ simpliciter ex admirandis constant, Fabulæ veræ sunt hæ narrationes.*

Prima obseruatio. De fabulis Æsopi, quòd sint ad grauissima documenta in moralibus vtiles, & non lusoriæ, constat lectoribus. Quòd sint admirandæ liquet, nam plantas, & bestias loqui, & prudenter loqui; atque per loquutiones belluarum doceri homines, si Liceto non est mirabile, aliis meritò mirabile est: quasi secundum Pythagoricas fabulas anima rationalis in plantis, in brutis, imò & in rebus inanimatis resideat. Si hoc non est mirabile Liceto, nobis est.

Nunc tantummodò fabulas Æsopi duas, ab Aristotele non contemptas, refero, Prima est in 2. Rhetor. cap. 20. de vulpe, muscis caninis, & herinaceo. Illa fabula in causa grauissima capitis, & principatus in iudicio est ab Æsopo, cum ageret officium patroni ad defensionem ducis ipsius populi, artificiosè conficta, & ab Aristotele tanquam

regula ad docendum logum memorata.

In 2.Meteor.ſum. 1.cap.3. *Æſopi* fabula eſt, quòd Charybdis irata propter nautarum ſcelera, ſemel mare abſorbens detexit montes: ſecundò inſulas; tertiò ſi iraſcatur, mare vniuerſum ſiccatum iri; non ne hæc miranda ſunt? Planè, ſed fidem non capientia ex Aphrodiſeo. Sub hac tamen fabula ſanctiſſimum latet documentnm, Dei iuſtitiã non dimiſſuram inultas iniuſtitias hominum. Nec Æſopi fabulas in ludum vertas, quas ſæpè tùm Plato, tùm Ariſtoteles accerſunt.

Nec ſi faciles ſunt, admiratio tollitur, Ariſtotele docente. à principio quidem admirando ea, quæ de dubitandis faciliora erant; quare & facilia, & difficilia, & maiora, & minora, dum ignorantur, admirationem generant, atque homines excitant ad fugam ignorantiæ.

Secunda obſer. Quale argumentum eſt iſtud? Æſopi fabulæ faciles, & ad luſum exiſtentes, non conſtant ex admirandis: ergo omnes fabulæ ex admirandis conſtantes ſunt veræ. Nego conſequentiam. Fabula, quæ à Plauto in Anphitrione repræſentatur ex admirandis conſtat maximis, propter Deos inductos, & propter mirandos euentus. At illa fabula ficta eſt, & falſa. Non ergo ſi fabulæ Æſopi ſine mirandis eſſent, omnes fabulæ fictæ ſine mirandis erunt. Sed eſt fallacia conſequentis ab affirmatione vnius particularis ad affirmationem vniuerſalis vnius: imò eſt argumentum ab vno diſparato ad aliud diſparatum. Si fabulæ fictæ ab Æſopo ſunt faciles, & non admirandæ. Ergo omnes fabulæ (præter ludicras,) quæ ſimpliciter ex admirandis conſtant, veræ ſunt. Item ſi rectè quantitas, & qualitas antecedentis, atque conſequentis conſiderentur: necnon & poſitio terminorum. Antecedens tale eſt, *Fabulæ fictæ ab AEſopo non ſunt admirandæ*. quod antecedens eſt particulare, & negatiuum, & habet in prædicato rationem *admirandi*.

Con-

Conſequens Liceti eſt. *Quare fabulæ, quæ ſimpliciter ex admirandis conſtant, ſunt veræ narrationes*. Conſequens habet vim vniuerſalis propoſitionis: certè eſt affirmatiuum, & rationem admirandi habet in ſubiecto, & prædicato *veritatem*, quia opponitur fictioni.

Primo ex negatiua colligere affirmatiuam, non licet aliis, licet Liceto.

2. Ex particulari concludere vniuerſalem non licet. Liceto licet.

3. Ratio admirandi eſt prędicatum in antecedente, & ſubiectum in conſequente. Igitur hoc enthymema reduci debet ad tertiam figuram. Regula verò tertię figurę eſt. In tertia figura minore exiſtente negatiua, nihil ſequitur. Item regula eſt in tertia figura: Concluſio ſemper debet eſſe particularis. Sed Liceto licet facere contra regulas logicas. Apage has demonſtrationes.

Denique quia ratio admirandi poteſt reperiri in fabulis fictis vt in illa 1. de Partibus cap. 1. quòd homines conuertuntur in lapides: & in 1. de communi motu cap. 3. quod Atlas cęlum ſuſtinet, & conuertit. In 9. de de Hiſt. animal. cap. 1. volucrem, qui Crex appellatur, ex flagratione natum fabulantur. Igitur ex communi genere, quod eſt *admirandum*, non poteſt colligi, quod fabulæ cōſtantes ex mirandis ſint veræ, imò omnes ſunt falſæ.

Quarta Demonſtratio Liceti.

AD pag. 155. lin. 3. 4. arguit. *Quia Philoſophus definitur eſſe ſtudioſus, & amator Sapientiæ. Si ergo is eſt amator Fabularum, vt ait hic Ariſtoteles; iam neceſſariò quædam Fabulæ ſunt Sapientia: proptereaque ſine falſitate veritatem habent.*

Prima obſeruatio. Reſpondetur, primò erigendum eſt argumentum in forma. Sic

Philosophus est amator Sapientiæ.
Philosophus est amator Fabularum.
Ergo quædam Fabula est Sapientia.

Syllogismus est in tertia figura, prædicatum in maiori *amator Sapientiæ* prædicatum in minori, *amator Fabularum* in conclusione accipitur vna pars minoris extremi, & vna pars maiorir extremi, neque colligitur totum extremum, de toto extremo. Quare in syllogismo sunt quinque termini. Colligenda erat conclusio. Ergo aliquis amator fabularum est amator Sapientiæ; sed solemne est Liceto non syllogizare in forma.

Alius quoque est error contra Aristotelem in 1. Prior. sect. 3. cap. 1. ne termini concreti conuertantur in abstractos. Licetus nihil curat Aristotelem, nec eius præcepta, quamuis haberi velit maximus Peripateticorum. Quando autem extrema coniunguntur inter se ratione subiecti, rectè proceditur in concreto, ab vnione in subiecto ad vnionem inter se; vt omne cęlum est figuratum. Omne cęlum est quantum. Ergo aliquod quantum est figuratum, atque ideò quale. Si autem abstrahas à subiecto, aufers rationem vnitatis extremorum, & concludes in Darapti. Ergo aliqua quantitas est qualitas, quæ est propositio primò falsa.

fallacia accidẽtis

Secunda obseruatio. Aliquid amatur à philosopho simpliciter, vt veritas, & cognitio veritatis: aliquid amatur secundum quid, vt fabula dicente Aristotele *Philosophus est amator Fabularum quodammodo*. Amat Fabulas, quatenus mirandæ sunt, non quatenus falsæ sunt. Amat dũ est in statu ignorantiæ: dũ enim proponitur aliquid mirũ, dubitat, ignorat, miratur, inquirit: vbi autẽ inuenerit, & causã sciuerit, tũc est sciens, non ignorans, neq; admirans. Differenter tamen, quia in statu scientiæ amat *verũ quòd* in conclusione: verum *propter quid* in causa conclusionis, quia in ipsis est veritas. In fabula nihil veritatis est: dum ignorat hoc, miratur fabulam, & amat. Dum cognoscit esse falsam, & cognoscit

fallacia secundũ quid, ad simpliciter.

ſcit propter quid eſt falſa: tunc neque miratur, quia ſcit cauſam; neque amat, quia Fabula eſt exoſa: talis eſt Fabula in ſtatu ſapientiæ, quæ in ſtatu ignorantiæ erat amata: Vnde aliter philoſophus amat ſapientiam, nam eam habens, non miratur; aliter amat Fabulam, ſcilicet dum non habet ſapientiam.

Quinta Demonſtratio Liceti.

PHiloſophia definitur eſse ſcientia veritatis contemplatiua (2. metaph. 3.) quæ definitio vera non eſſet, neque cum ſuo definito reciprocaret ſi quandoque Fabulam procul ab omni vero, nedum contemplaretur, ſed etiam amaret philoſophus: tunc enim philoſophia eſset ignorantia, & habitus prauæ deceptionis, ac erroris. *Licetus. car. 155*

Prima obſer. Diſtinguenda eſt philoſophia à philoſopho, ſicut forma à ſubiecto. Licetus non vult eſse à ſe diuerſus, confundit abſtractum cum concreto per fallaciam accidentis contra Ariſtotelis regulas in 1. Prior. Sapientia eſt forma accidentalis acquiſita, qua cognoſcitur veritas cauſati vt *quòd*, & cauſæ vt *propter quid*. Definitur enim philoſophia in ſuo eſse perfecto iuxtà præceptum 6. Top. loco 86. philoſophia non poteſt coniungi cum ſui negatione, priuatione, contrario. Philoſophus primo eſt in ſtatu ignorantiæ, aut puræ, aut prauæ: poſterius in ſtatu ſcientiæ: ſcit enim cauſam, propter quam res eſt. Dum eſt in ſtatu ignorantiæ non eſt philoſophus actu, ſed potentia, & deſiderio: Omnes homines ſcire deſiderant; non eſt philoſophus re, & ſimpliciter, quia non eſt philoſophus actu, ſed potentia. Quod ergo dicitur de philoſophia, & philoſopho in actu, non debet dici de philoſopho in potentia. Philoſophus in actu contemplatur veritatem cauſæ, & effectus. neque miratur, quia non ignorat. At quando Licetus dicit, quòd philoſophus non amat fabulas, quia philoſo-

losophia esset ignorantia: hallucinatur, & quod spectat ad philosophum in statu scientiæ, attribuit philosopho in statu ignorantiæ, in quo amat fabulas.

2. Obser. *Mirandum*, est multiplex; verum, vt passio Solis: *falsum*, vt ambrosiæ, & nectaris effectus. Item mirabile est, vel faciliùs, vel difficiliùs, maius, aut minus: & hæc in statu ignorantiæ, nam in statu scientiæ philosophus nihil miratur.

3. Obser. Scientia est consideratio eadem oppositorum, vnius per se, alterius per accidens, sicut 9.metaph.3.medicina est sani, & ægri. Sic prima philosophia est de ente, quod est verum: & hoc per se consideratur, est de non ente, & hoc falso, quia per accidens, vt in 5.metaph.14. & 9. metaph 21. vbi etiam distinguitur falsum ab impossibile. Neque possibile est, vt sciens consideret vnum contradictorium tanquam verum, quin alterum contradictorium sciat esse falsum, iuxta maximam: Cuiuslibet contradictionis altera pars est vera, altera falsa. Ita prima philosophia est contemplatio entis, vt entis, ac per se passionum eius vt vnius, veri, boni; & hæc est per se consideratio. Est etiam consideratio de non ente, & falso, vt falsum reijciat, verum retineat. Sic in 1.&3.metaph. multæ positiones falsæ referuntur, & refelluntur. Similiter agitur

In 4.metaph.in 11.in 13.&14.nam per se est contemplatio veritatis, per accidens falsitatis.

Ad argumentum, prima propositio est definitio philosophię in statu perfecto. quare construitur ex his, quę per se conueniunt philosophiæ. Cum facit secundam conditionalem hanc; *Si philosophus quandoque Fabulas falsas amaret*, arguens transit ab abstracto ad concretum, à forma ad subiectum, cum quo est vnum per accidens: vnde est fallacia accidensis, quoniam ex partiali, & accidentali identitate subiecti, & accidentis procedit. Amare Fabulas est extraneum à philosophia, quę non amat; sed est

con-

conueniens homini subiecto philosophię, qui amat, vel odit pro diuerso tempore.

2. Est fallacia opposita à concreto ad abstractum. Si philosophus amat fabulas, ideſt fictas, & falsas narrationes: ergo philosophia esset ignorantia. Dicere debebat potiùs. Ergo homo philosophus est ignorans, & amat falsa, & ficta, non quatenus falsa, sed quatenus miranda: quare in isto philosopho est ignorantia; quod vtique verum est, dum est philosophus potentia, non actu; & rursus est fallacia accidentis.

3. Philosophus à principio est ignorans, saltem ignorantia puræ negationis; occurrunt ei miranda, & illa diligit, seu vera, seu falsa, scilicet quia mirabilia, non quia falsa. Cum igitur in obiecto aliquo sit veritas cum admiratione in homine subiecto. In obiecto aliquo sit falsitas cum admiratione in subiecto. Liquidò patet philosophum amare obiecta miranda, & hoc est per se intentum philosophanti ab initio. Quando autem philosophus factus est actu sciens, quod fabulosum est, respuit, velut neque verum, neque mirandum. Triplici ergo de causa fallacia accidentis incurrit, & maximè quia, quod attribuitur philosopho in statu ignorantiæ, hoc prætendit Licetus attribui in statu scientiæ. Talis est demonstratio Liceti, quæ neque est syllogismus, neque demonstratio.

Sexta Demonstratio.

EO loco tractat Aristoteles (car. 155.) de primo philosopho, & de prima philosophia, modò prima philosophia versatur circa ens quatenus ens (4. metaph. 1.) quare non potest considerare Fabulas falsas. nam Aristoteli falsum est non ens (5. metaph. 35.) & tale non ens de quo non est scientia. *falsa citatio.*

Prima obseruatio. Necesse est respondere ad propositio-

ſitiones in materia, quoniam Licetus non argumentatur in forma. Prima propoſitio Liceti eſt. Prima philoſophia verſatur circa ens, quatenus ens. Reſpondeo per ſe, & directè conſiderat ens, & veritatem entis, vt hæc retineat: per accidens verſatur etiam circa non entia, & falſa: ſicut in præcedentem demonſtrationem dixi.

Cum infert. Quare non poteſt conſiderare Fabulas falſas. nego conſequentiam, quia primus philoſophus conſiderat non ens, ſed per accidens, vt reijciat, non vt recipiat. Quod verò Licetus negat, philoſophum poſſe conſiderare fabulas falſas: hoc eſt contra Ariſtotelem, qui in 1.metaph.ſum.2.cap.1. refert fabulam, quòd Oceanus, & Thetys ſint parentes generationis, & iusiurandum Deorum, ait eſſe aquam ſtygem. In 3.metaph.15. Principia facerent Deos, & ex Dijs: ambroſiam, & nectar, attulit, quæ fabuloſè, & ſophiſticè dicuntur. In 12. metaph. 50. Per modum fabulæ Dij traditi ſunt, & formæ Deorum. Non ergo Licetus, ſi vult eſſe Ariſtotelicus, dicat primum philoſophum fabulas mirandas, ſed falſas non proferre. Profert, vt quod falſi eſt, refellat; quod veri eſt, eliciat; ſed fortè Liceti peruicacia hęc omnia, tanquam veras narrationes inculcabit.

Cum tandem Licetus deſcendit ad philoſophum dicens. "Sic ergo fabularum amator eſt philoſophus, non quæ falſam narrationem habeant, ſed quæ veram de rebus admirandis, quarum cauſa latens non ita ſubito fidem habet apud homines", Licetus more ſolito tranſit ab abſtracto ad concretum. A philoſopho in ſtatu ſcientiæ nihil mirante, ſed nec amante fabulas: ad philoſophum in ſtatu ignorantiæ, in quo ſtatu miratur & amat. Ab eo quod ſimpliciter amatur à ſimpliciter philoſopho, ad id, quod amatur ſecundum quid, à philoſopho ſecundum quid. Tales ſunt demonſtrationes Liceti, quæ ſecundum fallaciam non

poſſunt

posſunt concludere, niſi falſum, ſcilicet quòd fabulæ ſint veræ.

Recognitio XCIV.

CItaueram ex lib. de admirandis auditionibus nonageſimam ſextam, quam Licetus pag. 155. violare aggreditur. Profero textum.

Inter ſeptem Aeolias inſulas vna eſt, Lipara nomine, in qua ſepulcrum eſſe fabulantur, de quo quàm plurima, ac ſanè monſtroſa enarrant. In hoc verò conueniunt omnes, noctu ad eum locum accedere non tutum eſſe. Inde enim tympanorum, cymbalorumque ſonitum, riſum ue cum tumultu, ac crepitaculis euidenter exaudiri aſſerunt.

Aliud quoque circa eius inſulæ ſpeluncam, quòd magis horrorem, portentum uè inducit, eueniſſe ſcilicet, quòd quidam ebrius ante Solis ortum eo in ſpeculo obdormiſſet, quem ſerui eius inueſtigabant. Tres dies integros cubauit, quarta verò luce à domeſticis inuentus eſt: qui, cum ceu mortuus à domeſticis haberetur, ad peculiare ſui ſepulcrum, delatus fuit, ſed repentè ſurrexit, omniaque, quæ ſibi eo ſomno euenerant, aſtantibus enarrauit.

Cæterùm & ſi hoc quidem fabuloſum nobis videtur, nihilominus id obliuioni minimè permittere operæ prætium duximus: cum eorum locorum deſignationem, deſcriptionem ue fecerimus. Licetus ſubdit

"Duas nunc fabulæ nomine proponit Ariſtoteles admirandas auditiones: & aſserens operę pretium duxiſse ſe illas obliuioni minimè permittere. Satis indicat illas videri ſibi ex eo fabularum numero, quæ falſæ, fictæque non ſunt: ſed veræ narrationes rerum admirabilium.

Etenim falſarum narrationem à ſe indicatarum philoſophus nullam habere rationem debet."

Prima obſeruatio. Si Ariſtoteles non attuliſset cauſam,

propter quam has fabulas obliuioni non tradiderit: possemus tolerare Licetum. Licetus tamen rationem ab Aristotele allatam prætermittit, suam Liceticam introducit. Quare Aristoteles hoc mirandum fabulosum non vult obliuioni tradere? Quia eorum locorum designationem, descriptionemque fecerat. Quare secundum Licetum non vult obliuioni tradere? quia illa fabula est vera. Igitur in argumento Liceti, est non causa, vt causa. Scribere has narrationes voluit Aristoteles, eò quod descripserat insulas Aeolias. Atqui in historia tàm quæ verè, quàm quę falsò de illis narrantur, potest iustè scribere. Hæc causa ab Aristotele tradita est vera. Sed ipsius *scribere fabulas* secundum Licetum est alia causa, nempe quoniam Aristoteles credidit illas fabulas esse veras. Porrò arguere à propositione habente plures causas veritatis ad vnam illarum, est sophisma consequentis. Nos causam ab Aristotele redditam teneamus, à Liceto confictam reiiciamus.

Secunda obseruatio. Annotandus est modus loquendi Aristotelicus *Cæterùm etsi hoc quidem fabulosum nobis videtur*. Hæc est prima pars, sed conditionalis tanquam antecedens, ex qua debet sequi consequens: igitur hæc fabula prætermittenda videretur. Secunda propositio textus est aduersatiua istius consequentis: *Nihilominus id obliuioni minimè permittere operæ pretium duximus*. Et est sensus: non est vtile permittere obliuioni has narrationes; & huius aduersatiuæ ratio redditur, non ipsa veritas rerum auditarum, sed proprius labor in opere, quo descripsit Aeolias insulas. Si autem per nomen fabulosi intelligeret rem veram: neque fuisset consequens ex illo antecedente: *si hæc vera videntur, ergo sunt omittenda*, imò oppositum congruum est inferri; si vera sunt, igitur narrari debent. Si etiam fabula significat verum, & fabulari narrare vera: non erat necessarium Aristotelem excusare se, & excusationis causam reddere; quare scilicet ista scri-

ſcripſerit. Sed neque Ariſtoteli erat ignota vox *verum, &* *veritas*, vt pro illis ſubſtitueret fabulam, & fabuloſum.

3. Obſeruatio. Cum Licetus ſubdit. Philoſophus nullam rationem habere debet narrationum, quas iudicat falſas. Hoc Liceti dictum cum Ariſtotele apertiſſimè pugnat, qui tot fabulas in ſpeculatiuis etiam libris exarat.

In libro de communi motu cap. 3. eſt fabula Atlantis cœlum vertentis. In 12 metaph. 50. fabula de formis Deorum ſicut & Recognitione præcedenti attuli alias fabulas.

In 1. de partibus animal. cap. 1. tranſitum hominum in lapides aſcribit in declarationem rei propoſitæ. Alibi hominem furacem in formicam tranſmutatum recenſet: & hominem hoſpitem in aquilam transformatum; ſed nimis longum eſſet annotare omnes fabulas ab Ariſtotele memoratas: cum & in 2. Rhetor., & in ſect. 18. Problematum fabulæ vſum, & vtilitatem tradat conſultò, & meditatò.

4. Obſer. Probat Licetus, quia in textu eſt, omnes narrantes conuenire circa rumores auditos ad ſepulcrum.

Reſpondeo, diſtinguendum eſſe textum. *Sepulcrum eſſe fabulantur, de quo quàm plurima, ac ſanè monſtroſa enarrant.* In hac parte Ariſtoteles non memorat illa plurima, neque illa monſtroſa, neque de ſepulcro an ſit, nec ne, quicquam dicit, propter varietatem dictorum, ac dicentium, & eorum monſtroſam conditionem. In 2. parte textus ait Ariſtoteles, conuenire omnes, non eſſe tutum ad locum accedere propter ſtrepitus tympanorum &c. Confundere ſecundam partem textus cum prima ſit Liceti opus.

5. Obſer. Secundò probat Licetus, quia de ebrio Liparitano, & de Ero Pamphilio rationem reddit Ariſtoteles in lib. de ſomno, & vigilia cap. 4.

Reſpōdeo. Ariſtotelis doctrina eſt vniuerſalis ad eos, qui deliquium patiuntur, & ſomniant; ad eos, qui ebrij ſunt, & ſomniant dormientes. Quæ doctrina eſt vera de præteri-

tis, & futuris; neque ab Aristotele est contracta ad hoc, vel illud singulare. Quod enim in particulari de Ebrio, & Ero rationem reddat Aristoteles: est gratiosa Liceti petitio, non probatio.

Recognitio XCV.

Aristot. Licetus pag. 156. probare vult ab Aristotele reddi rationem de Liparitano ebrio, & de Ero Pamphilio.

De somno, & vigilia cap. 4. dixerat. *Iam autem facta fuit imaginatio quibusdam, qui animi defectum fortiter passi sunt; hoc igitur aliquam habet dubitationem. Si enim contingat dormire eum, qui animo defecit: continget vtique somnium esse, & ipsum phantasma; multa autem sunt, quæ dicunt, qui vehementer animo defecerunt, & qui visi sunt mortui esse, de quibus omnibus eandem esse rationem existimandum est.*

Licetus. "Quæ planè conuincunt Aristotelem fabulosum casum ebrij Liparini, & Eri Pamphilij posuisse inter fabulas veritatem admirabilem sine fictione continentes."

Prima obser. Respond. nego consequentiam. Aristoteles tractat in vniuersali de multis, qui animo defecerunt. At potest haberi scientia de propositione vniuersali cum ignoratione, & minoris, & conclusionis particularis. Etenim in 2. Prior. cap. 26. possumus cognoscere istam *omnis mula est sterilis*: ignorando, an hoc particulare animal nobis præsens sit sterile. In 1. Post. 5. cognoscimus omnem binarium esse parem, & ignoramus particularia. Qui talis est, vniuersaliter scit, simpliciter non scit.

In 1. Post. 170. legimus. "Quoniam propositionem priorem quidem habentes, nouimus quodammodo, & posteriorem, & habemus potentia; vt si quis nouit, quòd omnis triangulus habet tres duobus rectis æquales, nouit quodammodo & æquicrurem, quòd duobus rectis poten-

tentia, etsi non nouit æquicrurem, quòd triangulus sit. Qui verò hanc habet propositionem; vniuersalem nullo modo nouit, neque potentia, neque actu.,, Idcirco in 2. Prior. docemur, à nobis posse cognosci maiorem, ignorata conclusione, & ista cognitio vocatur vt *vniuersale*: velut cognoscendo istam, omnis mula est sterilis. 2. posse cognosci minorem particularem, vt quòd hoc animal præsens est mula, atque ista cognitio appellatur vt *propria*, quia cognoscimus maiorem sine minore, & minorem sine maiore. 3. quando cognoscitur maior, & cognoscitur minor sumpta sub maiori: tunc vocatur cognitio *vt agere*. vnde est illud protritum. Cognita maiori, & minori, simul tempore cognoscitur conclusio.

Ad rem. In libro de somno, & vigilia cap. 4. Aristoteles docet rationem vniuersalem de ijs, qui animo defecerunt, qua ratione possent, quædam videre in ipso deliquio, & visa narrare. Respondet conditionatè, si defecti animo dormiunt: in ipsis, & somnia, & phantasmata fiunt. Atqui tales defecti animo dormiunt, ergo in eis fiunt somnia, & phantasmata. Eadem enim causa in omnibus dormientibus erit, siue deficientibus animo, siue secus. Collige vniuersalem in textu: dormientes etiam animo defecti, somnia vident, & post dormitionem somnia visa narrant.

Descendit Licetus ab hac vniuersali sic. Ergo *& Eri Pamphilij, & ebrij Liparitani casus ab Aristotele narrantur vt vera.* Argumentum est ab vniuersali cognito ad singularia, de quibus nulla mentio est in textu: quæ, vel non sunt considerata ab Aristotele, vel non fuerunt comperta illo tempore, & sine dubio non sunt approbata tanquam vera. Siquidem ex propositione vniuersali non potest colligi conclusio particularis, nisi minor particularis actu sit cognita, & actu coniuncta cum vniuersali. Procedit Licetus à cognito potentia, ad cognitum actu cum falla-

cia

cia consequentis. Tu scis, omnem binarium esse parem: ergo scis istum binarium esse parem: quem tamen ignoras, & an sit, & an sit binarius. Sophisma vulgatissimum apud adolescentes logicos, dum primum posteriorum discunt.

Cæterùm quidam animo defecti fuerunt de præterito, quidam etiam erant defecturi animo de futuro respectu Aristotelis scribentis librum de somno, & vigilia. Si inferas, homo, qui hoc anno defecerit animo, (sit Petrus Venetus;) & dicas; ergo Aristoteles nouit Petri Veneti defectum, & somnia: non ne erit fallacia consequentis? Quod igitur Aristoteles aliquem animo defectum, & dormientem obseruauerit: non dubito. Sed quod casus fabulosos Eri Pamphilij, & ebrij Liparitani adduxerit in fundamentum suæ doctrinæ, prorsus nego. Veros casus hominum, qui defecerint, agnouit, & casus tales certos in exemplum probatiuum adduxit. Casus fabulosos adducere ad probandum non consonat cum prudentia Aristotelis. Licetus tamen, cui fabulosa sunt vera, istos casus adducat, non Aristoteles, cui fabula continetur sub fictis exemplis. 2. Rhetor. cap. 20. 21.

Recognitio XCVI.

Aristot. ARistoteles 7. histor. animal. cap. 4. *At inquit, si proximè à primo conceptu, secundus sit factus, absolui, edique potest, quod superfœtarit, vt quasi gemini nasci videantur: quomodo Herculem, & Iphiclem procreatos esse fabulantur.*

Licetus. "Nam huiusmodi fabulam esse veram narrationem immediatè confirmat Aristoteles obseruans, tale quid alijs mulieribus non rarò contigisse.

Aristot. Subdit enim, *nam id etiam constitit adultera quadam, quæ alterum suo marito, alterum adultero similem peperit. Iam, & cum geminos quædam ferret, tertium superfœtauit,*

&

& cum tempus pariendi iustum iam esset, primos vitales peperit, tertium quinto mense elisit, qui statim mortuus est.

Altera, cum primum septimo peperisset, qui mortuus est. Mox duos iusto mensium numero edidit, qui vixerunt.

Quædam etiam sub abortu conceperant, atque alterum abegerunt, alterum continuerunt, pertuleruntque ad partum."

Prima obser. Aliud Aristoteles tractans de superfœtatione affert in declarationem superfœtationis: aliud in confirmationem. In declaratione fabulam adhibet, vt si proximè à primo concipiatur secundus, simul nasci duo gemini valeant. Quomodo hoc agnoscemus? Respondet Aristoteles, quomodo Herculem, & Iphiclem procreatos esse fabulantur. Figmentum fabulosum attulit ad declarationē.

Neque verum est, quod ait Licetus, Aristotelem probare, quòd fabula Herculis, & Iphiclis sit vera; nec Aristoteles tempus terit in probando, vel reprobando isto casu cō ficto à poetis. Sed in confirmatione conclusionem quatuor exemplis naturalibus, vt inductione confirmat. Cautè quoque, dum de Iphicle, & Hercule loquitur, vsus est vocabulo *fabulantur*. Dum verè gesta ipse narrat, substituit verbum *constitit*. Constare est in veritate, fabulari in fictione.

Si autem Plautus in Amphitrione consideretur, Amphitrio priusquam expeditionem in Persas susciperet, vxorem fæcundauit. Nauigatio duplex, & prælium consummatum, tempus non breue insumpsit. Iuppiter adulter Alcmenam compresit, longa nocte, valde post, scilicet in regressu Amphitrionis. Si prior, & posterior geniti in superfœtatione parum distent, in parturitione possunt simul nasci: sed alterum generari post alterum tanto tempore, & simul nasci, verè fabula est poetica.

2. Obser. Arist. consimili loquutione vsus est in 1. de Partib c. 1. car. 1104. *Ergo si animal, vel anima est, vel pars animæ, vel nō sine anima est: quā primū enim à corpore anima discessit,*

ani-

animal esse desinit;neque membrũ, vllum nisi figuræ suæ ratione idem relinquitur; modo eorum, quæ fabulæ transisse in lapidem narrant. Sicut ergo declarans modum, quo membra esse membrorũ vniuocè, transeunt ad esse talia æquiuocè: declarat per fabulam, transitus hominis in lapidem: ita natiuitatem duorum geminorum in superfœtatione declarat euenire eò modo, quo fabulæ dicunt euenisse in ortu Herculis, & Iphiclis.

3. Obser. Illud adiungo, quod in vno fuit fictum, in altero verum esse potuisse. Aristoteles hoc docuit, cum in 5. Polit. cap. 10. indicat causas, propter quas regnum potest amitti: quarum vna est, Contemptus Regis; vt videns quidam Sardanapalum regem inter mulieres pensa diuidentem, spreuit, & regno priuauit. *Si modò hæc fabula vera fuit: & si non in illo, attamen in alio verum esset.* Ita de Iphicle, & Hercule, quod gemini sint nati, est in fabulis fictum, & falsum: potest tamen in alijs casibus ab Aristotele narratis esse verum. Sed quod fabula sit vera, Liceti dictum est, non Aristotelis.

Eadem sunt circa 7. histor. anim. cap. 6. dicenda, quem textum item obscurat Licetus pag. 157.

Recognitio XCVII.

DEnique textum à me productum ex 1. meteor. sum. 4. cap. 1. violandum assumit Licetus pag. 158. *Sub ipsa autem vrsa super vltimam scythiam, quæ vocantur Rhiphæ, de quarum magnitudine, sermones, qui dicuntur, valdè sunt fabulosi.* Si fabula significat tria *sermonem, sermonem verum, sermonem falsum.* apud Licetum sensus erit: sermones, qui dicuntur, sunt valde sermones, vel sunt valdè sermones veri. Sanè Licetus contendit vera esse dicta de magnitudine illorum montium.

Quia verò absurdum nimis apertum est, asserere sermones

nes valde fabulosos esse sermones valde veros. Licetus inuexit quartum significatum vocabuli fabula pag. 159. dicitque *fabulosos*, idest famosos: sermonesque valde fabulosi, sunt sermones valde famosi.

Prima obser. Probat magnitudinē illorū mōtiū verā esse. quia sermones illi nō possunt dici valde falsi, neq; valde ficti. tū quia falsū est non ens, cuius nō est intensio, neq; remissio.

Respondeo. Non est physici, vel medici tractare de ente, vel non ente: si enim consideraret ens dici magis & minus; cognosceret etiam non ens dici magis & minus. Vnumquodque enim tunc dicitur cum actu sit magis, quàm cum potentia. quia verò potentiæ sunt varij gradus, vnde est potentia propinqua, vel remota, quantò magis recedit ens ab actu, tantò magis accedit ad non ens. 2. phys. 12.

Considerando etiam falsnm, & impossibile, magis falsum est, id quod est impossibile, quàm quod est falsum tantummodo, vt hæc propositio *Licetus non est doctus*, est falsa: sed hæc, *Licetus est lapis*, est magis falsa, & magis recedit à veritate. Potest autem non ens esse magis & minus, non ratione negationis vt sic, sed ratione, vel subiecti, vel causarum, propter quas talis negatio inest; vt negatio albedinis inest homini propter tot causas, quot sunt prædicata in quid de albedine, & quot sunt prædicata in quid de homine vsque ad generalissima: quæ primò de se inuicem negantur. Affirmare albedinem de homine, est affirmare ens: negare albedinem est negare ens; sed cum dicitur, substantia non est qualitas, hæc negatio est primò vera: cum dicitur, homo non est albedo, est negatio vera propter multas causas, vt quia homo est animal rationale, quia viuens, quia corpus, quia substantia. Subiectum quoque potest esse magis, & minus ad negationem, quæ est non ens, dispositum: vt oculus non videt propter vnam causam, puta, quia clausus: vel propter duas causas, vt quia in carcere, vel quia excæcatus. Suscipit ergo non ens, & magis,

& minus, prout magis, vel minus recedit ab ente actu: & propter subiecti,& causarum diuersitates, quod attigit Scotus in 1.d.28.q.2.B.& d.36.q.1.L.

2. Obseruatio. Secundò probat Licetus. *Tum quia veteres de magnitudine Ripheorum nihil aliud asserunt, nisi quod attulit Plinius, à quo Solinus, & Mela.*

Respondeo. Si Licetus illos veteres, vel dicentes audiuisset, vel scribentes legisset, quos audiuit, & legit Aristoteles: possemus credere Liceto. Sed Licetus legit Plinium, & posteriores, qui post Aristotelem fortè quingentis annis scripserunt, ac melioribus cũ testibus moderatius sunt loquuti.

Cæterùm in libro meo de ortu Istri ad pag.27.& 28. authores idoneos adduxi, qui testantur, Rhiphæos fuisse ab antiquis nimiæ magnitudinis scriptos: verè autem non reperiri. Legerat Aristoteles Herodotum procul dubio. vnde si ex illius narratione retractus est à credenda montium illorum celsitate, iustam causam habuit. Citaui Petrum Bertium lib.1. rerum Germanicarum car. 188. *Montes, inquit, vltra Vistulam, montes Riphæi, & Hyperborei, de quibus prisci tàm multa scripsere; nusquam hodie comparent.* Et infra. *Rectè notauit idem iam olim Strabo. Horum, inquit, ignoratione locorum factum est, vt audirentur, qui Ripheos montes, & Hyperboreos commenti sunt.* Vide Strabonem lib.7. Alij authores legantur ibidem. Solùm adscribo Alberti Campensis attestationem ad Clementem 7. in descriptione Moschouiæ narrantis originem fluminum Borysthenis, Tanais, Volgæ sic. *Tutti questi fiumi nascono in luoghi piani, paludosi, & pieni di boschi, & non da quei fauolosi monti Rifei, & Hiperborei, quali la Grecia bugiarda ne gli hà partoriti, non la natura, che non gli hà visti mai in luoco alcuno. perche nel dominio di Moscouia non si ritroua pur vn monticello, se non ne liti dell' Oceano Settentrionale, & Scithico, nella quale parte habitano li Iubri, li Cerelli, li Bas-*

chirdi, & li Czeremissi. Per la qual cosa non posso à bastanza merauigliarmi de nostri geografi, che sono tanto sfacciati, che senza alcuna vergogna narrano cose incredibili de monti Rifei, & Hiperborei, da quali vogliono, che naschino i sopradetti fiumi. Ne anco trouaremo esser più vero, quasi tutto quello, che i più reputati di loro hanno detto dell'vna, & dell'altra Sarmatia, & di tutta quella region Settentrionale; se le loro descrittioni fossero poste in comparation con i viaggi, che hanno fatto gli huomini de nostri tempi, la qual cosa io mi sono forzato di fare.

Iouius cap.4.car.134.fac.2. de Moscouia. *Conciosiacosa che veramente in quel paese per lungo viaggio, che l'huomo faccia, non si ritroui monte alcuno. di modo che i monti Rifei, & Hiperborei tanto celebrati da gli antichi, alcuni studiosi dell'antica Cosmografia, stimano essere del tutto fauolosi.* Itaque meritò Aristoteles sermones de magnitudine Rhipheorum valdè fabulosos existimauit: & modernorum experientiæ cum Aristotele consentiunt, & incassum molitur Licetus nobis suadere fabulosam illorum montium magnitudinem esse veram.

Surius in cō. rerum toto orbe gestarum. Magin. Geograph. car. 224.

3. Obseruatio. Postremò commemoro, me anno 1631. die 12. Martij obiecisse Aristoteli de origine Istri: & de Stagni Palæstini qualitatibus, quòd eas fabulæ titulo aspergit.

Scholiastes Solini lib. 2. Mel. c. 1.

Ab illo tempore, hoc est à 26. annis meditatus est Licetus contra me, vt fabulæ significatum transuerteret, & fabulam apud Aristotelem conficeret non significare falsam, sed veram narrationem. Tàm longo tempore vnum solum textum reperit in 5. Polit. cap. 10. ad eruendum fabulæ significatum ex Aristotele: in quo tamen textu Aristoteles fabulam accipit pro narratione non vera. *Sed si fabula non fuit vera, potest in alio esse vera.* Ego autem, qui me non iacto discipulum Aristotelis, neque Aristotelem Magistrum mihi vendico. (Nimis enim absum ab hac laude) anno 1640. in quo scripsi librum de fabulis Palæstini stagni, su-

In lib. de ortu Istrij car. t. 38.

pra 30. textus Aristotelis collegi, ex quibus posset solers Peripateticus vestigare significatum fabulæ, & coniugatorum eius. Sed Licetus extraneus à Peripato, extranea sectatur, non Aristotelica.

Recognitio XCVIII.

AD summam veniamus. Licetus pag. 164. profert textum Aristotelis oblongum; sed non necessaria iungit, necessaria mutilat.

2. metec. Prima obser. Textus est in 2. Meteor. sum. 1. cap. 3. in quo capitulo quinquies reperitur vocabulum fabula, & fabulari. Quater profectò significat loquutionem falsam: & ne inducamus æquiuocationem in textũ, compellimur ad idem significatum quinta vice intelligendum.

Aesopus fabulis. fabulosè Primò contra Democritum in loco citato scribit Aristoteles. *Putare autem mare minus fieri secundum multitudinem, sicut ait Democritus, & tandem deficere: ab Aesopi fabulis nihil differre videtur, persuasus sic. Etenim ille fabulosè dixit, quòd bis quidem Charybdis absorbens, primò quidem montes fecit manifestos, secundò autem insulas, vltimo autem sorbens aridam faciet omnino. Illi igitur congruebat irato aduersus portitorem talem dicere fabulam: veritatem* *fabulam* *autem quærentibus minus.* Loquatur, quantum volet Licetus, impleat cartam, quantam placet: nunquam conficiet vt fabula, & fabulosè in isto textu significet veritatem. Æsopo irato congruit talem fabulam dicere: sed veritatem quærenti minus congruit.

fabulantur. Stagnũ Palæstinum. Rursus in eodem capite. *Si autem est, sicut fabulantur quidam, in Palæstina tale stagnum, in quod, si quis immiserit colligatum hominem, aut iumentum, supernatat, & non submergitur in aqua: testimonium vtique erit aliquod dictis; Dicunt enim amarum sic esse stagnum, & salsum, vt nullus piscis innascatur: vestimenta autem purgari, si quis, cum irrigauerit, quassauerit*

Sunt

Sunt autem, & talia signa omnia dictorum, quòd salsedinem facit corpus aliquod, & terrestre est, quod inexistit.

In Chaonia enim fons est aquæ latioris. Effluit autem hic in fluuium propinquum dulcem quidem, pisces autem non habentem. Elegerunt enim, vt qui ibi sunt fabulantur, optione data ab Hercule; quando venit ducens ab Erythia boues, salem pro piscibus, qui fiunt ipsis ex fonte. Licetus ante narrationem de Stagno Palæstino plura præmisit ad lectorem fatigandum, sed in 2. parte textus cum Aristoteles proposuit talia omnia esse signa causandæ salsedinis; reddit rationem, vt indicat particula rationalis *enim*. Licetus callidè, posita conclusione, obtruncauit rationem, in qua vocabulum fabulantur ponitur. *Fabulantur* ait Aristoteles, scilicet optionem datam ab Hercule Chaonijs, an vellent in fluuio pisces, an salem, quæ fabula prorsus falsa est. Falsum est hanc potestatem in Hercule fuisse, falsum hanc electionem à populis factam. Ergo *fabulantur* etiam hoc loco significat Aristoteli orationem fictam, & falsam. Quare & in particula præcedenti illius textus *fabulantur*, idem significatur. In eodem enim capitulo quater, vt certissimum est, fabula orationem falsam significat: quare non & quinta vice? quare æquiuocatio inducitur, & Aristoteli nasus cereus fingitur?

Chaonia fabulantur.

Respondet Licetus tanquam bonus cantor, per verbum *Tacet*.

2. Argumentum feci ex eodem textu. Nomen analogum absolutè prolatum accipitur pro famoso significato. At verò ex tot alijs locis Aristotelicis congestis, & ex quatuor in capitulo nunc obseruatis: coniugatio fabulæ, vel præcisè significat falsam narrationem, vel saltem magis vsitatè & famosè eam significat: vti constat ex poeticis, rhetoricis, atque moralibus authoritatibus; ergo cum in textu citato de lacu Palæstino, ponatur verbum *fabulantur* absolutè, sicut ponitur de fonte Chaoniæ; sequitur vtrobique

hanc

hanc vocem, vel in significato præciso, vel famoso esse accipiendam.

Respondet Licetus etiam ad hoc per verbum, *Tacet*

Tertiò arguebam ponderando textum: "Si autem est, vt quidam fabulantur, tale stagnum in Palæstina, testimonium vtique erit aliquod dictis.,,

Consideretur consequens: *erit*, non simpliciter testimonium, sed cum addito *erit aliquod testimonium*.

Consideretur antecedens. conditionatum est, & suspensum: vnde nascitur in consequente diffidentia propter limitationem in antecedente, *sicut quidam fabulantur*. Vbi signum particulare vagum, *quidam*, ac verbum *fabulantur* vt fabularum narratores accusat narrantes, eorumque fidelitatem perstringit; quare & in antecedente *si est, vt fabulantur quidam* (quidam, inquit, non omnes: quod superius opponebat Licetus in auditione miranda 96.) & in consequenti apparet Aristotelem non credidisse tales esse stagni conditiones resolutè: sed conditionatè: *si tales sunt;* fidem aliquam facient.

Respondet bonus cantor Licetus per verbum *Tacet*.

Rursus Licetus dicebat, quòd philosophus non debet narrare fabulas procul à veritate existentes. Nunc autem Aristoteles narrat fabulam Æsopi prorsus falsam, & fabulã de Hercule in Chaonia falsã: ergo Aristoteles non est philosophus. Ista conclusio sit à Liceto proposita in honorem sui vnici magistri. Conclusio est omninò absurda, sed sequitur ex maiore propositione, quæ est Liceti.

Quartò nunc adijcio cum 1. de cœ. n 119. aliquid esse verum, aut falsum possibile, aut impossibile, vel simpliciter, vel secundum quid: nempè ex suppositione aliqua. Exemplum dat Aristoteles in Mathematicis.

Si hæc sunt: triangulum non habet tres æquales duobus rectis. *Si hæc sunt*: diameter est commensurabilis. Suessanus exemplum clarius donat; Si asinus volat, asinus habet

bet alas; consequens est possibile, & verum: non quidem simpliciter, sed secundum quid ex suppositione *si asinus volat*. Ita etiam Aristoteles in hoc enthymemate. *Si est tale stagnum, vt quidam fabulantur, testimonium vtique erit aliquod*, nimirum consequens est verum, non simpliciter, sed ex conditione supposita, si stagnum tale est, quale fabulantur.

Quintò argumentatus sum in libro de fabulis Palæstinis pag. 87. Aliter Aristoteles iudicat, dum ex se loquitur, nam tunc apponit verbum *fabulantur*. Aliter loquitur, dum refert illorum narrationem; tunc enim scribit. *Dicunt enim amarum sic esse stagnum, & salsum, vt nullus piscis innascatur*. Igitur verbum *fabulantur* refertur ad personam Aristotelis iudicantis de narratione referentium. Verbum autem *dicunt* refertur præcisè ad referentes. Consequitur Aristotelem audiuisse quidem tales conditiones stagni, quæ sunt *grauium supernatatio*, *piscium absentia*, *amaritudo purgans*: sed non sanè credidisse referentibus, aut relatis.

Respondet, vt supra per verbum *Tacet*.

Sexto. In sect. 23. problemat. 40. lacus Pæsa potabilem, dulcemq; aquã habet: sed tamen sordes abstergit, lauat. Arguit philosophus istam narrationem esse impossibilem, quoniam duo contraria simul in eodem consistere nequeunt, dulce, & amarum; si nanque lacus est potabilis, aqua est dulcis, non amara. Si autem abstergit, est amara, non dulcis.

Respondet Aristoteles. *An nullus humor vestimenta suo amarore posset purgare, sed lentore tantummodò*. Nunc autem dicebant lacum Palæstinum propter amaritudinem vestimenta purgare, si tantum irrigentur, & quassentur; si ergo amaritudo non purgat vestimenta, imò hoc non est possibile cum Aristotele; sequitur, vt meritò iudicarit fabulosas esse conditiones narratas. Alias quoque rationes

attuli

attuli in libro citato, quas qui volet, in eo legere poterit.

2. Obſeruatio, eſt reſponſionum ad argumenta Liceti,

Arguit pro ſe Licetus in lib. de Pietate 2. pag. 163. ſicut arguebat in libro de Quinto Quæſitis. *Itaque Scriptores omnium ordinum eximij verbum Mythologe in fabulari, ſumunt pro eo quod eſt narrare, loqui, vera dicere; quo ſenſu potuit Ariſtoteles agens de lacu Palæſtino dicere, quod Mythologuſi fabulantur, ideſt narrant: & ex eorum narratione ſua dicta comprobare.*

"Quam quidem rationem, aut non viſam à viro docto, aut callidè diſſimulatam facilè quiuis agnoſcere poteſt, ad viuum; & Vicomercati accuſationem tollere ſimul, & meam defenſionem neceſſariò conuincentem demonſtrare.

Primum, quia ſi fabula plerunque ſignificat apud authores claſſicos veram hiſtoriam: profectò Vicomercatus non benè coarguit Ariſtotelem ignorantiæ craſſæ de lacus Palæſtini qualitatibus ex eo, quod aſſerit quoſdam fabulari de ſalſedine, craſſitieque lacus illius.„

Reſpondeo, non diſſimulaui (quamuis non ſim vir doctus,) imò in pag. 29. & alijs dedi reſponſum; Me quærere, quid Ariſtoteles dicat, non quid alii. Ita Sueſſan. 3. cęli 3. *Alij dicant, qui quid velint: nam hoc parum ad nos, qui quærimus Ariſtotelem intelligere*. Licetus pro more ſuo multas implet cartas alienis dictis: ex Ariſtotele vnicum textum profert, qui eſt contra Licetum. Et primò quidem ex Italicis authoribus vnicum tantùm profert Maccaronicorum authorem, quoniam meliorem authorem non habet. Ex latinis profert & à vocabulariis, & à concordantiis Bibliorum quaſdam authoritates. Sed ridiculum eſt, credere Ariſtotelem accepiſse ſignificationes vocabulorum ab authoribus Latinis, vel Italicis, quorum idioma non cognoſcebat. Nec pium eſt cogere ſacras authoritates ſeruire Ariſtoteli, quod ſæpè facit Licetus. De authoribus Græcis diſputatio interminata fieret: oporte-

ret in lexicographis quærere authoritates à Liceto citatas; conferre cum originalibus libris: examinare antecedentia, & consequentia: & an propriè loquantur, an per tropum: ac tandem nihil ad propositum haberemus. Quærimus enim, quid Aristoteles scribat, intelligat, doceat, non quid alij.

Dedi ergo tres respõsiones. Prima est in pag. 31. Si quis à voce æquiuoca significante *loqui, loqui vera, loqui falsa*, procedat ad vnum illorum significatorum: non ne in fallaciam æquiuocationis incidit? Talis est demonstratio ista Liceti necessariò conuincens; fabulari significat *loqui, loqui falsa, loqui vera*: ergo in textu citato fabulari significat *loqui vera*. Ita ne sophisma æquiuocationis, vel consequentis est demonstratio?

Secunda responsio. Quando proponitur æquiuocum: significatum determinatum est applicandum, & applicatio probanda, vt scripsi in pag. 34. Sed defensor Licetus nullam rationem attulit ad reprobandam applicationem Vicomercati, qui ad verbum *fabulantur* applicauit *loqui falsa*. Licetus nullam rationem attulit ad probandam applicationem propriam, qua ad verbum *fabulantur* applicat loquutionem veram. Neque damnat Vicomercatus ignorantiæ crassæ Aristotelem, (vt exaggerat Licetus,) quantum ad vocabulum; sed quantum ad rem significatam ostendit, illas Palæstini stagni conditiones esse veras, quas Aristoteles falsas esse censuit: nempe crimen retulit in fabulantes, quibus fidere, Aristotelis non fuit consilium.

3. Responsio in pag. 37. Vicomercatus assereret ab exquisitissimis Peripateticis, & à se iugiter obseruatum fuisse, vt homo Aristotelicus, Aristotelicè loquatur, probet, defendat, ne cum illo taxetur grammatico, qui non grammaticè scripsit.

At Licetus nullum in epistola sua locum potuit afferre, in quo clarè cernatur, quòd fabulari sit vera loqui; itaque

V Ari-

Aristotelicus prætensus non Aristotelicè scripsit, & cum ei non suppeterent propria, aliena coaceruauit.

Ad extremum in pag. 70. scripsi. *In Aristotele coniugationis fabulosæ vnum tantùm est significatum, nempe proprium: extra Aristotelem quotcunque sint, non magnipendo.*

In vno significato illo Aristotelico non potest Vicomercatus æquiuocè arguere: tu potes, cui multa significata vna vox possidet. Denique Aristoteles, nec debuit, nec potuit per translationem, sed per proprietatem scribere in capitulo relato: quia in eodem capitulo reprehendit Empedoclem in translatione, seu metaphora. Nunc si aliquando propriè, aliquando translatè accipitur vocabulum fabula: *æquiuocatio est. AEquiuocatio autem sophistis est relinquenda, non Aristoteli tribuenda in vno, eodemque loco, atque contextu.*

Hæ sunt responsiones, quibus patet, non à me esse callidè dissimulatã hanc doctrinam Liceti, sed apertè negatã, tanquã fallacẽ, inermẽ, extraneam à schola Arist. Si autem Liceto non est curæ loqui Aristotelicè, & ex Aristotele terminos, propositiones, conclusiones eruere, distinctiones, præcepta, dogmata promere: mihi curę est Aristotelicè loqui, & ex Aristotele Aristotelem declarare.

Licetus. 2. Arguit Licetus (quod non fecerat in epistola) pag. 164. lin. 1. *Quia propriam opinionem non posset Aristoteles comprobare, veram esse per ea, quæ censeat ipse procul à veritate fictitia, falsaque fabulamenta.*

Cum itaque proponit Aristoteles hoc in loco dicta à fabulantibus de lacu Palæstino, veluti principia comprobantia suam opinionem de maris amaritudine, salsedine, crassitieque supra cæteras aquas.

Iam necessariò constat in epistola demonstrata Aristotelem per eos, qui fabulantur de lacu Palæstinæ significare narrantes veram historiam, de conditionibus illius lacus.

Quod

Quod autem Aristoteles assumat dicta fabulantium de lacu Palæstinæ pro medijs ad comprobandum proprium dogma de salsedine, crassitieque maris apertissimè constat ex omnibus interpretibus.

Respondeo, valdè à vero distat, quòd *constet apertissimè* & quòd *ex omnibus interpretibus*; sed mos Liceti est per amplificationem, non per rationem probare. Certè Vicomercatus est vnus interpres Aristotelis, qui satis lucidè contra Licetum est. Olympiodorus, & Buccaferreus sunt interpretes, qui tamen fabulam pro falsa narratione accipiunt. Sed hoc postea. Nunc soluo argumentum. Si Aristoteles niteretur hoc solo testimonio de stagno Palæstino: planè sequeretur, doctrinam Aristotelis non esse probatam satis, sed solùm conditionatè, *si tale est stagnum.* Etenim in conclusione non potest haberi maior certitudo, quàm sit in præmissis per regulam, propter *quod vnumquodque, & illud magis*, primo post. 15. At alia multa fundamenta absolutè posuit: hoc de lacu Palæstino posuit conditionatè, & vt testimonium aliquod, sicut & fabulam de fonte Chaoniæ ad probandum affert Aristoteles.

Igitur aut proponitur istud signum de lacu Palæstino, vt verum absolutè, tùmque esset vera narratio; aut proponitur conditionatè *si tale est*, tunc est vera secundum quid, & conditionatè, sicut verum est, asinum habere alas ex conditione, *si volat*. Ista narratio de lacu Palæstino est posita conditionatè, & secundum quid: nullumque est inconueniens, si Aristoteles proponat tanquam secundum quid verum, quòd pendet ex conditione secundum quid vera.

Expositores.

In pag. 159. refert Licetus quosdam expositores circa dicta de lacu Palæstino. Vt Aphrodiseum: quem & ego attuleram in meo libro. Sed cum Aphrodiseus vtatur ver-

bo *dicunt* tàm in narratione de stagno Palæstino, quàm de fonte Chaonio: vtroque loco ponit verbum *dicunt*, sicut Aristoteles in textu posuit. *Dicunt enim amarum sic esse stagnum;* sed in neutro loco Aphrodiseus declarauit verbum *fabulantur*, sicut nec interpretes plures, ne hunc errorem historiæ in Aristotele detegerent. Fortè etiam hoc fecerunt quoniam posteri certificati sunt de veritate conditionum narratarum circa stagnum Palæstinum, de quibus certitudinem Aristoteles sufficientē non habuerat.

Licetus affert 2. Theodorū Metochitā. Sed is non considerat vocabulum *fabulantur*: verùm ista signa, quæ Aristoteles attulit, vocat indicium, & coniecturam. Et quod in textu scriptum est, *dicunt enim amarum sic esse stagnum*, scribit Metochita. *in Palæstina quoque dici perhibere quendam esse lacum*. Habuit autem Metochita maiorem certitudinem de lacu, vnde subdit. *Est autem euidens, quòd aqua istius lacus est valdè amara, & adeò salsa, vt ne in eo quidem sint pisces*.

Auerroem tertio citat. In eo libro Auerrois antiquo, qui extat in hac bibliotheca ad D. Antonij, nihil scriptum est super isto libro 2. Meteor. An autem in hoc libro antiquo sit defectus, an in libro Liceti redundantia, posteritas iudicabit. In ipsa tamen expositione, quæ Auerroi tribuitur à Liceto, quod in textu scriptum est *dicunt*, ab Auerroe scriptum est: *In eandem causam incidit, quod dicitur de lacuna, quæ est in Palæstina, & vocatur mare mortuum, eo quod est* &c.

Sed neque isti, neq; Albertus, neque Thomas, neq; Thienensis ponderant verbum *fabulantur*, quicquid Licetus dicat. Stapulensis similiter vertit *dicunt* circa Palæstinam esse stagnum, nec ponderat vim vocabuli *fabulantur*. Suessanus à Liceto citatus, attendit ad hoc vocabulum scribens: *Præterea si est, sicuti fabulantur quidam de quodam stagno in Palæstina &c. Aristoteles ergo dubitat hæc*. *Plinius*

affir-

affirmat; dicuntur, & de hoc quàm plura alia, quæ Aristoteles putat fabulas. Licetus ex ista authoritate infert sic: *apertè constituit nomen fabulantium hic indicare narrationem simpliciter, non autem necessariò falsam.* Resp. nego consequentiam, totũ enim oppositum à Liceto colligitur illius, quod dicitur à Suessano. Aristoteles dubitat hæc, scilicet narrata: cur? quia putat ea esse fabulas. Et benè, nam ex 1. Metaph. cap. 2. dum philosophus est in statu ignorantiæ, audit fabulas, sed dubitat, miratur, inquirit, neque acquiescit, nisi certioribus testimonijs, & inuento ipso *propter quid.* Sic in proposito Aristoteles se habebat circa lacum Palæstinum. Alios aliquos interpretes etiam attuli in lib. citato de fabulis Palæstini stagni; ex qua Interpretum ponderatione inuenio eos, qui considerauerunt particulam *fabulantur,* eam reputauisse tanquam significatricem falsæ narrationis, vt Olympiodorus, Suessanus, Vicomercatus, Buccaferreus, Fanestris. Alios loquutos esse in communi, nec voluisse vocem hanc examinare. Qui autem vocem *fabulantur,* transmutant in vocem *dicunt,* ascendunt à specie ad genus: nempè ab eo, quod est dicere falsa, ad *dicere,* quod est commune tùm ad vera dicere, tùm ad falsa dicere. Sed ex quatuor attestationibus in eodem capitulo proposito secundi Meteor. fabula significat falsa dicere. Hæc sunt, quæ intra Peripatum à me compulsus dixit Licetus, partim textus à me citatos violans, partim expositores, quos omnes citaui, excepto Metochita, cuius librum non habebam, nec habeo; Sed Liceto rescribenti, credam. Nec plura. *Licetus.*

Recognitio IC.

LIcetus lib. 2. de Pietate cap. 13. car. 167. Eximere vellet Aristotelem ab impietate, quæ illi obijci potest, quasi statuerit somnia non mitti à Deo.

Verùm Aristotelem in lib. de diuinatione per somnium ne-

negare, aut non negare somnia mitti à Deo, examinatum est in Recog. 60.

Recognitio C.

ARistotelem neque pietatem erga Deum læsisse, neque erga homines, Licetus vult ostendere: sed voluntati volatus non correspondet.

Scotus in prima Prologi, N. §. *tres rationes.* "Improbat, inquit, Aristoteles politias dispositas à multis alijs. 2. Politic. Sed nec illa Aristotelis est irreprehensibilis.

7. Politic. Vbi docet Deos esse honorandos. *Decet, inquit, cultum exhibere Dijs.*

Et ibidem, *lex nullum orbatum tradit nutriri.*

Et in eodem lib. & cap. 15. dicit. *Quòd oportet fieri abortum in casu.*"

Igitur vt legem omninò irreprehensibilem circa finem hominis, & media ad finem obtineamus: non ad lumen hominis naturale recurramus, oportet, sed ad supernaturale Dei, irreprehensibilis.

Licetus in lib 2. de Pietate cap. 18. car. 213. profert ex lib. 7. politic. cap. 16. hæc

Aristot. *Circa expositionem autem, vel educationem filiorum, lex sit. Nihil orbatum natura fore educandum.*

Licetus. *Quod negotium facessit Suessano (in præfatione Phys. & de Anima) dicenti, catholicos sentire, bonum non esse educare monstra propter ciues, sed propter Deum educanda esse; nec Aristoteli prorsus assentiendum, quasi putauerit defectum naturæ esse capitale scelus; & in Aristotelis republica morte damnentur claudi, cæci, ac gibbi; genitoresque crudeles esse cogantur, ac perdere filios, quos genuerunt.*

Prima obser. Licetus in duas se vertit facies; in prima ad laudem Aristotelis, quòd primus expulerit consuetudinem exponendi, vel necandi filios: quorum vtrunque parentibus impunè licebat. Hanc partem replicat, inculcat, am-

amplificat, exaltat.

In secunda restringit legem de filijs orbatis ad monstra. *Solos igitur partus illos vult Aristoteles exponendos esse, qui sunt ita læsi & mutilati, vt monstra, cum sint à natura humana recedentia, adulti generare nequeant humanam prolem: quam explicationem attulit* 1. *de Anima in præfatione Suessanus*.

Exemplum affert monstri cuiusdam, quòd Thracia mulier peperit puerum, qui oculis, palpebrísque, & superciliis caruit: manibus item, & brachijs; cui ad coxendices cauda piscis innata dependebat. hoc monstrum Mauritii Imperatoris iussu interfectum est.

Sed quam ab Aristotelis textu, & intentione Licetus absit: atque à vera defensione, patebit considerando textum, & causam legum in textu latarum ab Aristotele. Textum per partes ascribo. *Aristot.*

1. *Circa expositionem autem, vel educationem filiorum lex sit: Nihil orbatum natura fore educandum.*

2. *In alijs verò, si mores, institutioque ciuitatis prohibeant natos exponere: ac multitudo tanta prolis alicui contigerit, vt duplicatus sit filiorum numerus (nam is definitus esse debet.)*

3. *Ad multitudinem nimiam euitandam anteuertere oportet, vt non concipiantur.*

4. *Nam postquam concepti sunt, & sensum, aut vitam acceperint, nefas est attingere eos.*

Lambinus autem Ita vertit. *De exponendis autem, vel tollendis partubus lex esto; ne quid mancum, & debile alatur.* *Lambin. car. 269. F.*

2. *Propter multitudinem autem liberorum, ne plures sint, quàm expediat. Si gentium instituta, & leges vetent procreata exponi; definitum esse oportet procreandorum liberorum numerum.*

3. *Quod si quibus inter se copulatis, & congressis, plures liberi, quàm definitum sit, nascantur, priusquam sensus, & vita inseratur, abortus est fœtui inferendus,*

4. *Quid*

4. *Quid enim pium ac religiosum sit, quid non, sensu, & vita circumscriptum, ac definitum erit.*

Ex duplici translatione proposita. manifestum est, de filiis genitis distinguendum esse primò, aut sunt orbati, aut non. Si sunt orbati, lex est, vt nihil orbatum nutriatur. Quare filii orbati, morti destinantur, non autem sunt exponendi; siquidem dum antiquitus exponebantur filii à parentibus, sæpè filii ab alienis reperti, tollebantur, atque educabantur, prout legere est in comœdiis, vel tragœdiis, quas citat Licetus ex Theodoro Metochita, vt videre est infra.

2. Si filii non sunt orbati, sed corpore integri: Secundò est subdistinguendum. Aut in ciuitate ex more, vel lege concessum est exponere filios: aut ex more, vel lege ciuitatis expositio filiorum, prohibetur.

Si expositio filiorum non sit lege, aut more ciuitatis prohibita: Aristoteles in isto casu nihil dicit, & falsum est, quod ait Licetus, Aristotelem prohibuisse filiorum expositionem, prout liquet vtranque translationem legendo: & multò falsiùs est, quòd Aristoteles primus vetuerit filios in ciuitate exponi. Causa verò, propter quam Aristoteles non reiecerit hoc membrum subdistinctionis, ea est: quia si expositio permitteretur habentibus filios supra numerum à lege præscriptum; iam satis cautum esset, ne nimia multitudo filiorum generaretur in numero ciuium: ne patrimonia diuiderentur; ne filii caderent in egestatem, vt paulò post enitescet.

3. Si alterũ membrũ subdistinctionis detur, vetans exponi filios, Aristot. vult, vt in ciuitate determinetur numerus ciuium generandorum. Supposito isto præcepto *numerum filiorum esse determinatum*, & expositionem filiorum non esse permissam; tunc subdit Aristoteles aliam legem.

Si quis genuerit filios ad numerum præscriptum ex coniuge sua: curare oportet, ne amplius filii concipiantur:

quod

quod Lambinus dixit, abortum esse faciendum. Sicut & Scotus olim in antiqua translatione legebat.

Redditur ratio huius legis, quia filii, sed integri, postquam concepti sunt, & sensum, ac vitam acceperunt: non sunt attingendi, idest non sunt offendendi, vt moriantur ante partum, aut post partum necentur. hoc enim nefas est. Melius est itaque præuenire, ne concipiantur, quàm post conceptum eos lædere.

Nunc ego subdistinguo tertiò. Si postquam nati sunt filii corpore integro, parentes præueniant, ne concipiantur alii, hoc potest fieri, vel quoniam coniuges abstinent ab actu coniugali, aut gratia castitatis, aut gratia boni publici, vel alia aliqua ratione. Aut cum exercitio actus coniugalis stat præuentio, ne filii per actum generatiuum generentur. Si primum diceretur ab Aristotele, non posset accusari de abortu, cum nullum apponeretur impedimentum ad generationem oppositum. Sed Aristoteles quantum capio, non ita procedit. Vult quippe multitudinem filiorum, ad certum numerum generari. Propterea iubet coniuges tardè incipere, hoc est fęminam decem, & octo annorum, marem annorum 37. Post generationem filiorum determinatam iubet ab anno 55. masculum cessare ab actu generationis filiorum. *Itaque (ait Aristoteles) qui quatuor, aut quinque annis hanc ætatem* 50. *annorum excesserint, derelinquere debent in aperto generandi studium, ac de cætero, vel sanitatis, vel alterius huiusmodi causa concubitum facere videri*. Non ergo Aristoteles mandat abstinentiam ab actu generandi, vel castitatis causa, vel ob exequutionem magistratus, aut bellicæ expeditionis: sed concedit actum generandi, si antecessit cura, ne concipiantur filii. Quacunque tamen ratione id fiat, scilicet exercere actum coniugalem, & impedire effectum generationis, est verè abortus, & à regula veræ pietatis discordans; in quam rem nihil Licetus.

Nunc regredior, & quæro à Liceto, in qua particula textus delitescit illa ventosa iactantia, quòd Aristoteles prohibuit, & primus prohibuit exponere filios? Quando nam ait, vbi lex, vel mores permittunt exponere, eam expositionem non esse permittendam? In qua periodo, in qua clausula, in qua vocula? In nulla vocula textus Aristotelis, sed in multis periodis commenti Licetici: qui ideò hoc tribuit Aristoteli, vt sub mantello falsæ laudis posset veram accusationem subterfugere.

Denique aduerto, aliud esse exponere filios, hoc est extra domum ponere, vt qui vellent eos educare, liberè acciperent: aliud necare filios. Aristoteles concedit partus orbatos non esse educandos, & ex consequenti necandos, saltem permissiuè, quoniam tales partus omninò ab optima ciuitate remouet; fetus autem integros, omninò dicit nefas esse attingere, postquam concepti sunt: sed præueniendum, ne concipiantur vltra numerum præscriptum, vt clarius Lambinus transtulit.

Secunda Obseruatio. Aristoteles optauit construere optimam ciuitatem, vt constat 7. Politic. cap. 4. primòque videndum est de hominibus, quàm multos, & quales natura esse oportet. 2. de regione quanta, & qualis esse debet. Tot enim esse ciues debent, quot sufficienter viuere, & benè viuere possunt ex regione ciuitatis.

In 2. Politic. reprehendit Platonem cap. 6. car. 407. H. qui facultates adæquauerit, de ciuium multitudine nihil determinatè docuerit, sed indefinitam reliquerit multitudinem filiorum.

Hinc ait, *Magis autem putaret quis oportere determinatum esse modum procreandorum filiorum, quàm facultatum, vt non plures, quàm determinatum sit procreari oporteat: & numerus definiendus est respectu habito ad fortunas, si contingat decedere aliquos, & ad defectum procreandi cæterorum.*

Prætermittere autem id, vt in plerisque ciuitatibus; neces-

ſe eſt, egeſtatis ſit cauſa ciuibus: egeſtas verò ſeditiones, & delicta parit.

2. Politic.cap.7.car.409.C.Phaleæ Chalcedonii leges de adæquatione patrimoniorum affert. Subdit Ariſtoteles, "Qui patrimonio modum imponit, debet etiam filiorum numero modum imponere; nam ſi excedat multitudo filiorum patrimonii facultatem, neceſsarium erit legem abrogare, & ſine illa abrogatione improba lex erit, quoniam ex diuitibus pauperes facit. Opus eſt ergo, ne tales ſeditioſi efficiantur &c.,,

2. Polit. cap.9. car. 417.F. de republica Laconum agens, reprehendit, quòd legislator non proſpexerit ad multitudinem procreandam. "Eſt enim lex: qui tres genuerit filios, immunem eum eſse à cuſtodia: qui verò quatuor, immunem eſse ab omnibus. Atqui patet, quòd ſi multi gignantur, regione ſic diſtributa, neceſſarium eſt multos fieri pauperes.,,

2. Polit.cap.10. car. 421. D. Cretenſium rempublicam probat, quòd proſpexerit, ne filiorum ſuperflua multitudo generaretur. Reliquit tamen ſub dubio, an in ea re prouiſum ſit rectè, aut non rectè.

2. Polit. cap.vlt. Philolai legem de ſobole procreanda poſuit. *Et hoc eſt præcipuè ab illo prouiſum, vt numerus hæreditatum conſeruetur.* Ex iſtis textibus conſtat, quàm cordi fuerit Ariſtoteli lex, de ſufficienti generatione ciuium nouorum: & de ſuperflua generatione vitanda.

Propterea in 7.Polit. cap.15. aliàs 16. præſcribit tempus genitoribus, vt generent ad numerum præſcriptum, non vltra.

Propterea in genitis, orbatos non nutriri ſtatuit, vt hac parte filiorum leuetur reſpublica, ſeruentur patrimonia, filii ad egeſtatem non redigantur, atque ideò caueantur ſeditiones, atque delicta. Hæc igitur lex, *nullum orbatum nutriatur*, eſt propria Ariſtotelis, & à nullo alio legislato-

re, quem reprehenderit, posita.

Deinde, si per partus orbatos intelligeret sola monstra, lex illa, non esset admodum oportuna. Vix quingentis annis in Thracia tale monstrum natum est, quale Licetus refert: vnde neque ex illius vita, neque ex illius morte patrimonia diuiduntur, minuuntur hæreditates. Sed qui orbati sunt, vt cæci, claudi, gibbosi, & similes, faciunt aliquantam multitudinem. Denique lex est de his, quæ in pluribus eueniunt, quales sunt orbati. Sed monstra rarissimè occurrunt. vnde non monstra Aristoteles, sed mancos, vel debiles intellexit.

Præterea, in ciuibus generandis præscribit Aristoteles lib. 7. cap. 15. car. 558. D. *Si ergo ab initio prouidendum est à legis positore, vt optima sint corpora eorum, qui educantur.* Optima verò ad actiones belli, & pacis, otii, atque negotii, quæ ordinantur ad fęlicitatem actiuam, & speculatiuam. Profectò corpora cęcorum apta non sunt ad actiones bellicas, ad actiones iudiciarias, ad scientiarum inuentionem. Corpora eorum, qui pedibus, vel manibus mutilati sunt, inepta sunt ad prælium, atque ad otia, vel negotia pacis. Sicut neque corpora eorum, qui sunt surdi, vel muti. De gibbosis autem in 2. de Generat. Animal. cap. vlt. car. 1274. loquitur philosophus, quòd eorum corpora sint pusilla, & eorum membra, & magnitudines vitiantur in vtero, sicuti ginnus, & metachærus. hoc autem est læsum, & deprauatũ in vtero. Vbi per nomen læsi, & deprauati idem vocabulum est *pirothen, & pirunde*; quod vocabulũ in hoc textu 7. Poli. c. 15. ponitur. *Pepiromenon*, atque tangitur in 2. de anim. 34. cum orbata græcè *piromata*, dicuntur, non generare quale ipsum. Sed de pomilionibus alibi Aristoteles. Illa igitur intelliguntur esse orbata inter animalia, quæ carent aliquo instrumento corporeo, necessario ad fuuctiones vitæ vegetalis, sensualis, rationalis. Maximè verò in optimo ciue, optimum corpus requiritur ad optimę reipublicæ constitutionem.

Orbata quænam sint.

3. Ob-

3. Obſeruatio. Diligentia Liceti deſiderabatur in quærendo ſignificato vocabuli πεπηρωμένον, à verbo πηρόω quod vocabulum item habetur in 2. de Anima 34. & in 2. de Generat. Animal. cap. vlt. fortè, & aliis locis; ſed Licetus non ſolet eſse diligens in quærendis, & conferendis ſui Magiſtri textibus. Solet eſse diligens ſaltem in vocabulariis, græcis, latinis, item ſacris, ac ſæcularibus. Hoc tamen in loco, neque propria Ariſtotelis quæſiuit, quia parum laborat pro magiſtro; neque aliena coaceruauit, vt ſolet, quia nihil pro ſe reperit. Ergo duos interpretes proferam vnum ex me, alterum à Liceto productum.

Monſtra verò in 2 phy. 84. τέρατα vocãtur τέρας monſtrũ eſt.

D. Thomas in 2. de Anima 34. Cum Ariſtoteles docet, naturaliſſimum eſſe viuentibus facere ſibi ſimile: ſcribit Doctor Angelicus. "Sed ab iſta generalitate viuentium excipiuntur tria, quibus hoc opus non competit. Primò illa, quæ ſunt imperfecta, ſicuti pueri non generant. Quod enim poteſt alterum facere tale, quale ipſum eſt, in vno quoque genere, perfectum eſt. Secundò excipit illa, quæ patiuntur aliquem defectum alicuius principii naturalis, ſicut ſunt ſpadones, & frigidi. Tertiò animalia, & plantę quæ generantur ſine ſemine ex putrefactione.

D. Tho.

Dicit ergo, quod viuentia poſsunt facere alterum, quale ipſa, ſunt, *Quæcunque ſunt perfecta* ad excludendum pueros; & non orbata ad excludendum eunuchos, & habentes ſimiles defectus." Clarè Doctor Angelicus *orbata* ad actum generationis declarauit, quæ ſcilicet habent defectum ſecundum inſtrumenta generationis, ſicut eunuchi, ſiue natura, ſiue arte ſint tales.

Cottunius quoque in 2. de anima *orbata* ſimiliter expoſuit & Piccolom. & Paulus Venetus cum Doct. Ang.

Cottun. Piccol. Paul. Ve. Metochita.

Theodorus Metochita in Comment. 7. Polit. ait. "Quid ſui iudicii ſit de more, inſtitutoque veterum illorum Græcorum, oſtendit Ariſtoteles, quibus licebat exponere, necareque liberos, ſi alere noluiſsent: neque ea res fraudi ip-

ſis erat: plenæ ſunt fabulæ comicorum, & tragicorum huius conſuetudinis: inquit igitur. De exponendis, ſiue in vita retinendis, alendisque liberis à parentibus, figatur hæc lex: Nihil mancum, debileque alendum; nullo enim pacto vult orbatum ſenſu, membroque aliquo corporis, vſibus humanis neceſſario, ſiue pluribus, ali; quod probabat antiquitas; quia hi reipublicæ vtiles nullam in partem ſunt (moleſti autem multis modis cæteris) ſed etiam quia illi ipſi nullum verum fructum vitæ guſtant: conflictantur autem neceſſariò multis miſeriis. Noſtra pietas Chriſtiana hoc ſuſtulit, tantumque concedit monſtra extingui, & partus, qui magis beluæ, quàm hominis ſpeciem referunt.„

Hic mõſtra necat, orbata. Nõ quid ergo orbatũ? *Nihil*, inquit, *mancum, debileque alendum. nullo enim pacto vult orbatum ſenſu, membroque aliquo corporis, vſibus humanis neceſſariò, ſiue pluribus, ali.* Itaque qui caret aliquo ſenſu, vt cæci: aliquo membro, vt manci, vt claudi: magna parte corporis, vt gibboſi, qui plerunque ſunt pomiliones: vocantur orbati. Satiſque patet intentio Ariſtotelis, qui arcet à coniugio iuniores, quoniam generant corpora puſilla, & imperfecta: arcet ſeniores, quoniam generant irrobuſta & imperfecta corporibus, & intellectibus. At in optima republica vult ciues, qui habeant optima corpora, & ad optimam ciuitatem idonea: quæ talia non ſunt, orbata dicuntur, & non alenda.

Cum autem ex 1. de Part. animal cap. 1. A fine ſumatur neceſſitas eorum, quæ ſunt ad finem: fines præſcripti Philoſopho in generatione ciuium hi ſunt

1 Vt numerus ciuium commenſuratus ſit fertilitati regionis.

2 Ne ciuium numerus nimis excreſcat.

3 Ne patrimonia minuantur.

4 Ne diuidantur hæreditates.

5 Ne ciues pauperes euadant.

6 Ne pauperibus multiplicatis, seditiones, & delicta fiant. Nullus istorum finium læditur ob generationem monstrorum, prout constat ex eorum ortu rarissimo. Vix enim in Thracia quingentis annis totis vnum producitur monstrum. Sed & à nullo monstrum poneretur in numero ciuium, vt planum sit Aristotelem non de monstris, sed de corpore imperfectis loqui: meliusque Scotus subtilissimus Aristotelis mentem percepit, quàm Licetus. Hactenus recognouimus, quæ ad probandam, vel defendendam Aristotelis pietatem, Licetus tot annis commentus est, plurimis, & grauissimis cum erroribus.

Confeceram similem laborem super epistola *de creatione Filij Dei ad intra*, quam publicauit Licetus in libro de 7. Quæsitis, annotando diuinas scripturas, quas falsò citauit, falsò applicauit, falsò explicauit, expositionibus incertis pro certis, nouis pro veteribus insperisit, atque dum Aristotelem pro magistro in theologia habet Licetus, magister est in theologia sine magistro. Tantamue summam erratorum comperi in illa sola epistola, quantam in his duobus libris de pietate non reperi. Pertæsus ergo, errorum molem, ac vilitatem, indignum duxi laborem theologicum insumere in epistolam non theologi, & falsa theologia refertam. Seruo apud me collectam errorum summam, sed vt eam possim cupientibus ostendere. Tempus, & sumptus consumere non est iustum. Si Licetus, qui dedit operam tota vita in discendo, ac docendo Aristotelem, professusque est perpetuò philosophiam Aristotelicam, talis est, qualem recognoscimus in istis libris de Pietate; qualis erit in rebus sacris, in quibus noluit esse discipulus, sed magister? Si in propria facultate, aut modicæ, aut nullius facultatis compertus est, in aliena facultate nihil erit. Rectè Prouerbium: *Ne extendas falcem in Messem alienam.*

FINIS.

Fr. Felix Gabriellius de Asculo Art. & S.T.D. Vniu.Ord. Min. S.Fran.Con.Min.Gener.& in Sac. Rituum Congreg.SS.D.N. Consuitor.

QVantum in nobis est, vtilitati fidelium consulentes, cum opus, quod inscribitur, Secunda Pars Recognitionum de Pietate Arist. à P. M. Matthæo Ferchio Veglensi nostri eiusdẽ Ord. in Vniu. Patauina Theologo Publico elaboratum, & à P.M. Ioseph Insula de Ianua Collegij Pat. Reg. reuisum, ex huius attestatione, vt liquet, nil Catholicæ Fidei, & bonis moribus contrarium contineat, imò plurimum studiosis profuturum speremus, luce dignũ iudicamus, ac proinde licentiã concedimus eidem P.M. Matthæo Ferchio, vt seruatis seruandis illud typis mandare possit. In fid. &c. Dat. Vrbini 14. Septemhris 1657.

F. Felix Gabriellius de Asculo Min. Gen.

F. Bernar. Sacchius à Fabriano Sec. Ord. & Assistens Ge. ac Pro. Dania.

Noi Refformatori dello Studio di Padoua.

HAuendo veduto per fede del Padre Inquisitore Generale di Padoa, che nel libro intitolato Recognitiones lib. 2. de Pietate Aristotelis del Padre Theologo Mattheo di Veglia, non vi è cosa contro la Santa fede Cattolica, e parimenti per attestato del Segretario nostro niente contro Prencipi, e buoni costumi, concedemo licenza, che sia stampato, douendosi osseruar le Leggi in questo proposito, e presentarne due copie nelle librerie publiche di Venetia, e Padoua. Dat. 25. Febr. 1657.

(Lunardo Emo Refformator.
(Zuane Pesaro K. Proc. Refformator.
(

Franc. Verdizzoti Seg.

TEXTVS ARISTOTELICI consíderati

EX LOGICA.

EX PHYSICA.

I 2. Me-

Annexa Metaphysicae.

EX MORALIBVS.

10.Ethic.

ERRATA.

PAgina 194. lin.6. fecunda.secunda.196. lin.16.graua. praua.ibidem.sallere.fallere. 197.lin.23. homt.homo. 212.lin.12.DeoTop.Deo 4.Top.214.lin.25.operanco.operando.ibidem lin.vlt.quæ.quia. 218.lin.24.detut.detur.ibidem lin.vlt.Iusuper.Insuper. 227.lin. 18.meas.mens. 236. lin.8.Dęmonme.Dęmonem.ibidem 21.herętícum. hæreticum.235. lin.19.monem.dęmonem.238.lin.4. capitula. Licetus. capitula Licetus, 245. lin.19.vniuersale. vniuersali. 255. lin. 28. ana logia. analogia. ibidem lin.vlt. silcut.sicut 274.lin.17.dubitatione.dubitationem.320.lin.3.m re.mare. 327.lin.2.fint.sint.ibidem lin.32.indicatarum. iudicatarum. 232.li.vl.mouea.moueat.244.li.6.vt inSorte,&Callia245.li. 6.instututa.instituta.246.li.30.hominum.hominē.247.li.21. qua sunt.quæ sunt. 354.li.32.fuuctiones.functiones.355.li. 16.ficut.sicut. 356.orbata non.Quid. 357.li.14.ereatione. creatione.vlt.li.3.Consultor.